[redacted] [redacted]

McGILL
UNIVERSITY
LIBRARY

180544

EXEMPLA
SCRIPTVRAE EPIGRAPHICAE
LATINAE

A CAESARIS DICTATORIS MORTE AD AETATEM IVSTINIANI

CONSILIO ET AVCTORITATE

ACADEMIAE LITTERARVM REGIAE BORVSSICAE

EDIDIT

AEMILIVS HÜBNER

AVCTARIVM
CORPORIS INSCRIPTIONVM LATINARVM

Germany

BEROLINI APVD GEORGIVM REIMERVM

MDCCCLXXXV

Z114 H94 1885 folio McLennan
Hubner, Ernst Willibald Emil
Exempla scripturae
epigraphicae latinae
[redacted] folio 71881406

PRAEFATIO

Quae scriptores veteres de antiquitate Graeca et Romana tradiderunt minime quidem exhausta sunt, ut vulgo creditur; immo, ut rectius explicentur aptiusque adhibeantur, quam adhuc factum est, in dies operam damus, neque proxima videtur esse eius operae confectio. Sed constat fontem longe ampliorem atque paene inexhaustum antiquitatis universae plenius cognoscendae et accuratius intellegendae ex monumentis vetustis, maxime ex inscriptionibus, scaturrire. Eo fonte apte comprehenso ut commode omnes uti possent, iam provisum est longa voluminum serie, qua corpus inscriptionum Latinarum constat. Tamen in hisce voluminibus nondum id effectum est, quod dudum exigimus in libris veterum scriptorum manu scriptis adhibendis, scilicet ut qualis vera et genuina indoles monumentorum illorum fuisset legentibus ante oculos poneretur. Exempla inscriptionum impressa, quibus utimur necessitate coacti, ad plene et accurate eas intellegendas non usque quaque satisfaciunt: archetypa ipsa, quatenus illud per regionum longinquarum impedimenta fieri poterit, consulenda sunt. Quae cum aut dispersa sint per musea Europae aut abdita in oppidorum vetustorum parietinis aut in aedificiis publicis privatisque urbium noviciarum exposita quidem, sed paucis tantum hominibus doctis eisque raro visa, imagines eorum quam fidelissimae anquirendae sunt legentibusque exhibendae. Quod ut fieri possit, alia via ingrediendum aliaque ratione agendum est in titulis describendis edendisque, atque ea, qua adhuc contenti esse et potuimus et debuimus.

Qui libris veterum scriptorum manu scriptis ad textum recensendum explicandum emendandum recte uti volet, ei quibus illi litteraturae formis utantur probe sciendum esse iam omnes consentimus. Itaque quanquam codicum integrorum imagines ad verum expressae rarissime tantum utendae proponi possunt ab editoribus, tamen particulae codicum aut certe scripturae eorum specimina addi solent editionibus eis, quas qui curaverunt arti criticae recte exercendae inservire voluerunt.

Simili ratione etiam inscriptionum antiquarum palaeographiam aliquanto magis, quam hodie fieri solet, respiciendam esse manifestum est. Textus enim inscriptionum typis expressi animi tantum, ut ita dicam, non corporis oculis, qualia monumenta illa ipsa fuerint, demonstrant. Neque vero exigui momenti est, ut quibus illa litteris scripta sint etiam corporis oculis cernamus; praesertim cum non raro ex litteraturae discriminibus, quae interdum vix verbis describi possunt, ubi alia indicia deficiunt, de aetate inscriptionum iudicium ferendum sit. Quod postquam dudum intellectum est, voluminibus corporis inscriptionum Latinarum praeter tabulas Ritschelii lithographas unum praeterea imaginum volumen addendum esse visum est quasi supplementum necessarium, quod litterarum formas exhiberet, quibus inscriptiones Latinae inde a Caesaris dictatoris morte usque fere ad Iustiniani aetatem scriptae fuisse viderentur.

De consilio ratione usu operis dixi in prolegomenis, quae sequuntur (p. XVI s.); unde quid praestare et voluerim et potuerim qui volent cognoscent. Num praestiterim quae ab eius generis opere exigere licet, penes iudices aequos quique rei difficultatem exploratam habeant iudicium est.

Materiam comparare non potui nisi multis adiuvantibus; multorum virorum doctorum voluntate propensa officiisque repetitis, ut ectypa tot monumentorum congererentur, imagines delinearentur, mensurae indicarentur opus erat. Nomina eorum enumerata sunt infra cum debita honoris et grati animi significatione (p. XVIII s.).

In materia vero digerenda proponenda explicanda nullius neque exemplo neque auxilio frui potui; delectus instituendus, iudicium de litteratura ferendum, formarum singularum proprietas investiganda erat proprio Marte. Unde censuram quoque in me solus suscipere paratus sum.

Opera in litterarum formis rimandis depingendis comparandis, non in rebus indagandis explicandis componendis posita probe scio fore ut a multis spernatur; quanquam sine rerum plenissima cognitione de palaeographia iudicari omnino non posse una quaeque huius operis pagina docebit.

180544

Non omni ex parte mihi ipse satisfeci. Neque enim exempla inscriptionum omnium, quibus utendum esse vel necessarium duxi vel optandum, mihi parare potui, cuius rei causae infra enarratae sunt (p. XXI), neque quas exhibui imagines ad unam omnes tam sunt perfectae talesque, quales ut essent summa cura enisus sum. Pendent haec ex ectyporum condicione et ex eorum, quibus illa delineanda traduntur, artificio quamvis severe et continuo castigato; ut infra demonstravi plenius (p. XIX ss.). Sed quaecunque aliter administrata velim, tamen non ita comparata sunt, ut ab iis, qui opere uti volent, aut facile animadvertantur, aut, si animadversa fuerint, utilitati eius universae obstent. Materia palaeographica ex mille et ducentis amplius monumentis epigraphicis desumpta, secundum temporum ordines et locorum discrimina disposita, in prolegomenon enarratione praemissa et in praefationibus singulorum capitum explicata, adhibitis praeterea constanter ectypis aliisve imaginibus monumentorum epigraphicorum circiter quattuor milium, quae ad manus erant, aut egregie fallor, aut epigraphiae Latinae studiosos ea docebit, quae quam maxime edoceri desiderabunt: scilicet ut diversorum locorum temporum monumentorum in scribendo genera distinguere, minus certae aetatis ad certiora temporum spatia referre, spuria et novicia a genuinis et vetustis secernere discant. Utilitas vero operis siquando explorata erit, spero fore ut in posterum in titulis tractandis ab eis, qui syllogas inscriptionum minores maioresve publici iuris facient aut inscriptiones singulas edent, cura omnino maior impendatur in formas palaeographicas accuratius indicandas, sive imaginibus plenis scripturaeve speciminibus adiectis, sive ita, ut quali scripturae generi in hoc volumine proposito singulae inscriptiones similes sint ubique adnotetur. Quod si exempla mea huic rei inservire viamque ad doctrinae palaeographicae in epigraphia usum magis universum munire poterunt, operam diuturnam impensamque non exiguam in hoc volumine edendo collocatam putabo me non perdidisse.

Scripsi Berolini mense Decembri anni MDCCCLXXXIV.

CONSPECTVS

PROLEGOMENA

EXEMPLA

PARS PRIMA

SCRIPTVRA MONVMENTORVM

PARS SECVNDA

SCRIPTVRA ACTORVM

APPENDIX

INDICES

EXEMPLA

SCRIPTVRAE EPIGRAPHICAE LATINAE

PROLEGOMENA

CAPVT PRIMVM

SCRIPTORES DE SCRIPTVRA EPIGRAPHICA

Priusquam ad argumentum ipsum quod hoc opere illustrare suscepimus accuratius enarrandum accedimus, breviter exponere visum est, quae ante nos in eo tractando viri docti assecuti sint; ne parata iam et explorata videamur contempsisse. Ad scripturam enim epigraphicam eiusque varietates quanquam omnino non attendere non potuerunt quicumque acutioris iudicii beneque oculati viri inde a renato in Italia litterarum antiquarum studio titulos Latinos Graecosque descripserunt et syllogas eorum primum in ipsorum amicorumque usum, quae manibus tantum scriptae servatae sunt maximam partem, deinde edendas et typis tradendas, quibus adhuc utimur, paraverunt, tamen qui palaeographicam hanc epigraphices partem plene et accurate seorsum susciperet explicandam, vastam sane materiam nec tractatu facilem, adhuc quantum scio inventus est nemo.

I

SCRIPTORES ANTIQVIORES

Antiquissimi syllogarum epigraphicarum auctores, peregrinator ille Einsiedlensis saeculi noni atque aequales eius pauci, veluti auctor syllogae Mediolaniensis, Agnellus Ravennas, alii, deinde scriptores epigraphici saeculi XIV, veluti Nicolaus Laurentii Romanus (clarus ille *Cola di Rienzo*), in describendis titulis ne cogitasse quidem videntur de litterarum formis vetustis in scribendo imitandis. De eis qui proxime secuti sunt saeculi XV scriptoribus epigraphicis praecipuis, (ripto- s s. XV) veluti de Poggio et Cyriaco, non satis constat, quatenus litterarum formas in exemplis suis expresserint; nam autographa eorum interierunt. Unus, cuius autographum extat, Desiderius Spreti Ravennas, titulos dicitur pulchre depinxisse[1]. E reliquis plurimi non tam ex lapidibus ipsis titulos desumpserunt, quam ex aliorum sive syllogis sive schedis syllogas suas composuerunt: ut Michael Fabricius Ferrarinus, Iohannes Iucundus Veronensis, collector antiquus Hispanus aliarumque regionum scriptores epigraphici illorum aequales non pauci. Si autem ex lapidibus ipsis exempla desumpserunt, quod minus frequenter accidit, tum et ipsi formas litterarum accurate imitari neglexerunt.

Sed tamen in ipsis illis artis nostrae incunabulis iam inventi sunt, qui cum titulos describerent et colligerent non solum res in eis consignatas discere cuperent, sed etiam monumentorum formas tectonicas et ornamenta respicerent atque imitari studerent, artis et ipsi studiosi, potissimum tectonicae. Eos scripturae quoque vetustae indolem observasse et scribendo, quantum fieri posset, imitatos esse, non mirandum est. Saeculo autem XV medio fere vel exeunte certe artem litteras antiquas imitandi prorsus iam excultam reperimus; ut eodem fere tempore etiam architecturae veteris formae renatae in aedificiis et picturae operibus cernuntur repraesentatae. Illo igitur tempore scriptor epigraphicus satis clarus frater Felix Felicianus Veronensis, qui syllogen (Felicianus) suam inscriptionum anno MCCCCLXIII Andreae Mantegnae pictori celeberrimo sacram esse voluit, libellum composuit, servatum hodie in bibliotheca Vaticana (cod. n. 6852), in quo litterarum Romanarum figurae ad exemplum inscriptionum vetustarum delineatae et variis coloribus illitae extant. Edidit libellum illum primus et paucis illustravit Richardus Schoene[2]. Unius cuiusque litterae ibi formae quomodo repraesentandae sint diligenter praecipitur ratione geometrica et mensuris accurate plerumque indicatis; imagines maximam partem delineatae sunt admodum perite. Etiam de singulis litterarum proprietatibus multa rectissime observata sunt, quorum posterioris aetatis scriptores solent oblivisci: E F G M O Q P R litterarum formae recte describuntur; paucarum, veluti C et K, imagines minus feliciter expressae sunt. Sed certae tantum aetatis, i. e. saeculi fere primi exeuntis ineuntisve alterius, certaeque perfectionis formae ad imitandum proponuntur, consilio per se admodum laudabili. Varia autem fuisse scripturae genera indeque de aetate titulorum iudicium fieri posse nusquam adnotatum est.

Simili fere ratione egerunt, qui post Felicianum exempla litterarum pingendarum proposuerunt inter Italos potissimum scriptores artificesque plurimi. Ita qui post Felicianum proxime sequitur adeoque ante Feliciani libellum denuo repertum antiquissimus eius generis scriptor haberi solitus est, Lucas Paciuolus, plurima a Feliciano desumpsit, de (Paciuolus) suo pauca addidit aut variavit; ut docent praecepta eius a Schoenio una cum Feliciani edita. Deinde vero crevit in dies exempla vetusta

[1] CIL XI p. 1.

[2] In ephemeride epigraphica vol. I 1872 p. 255 ss. cum tabulis.

accurate imitandi neglegentia, nova praecipiendi libertas. Inter scriptores non paucos eius aetatis, quorum praecepta ad res nostras non pertinent, unum propter gloriam quam adeptus est Albertum Duerer, pictorem nostrum celeberrimum, nomino; de reliquis satis erit relegare legentes ad Sotzmanni doctam de argumento illo universo disputationem [1].

Omnes enim unam tantum artis perfectae, quam putabant, speciem describunt et ad imitandum proponunt; eandemque fere etiam eius et proxime insequentis aetatis pictores sculptores architecti, typographi xylographi incisores (ut utar vocabulis noviciis) solent imitari. Unde qui saeculo XVI exstiterunt titulorum descriptores accurati et periti, veluti, ut paucos memorem praecipuos, Iohannes Baptista Brunelleschi architectus clarus, Mariangelus Accursius Benedictus Rambertus docti peregrinatores Itali, Martinus Smetius Stephanus Pighius Germani, Caspar de Castro Hispanus, Paulus Knibbius Scotus, alii, litterarum formis uti solent plerumque emendatis et elegantibus, quae, ubi maiusculis litteris opus erat, per totum saeculum illud obtinebant. Praeter ceteros autem rectissime Martinus Smetius, homo supra saeculum suum gnavus, de hac palaeographica epigraphices parte iudicavit. Cuius verba digna sunt, quae hoc loco oblivioni eripiantur. In epistula enim ad Marcum Laurinum syllogae suae inscriptionum praemissa, postquam eos vituperavit, qui antea titulos edentes 'praeterita omni temporum atque aetatum ratione omnes inscriptiones eadem characterum forma delineaverunt', haec addit: 'quod equidem non probo; quum ex ipsa litterarum forma tempus seu aetas qua quaeque res scripta est cognosci fere possit. Antiquissimis enim temporibus (ante Caesares videlicet) utebantur literis plane simplicibus atque informibus . . .; a tempore Augusti usque ad Antoninos, florentissima scilicet aetate, characteres formosissimos, quadratos, atque omni ex parte optime dimensos effigiabant. Inde iterum cum aetate et imperio ipso Romano paulatim characteres declinabant fiebantque primo obliquiores solito, ac deinde oblongiores, ac tandem ad extremam barbariem delabebantur, ut litteris Gothicis quam simillimi evaserint . . . . Quae quidem scripturae diversitas, si a describentibus observaretur, multam ipsis inscriptionibus gratiam lucemque, et non minimam legentibus adderet voluptatem'. Raro sane accidit, ut tituli a delineandi pingendique ita peritis describerentur, qui, quod Smetius iure exigit, vere praestare potuerint. Tituli Norici in codice aliquo Augustano dicuntur optime depicti esse (CIL III p. 587); plerumque vero etiam qui in universum litteras iustis formis delineaverunt, innumeram earum diversitatem pingendo imitari nec voluerunt nec potuerunt. Tamen laudandi sunt descriptores illi accuratiores, quod versuum distributionem, mensuras et contignationes litterarum, punctorum collocationem, reliqua eiusmodi perite observaverunt et in exemplis imitati sunt.

Scriptores s. XVI — Smetius

II
SYLLOGARVM EPIGRAPHICARVM EDITORES

Eadem fere cura atque exempla illa saeculi XVI manu scripta etiam syllogae inscriptionum typis expressae antiquissimae confectae sunt: Peutingeri, Huttichii, Welseri, Francisci de Albertinis, Apiani, aliae; litterarum certe formas retinent codicum bonas, etiamsi in reliquis minus fideliter archetypa repraesentant. E syllogis recentioribus perpaucae, veluti Smetii a Lipsio edita, quae autographum optime scriptum paene prorsus fideliter expressit (puncta sola non recte collocantur in exemplari impresso), laudem ex hac parte merentur. Smetium a Grutero expressum esse integrum notum est; addidit Gruterus ex copiis suis pauca xylographa arte expressa, a Welsero accepta Augustana (ut pavimenti tessellati imaginem), a Frehero Divodurensia et Batava, Mediolaniensia ex Alciato, a Camdeno et Cottone Britannica, a Mauclerquio Gallica; in universum autem a litterarum imitatione abstinuit, recte. Paene immensam litterarum in titulis diversis varietatem etiam rei epigraphicae peritissimi inter descriptores ne conati quidem sunt imitari; nec sane potuissent illud consequi nisi delineandi item peritissimi fuissent. Plerique sane, si titulus aliquis scriptus est litteris aut optimis aut admodum malis, solent id adnotare. Aliquanto accuratius tempora, quo tituli singuli scripti esse viderentur secundum litterarum formas, solus Marquardus Gudius nostras, quantum equidem observavi, enotavit: solet enim ille exemplis suis adscribere litteras videri saeculi esse primi, secundi, tertii ineuntis, quarti exeuntis, similia. Quae Muratorius thesauro suo hic illic inseruit ligno incisa pessima sunt neque fidem merentur ullam. Alii inscriptionum editores occasione data de litterarum formis quaedam observaverunt, potissimum de aevi recentioris formis ad cursivam et uncialem scripturam vergentibus; ut Raphael Fabretti [2]) et inprimis docte Antonius Maria Lupi [3]). Quam vero difficile et lubricum sit, secundum litterarum formas solas tempora titulorum distinguere, optime iam Scipio Maffeius exposuit [4]) atque inter alia illud observavit rectissime, rudes litterarum formas per se minime habendas esse pro certo aetatis labentis indicio, contra magnam in litteris scalpendis artem recenti etiam aetate servatam fuisse. Ipse in opere suo epigraphico laminas quasdam aereas, diploma Galbae (CIL III n. IV infra n. 817), tabulas patronatus Silii Aviolae (CIL V 4919 4920 infra n. 867 868), vocabula quaedam tabulae alimentaria Veleiatis repetivit fideliter sed non eleganter expressas, quas iam antea protulerat in historia quam scripsit diplomatica [5]). Quas praeterea exhibet inscriptiones aeri incisas in litterarum formis imitandis fidem merentur non maiorem, quam statuarum anaglyphorum operum artis tectonicae imagines operi eius insertae, quamvis pro tempore illo satis accuratae. Inter corporum epigraphicorum quae vocantur editores ultimus Benedictus Passionei in sylloge sua [6]) unum prodidit titulum ligno incisum (p. 185, 8), Forosemproniensem (in CIL XI nondum editum) Claudii, litteris illum ex aere incrustatis scriptum; in reliquis vero ab imitatione scripturae epigraphicae et ipse omnino abstinuit.

Smetius — Gruterus — Gudius — Muratori — R. Fabretti — Lupi — Maffei — Passionei

III
SCRIPTORES PALAEOGRAPHICI

Formas litterarum Latinarum, quales aetate imperatoria fuerint, ei viri docti non respicere non potuerunt, qui palaeographiae universae operam navaverunt; nam inde originem ducere quotquot scripturae genera postea apud Europae meridionalis et occidentalis nationes in usu fuerunt probe intellexerunt. Princeps inter eos atque disciplinae palaeographicae conditor Iohannes Mabillon iam formas litterarum maiusculas quae dicuntur cum inscriptionum recte comparavit [7]); inscriptionis vero Latinae unius tantum protulit imaginem christianae

Mabillon

[1]) *Ueber die ältesten meist xylographischen Schreibbücher der Italiener aus der ersten Hälfte des XVI. Jahrhunderts und Hugo da Carpi's Antheil daran* in R. Naumanni et R. Weigelii *Archiv für die zeichnenden Künste* 1856 II p. 275—303.

[2]) In inscript. antiq. (Romae 1699 fol.) capite VIII p. 548 ss.

[3]) Epitaphium Severae martyris (Panormi 1734 fol.) p. 149 ss.

[4]) In arte critica lapidaria lib. III cap. II p. 158 ss.

[5]) Mus. Veron. p. 97. 406. 462.

[6]) *Iscrizioni antiche disposte per ordine di varie classe* cet. Lucae 1763 fol.

[7]) De re diplomatica ed. II (Parisiis 1709) p. 354.

a. 338 (de Rossi inscr. christ. I p. 43, 50), quae scripta quidem est litteris capitalibus maximam partem, sed adiecta habet in fine consulum eius anni nomina litteris uncialibus[1]. Post eum Hermannus Hugo S. I. in opere suo palaeographico testimonia scriptorum aliquot veterum congessit de litteris ex argento aereve incrustatis, de carbone et rubrica et similibus ad scribendum usurpatis, neque vero accuratius tractavit scripturam epigraphicam[2]. Satis accurate deinde atque etiam pro temporum illorum condicione plene, ut solent, Foustain et Tassin, novi tractatus de diplomatica scriptores doctissimi, inscriptionum Latinarum scripturam tractaverunt. Exempla vero epigraphica, quae proferunt, non satis caute electa nec, cum minimo uterentur modulo, satis perspicue repraesentata sunt. Neque caverunt scriptores illi ubique a falsis; alphabeta copiosa, sed quibus vix uti possis, congesserunt undique multa cum diligentia atque singulares quasdam litterarum formas recte explicuerunt[3]. Tamen ex opere vasto et eruditione pleno palaeographiae epigraphicae Latinae historiam nemo facile discet. A. Aldenbrück S. I. quae composuit alphabeta aliquot epigraphica nullius fere sunt utilitatis[4].

Hugo — Foustain et Tassin — Aldenbrück

Peculiarem, sed non satis fructuosam titulis curam impenderunt palaeographi Hispani. Quorum antiquissimus Christophorus Rodriguez (a. 1729) titulos quidem non multos novit neque quos novit repraesentavit satis accurate; sed qui opus eius edidit Iosephus Nasarre prologoque instruxit quosdam addidit Mabillonis exemplum secutus[5]. Stephanus de Terreros, qui aetate proximus est, uti potuit exemplis titulorum aliquot delineatis optime a palaeographorum Hispanorum principe, Francisco Xaverio de Santiago Palomares, cuius tamen opus palaeographicum insigne ineditum mansit atque servatur Matriti in bibliotheca academiae regiae historicae. Quae inde protulit Terreros optima quidem sunt, sed nimis pauca; unde ad argumentum totum illustrandum non satis faciunt[6]. Andreas Merino quoque uti potuit exemplis Palomarianis, sed et ipse pauca tantum inde desumpsit[7]. Recentiores Mirambell[8], Alvera Delgras[9], Paluzie[10] a prioribus tradita repetunt additis imaginibus multo quam illi peioribus.

Palaeographi Hispani — Rodriguez — Nasarre — Terreros — Palomares — Merino

Interim litterarum maiuscularum pulchre formatarum et usus et cognitio magis in dies deminuta sunt, nec potuerunt ea retinere praecepta litterarum venuste pingendarum a multis inter Italos potissimum repetita et aucta. Docet hoc libellus inter generis illius recentiores numerandus Iohannis Baptistae Trecco, cuius notitiam debeo amicitiae Andreae Caparozzo bibliothecarii Vicetini[11]. Artem enim potissimum docet litterarum certi moduli in spatio quodam dato recte distribuendarum; formas ipsas praescribit elegantes quidem, sed ab antiquis satis diversas. Iam inde fere a saeculo XVII ineunte formae illae litterarum iustae et antiquis similes ut ab arte reliqua ita etiam a libris impressis et ab inscriptionum syllogis absunt.

Trecco

Inter scriptores palaeographicos recentiores Udalricus Fridericus Kopp formas aliquot litterarum maiuscularum ex epigraphicis recte explicuit titulosque multo plures, quam scriptores antiquiores, ad eas illustrandas conquisivit solita doctrina; etiam litterarum contignationes, interpunctionis leges, punctorum formas varias aliaque similia inde enotavit[12]. Breviter, sed perspicue et eleganter de similibus quibusdam rebus ad palaeographiam epigraphicam spectantibus egit Natalis de Wailly in opere suo merito claro[13]. Qui post eum palaeographiam illustravit tabulis suis splendidissimis I. B. Silvestre ad titulos omnino non respexit[14]; sed quae ab eo proponuntur imagines elegantissimae codicum Latinorum litteris maiusculis et uncialibus scriptorum iam illud apertissime demonstraverunt, quod iam supra observavimus, scilicet litteras illas ab epigraphicis recta via derivandas esse[15]; unde earum mentio hic illic infra facienda erit. Cursivas litterarum formas Ioannes Ferdinandus Massmann ad explicandas tabellas ceratas Dacicas diligenter congessit ex fontibus, qui tum patebant, atque recte plerumque explicuit[16]. Plenam scripturae cursivae antiquioris enarrationem Carolus Zangemeister exhibuit in Corporis inscriptionum Latinarum volumine quarto.

Kopp — de Wailly — Silvestre — Massmann — Zangemeister

Interim syllogae imaginum arte photographica vel phototypica expressarum certatim a viris doctis paratae sunt in usum palaeographiae studiosorum, quae etiam palaeographiae epigraphicae utilitatem praebent non exiguam. Exempla omnibus nota illa dico ex codicibus manu scriptis selecta a Wilelmo Arndt[17], a Carolo Zangemeister et Wilelmo Wattenbach[18], a societate palaeographica Londiniensi[19], a Caesare Foucard[20]. Syllogae illae copiosae, quae paene omnium codicum Latinorum vetustiorum scripturam nobis ante oculos ponunt, artissimam necessitatem illam esse, quam modo dixi, inter medii aevi ineuntis et ipsius antiquitatis librorum scripturam manifesto demonstrant.

IV

SCRIPTORES EPIGRAPHICI

Scriptores epigraphici recentiores, quos in inscriptionibus edendis interim fere oblitos esse dixi verae earum litteraturae, quanquam non desierunt hic illic de formis litterarum nonnulla observare, tamen in universum ne imaginibus quidem titulorum fidelibus additis palaeographiae epigraphicae inservire studebant. Eo maioribus laudibus persequendi sunt pauci illi viri docti, qui operae et impensae ad hanc quoque officii partem praestandam necessariae non pepercerunt. Atque primus Caietanus Marini ad acta sua fratrum Arvalium illustranda

Marini

---

1) Supplementi p. 114. A Blanchinio ut Mabillon titulum illum acceperant Buonarotti *vetri* p. XIV, Boldetti *osservazioni* p. 85 (Muratori 376, 4); unde apud palaeographos usque ad Massmannum (lib. aurar. p. 45) celebratur. Alia eiusdem scripturae exempla infra videbimus.

2) De prima scribendi origine (Traiecti 1738 8) p. 108 ss.

3) *Nouveau traité de diplomatique* (voll. VI Parisiis 1750—1765 4) vol. II p. 1 ss. tab. XX XXI XXIV—XXXI.

4) In artem diplomaticam isagoge cet. Coloniae 1789 8.

5) *Polygraphia Española* cet. (Matriti 1738 fol.) tab. II.

6) *Paleografia Española* cet. (Matriti 1758 4) p. 120 tab. XVI XVII.

7) *Escuela de leer letras cursivas antiguas* cet. (Matriti 1780 fol.) tab. V 1 et tab. LIX p. 426.

8) *Tabulae palaeographicae*, Vich 1811 8.

9) *Escritura y lenguaje de España* cet. Barcinone 1859 8.

10) *Compendio de paleografia Española* Matriti 1857 8 et fol.

11) Inscriptus est ita *Regole pratiche per disegnare gli alfabeti majuscoli ad uso di compartire con esatezza e brevitá le iscrizioni sopra qualunque data superficie, opera corredata di tavole XXVIII in rame, autore ed editore* G. B. Trecco, Vicentiae (*tipografia Mosca*) 1820 (pp. 100) 4.

12) Palaeographia critica (voll. IV Mannhemii 1817—1824 4) vol. I p. 83 ss., III p. 235. 254. 502 ss.; *Bilder und Schriften der Vorzeit* (voll. II Mannhemii 1819—1821 8) vol. I p. 225. 265. In apparatu diplomatico eius, qui servatur in bibliotheca regia Berolinensi, titulus unus Mogontiacensis (Brambach 1281) extat male delineatus (vol. III).

13) *Éléments de paléographie* (voll. II Parisiis 1838 4) vol. I p. 409 ss. 467 ss.

14) *Paléographie universelle* (voll. IV Parisiis 1841 fol.).

15) De quo breviter monuit W. Wattenbach *Anleitung zur lateinischen Palaeographie* (Lipsiae 1869) p. 1 s.

16) In libello aurario suo (s. tabellae ceratae cet. Lipsiae 1840 4) p. 37 ss.

17) *Schrifttafeln zum Gebrauch bei Vorlesungen und zum Selbstunterricht* (fascic. I II Berolini 1874 1878 fol.).

18) Exempla codicum Latinorum litteris maiusculis scriptorum, Heidelbergae 1876 (et 1879), Supplementum ibid. 1879 fol.

19) *The Palaeographical Society, Facsimiles of Manuscripts and Inscriptions edited by* E. A. Bond *and* E. M. Thompson partes I—VIII Londinii 1873—1878 fol.

20) *Elementi di paleografia, la scrittura in Italia sino a Carlo Magno, parte I (dal II secolo avanti l'era volgare sino al V dopo)* tabb. X Mediolanii 1879 fol. min. Insunt praeter papyros et codices nonnullos imagines senatus consulti de Bacchanalibus, tabulae devotionis, ceratae Pompeianae et Dacicae aliquot, Marinii Pupus Torquatianus, non satis feliciter expressae.

ex actorum illorum numero fragmentorum sex, titulorum deinde aliquot lapideorum, tabellarum aerearum, tegularum imagines dedit cum cura neque vero usque quaque feliciter in aere incisas, quae quanquam perfectae dici minime possunt, tamen paucos titulos vere in universum repraesentant. Secuti eum sunt, quod impensae magnitudine satis excusatur, perpauci. Contra qui monumenta veteris Romae tectonica et anaglypha illustraverunt, etiam titulorum imagines aliquot addiderunt

Piranesi delineatas maiore sollertia et elegantia quam fide; ut Piranesius, cuius picturas in aere caelatas ut magnificentiae Romanae interpretes

Pistolesi aptos admiramur[1]), et Pistolesius, qui museum Vaticanum describens titulos aevi labentis aliquot et christianos composuit[2]). Contra quae apud celeberrimum aedificiorum urbis Romae vetustorum instauratorem

Canina Ludovicum Canina proponuntur titulorum imagines, eae omnes a veris litterarum formis tam procul absunt, ut palaeographiae utilitatem praebeant omnino nullam.

Deinde praecipiunt quidem de litterarum epigraphicarum formis pauca, sed vera plerumque et utilia, scriptores aliquot epigraphici recentio-

Zaccaria res, ut Zaccaria[3]), et occasione oblata Hagenbuchius, Orellius, Borghesius, alii — Zellius, ut solet, etiam in illa enchiridii sui epigraphici parte utilia vix ulla profert —: sed palaeographiae epigra-

Ritschl phicae studium iacuit, donec a Friderico Ritschelio denuo resuscitatum est. Is enim, ut notum est, postquam alphabeta Graeca et Italica e Phoenicio orta antea iam coepta sunt diligentius perquiri ab Augusto Boeckhio aliisque, viam ac rationem grammaticae historice, ut dicunt, tractandae ad Latinam quoque linguam transtulit. Quod ut recte persequeretur a testimoniis titulorum temporum ordine dispositorum ordiendum esse vidit. Ita fundamenta iecit historiae scripturae Latinae usque ad Caesaris mortem accuratius cognoscendae[4]). Pauca post eum nova de singulis quibusdam rebus addidicimus ab Italis duobus

Garrucci Raphaele Garrucci[5]) et Ariodante Fabretti[6]); in universum, si a

Fabretti distinctionibus temporum a Ritschelio interdum nimis subtiliter definitis cavemus, plurima ille recte constituisse putandus est. Sed cum disquisitiones eius intra liberae rei publicae Romanae tempora sese continuerint, opus inchoatum aliis absolvendum reliquit.

Inter titulos urbanos solos christianos nanctos esse non solum enar-

I. B. de Rossi ratorem praeclarum Ioh. Bapt. de Rossi, sed etiam in operis ab eo ad titulos urbis christianos Romamque subterraneam illustrandam adhibitis pictores sollertes vix est quod moneam. Exemplum ab eo propositum sequi studuimus in Gallicis christianis edendis Edmundus Le

Le Blant Blant[7]), in Hispanis Britannicisque ego. Inter scriptores epigraphicos provinciales conspicuum hac ratione locum obtinet Alphonsus de

Boissieu Boissieu Lugudunensis: titulorum enim imagines in eius opere Ludovici Perrin typographi cura eodem modulo omnes aeri incisae elegantia sane a nullo adhuc superatae sunt; utrum eadem etiam fide formas litterarum in singulis titulis imitentur necne infra videbimus.

Bruce Aemulati eum sunt, sed eventu non semper aequali, Iohannes C. Bruce Anglus in edendis titulis Britanniae septentrionalis[8]), cuius imagines fideles sunt, neque vero elegantes et interdum non satis elaboratae, sed magis adumbratae more pictorum, Augustus Allmer[9]) et P. Carolus Allmer

Robert Galli; quorum ille delineationes protulit a se ipso magna sol- Robert

lertia factas accuratas, fidas, modulo tantum nimis exiguo exaratas; hic aut arte photographa vel phototypica usus, ut in opere priore[10]), aut delineationibus ad imagines photographas archetyporum vel ectyporum factis elegantibus, sed item nimis parvis[11]), artem titulos repraesentandi paene ad perfectionem perduxit. Causae vero, cur a ratione, quam viri illi secuti sunt in titulis exhibendis, nobis recedendum fuerit, infra explicabuntur.

Ceterum iam antea, postquam ars photographica ad titulorum imagines conficiendas adhiberi coepta est cum fructu, saepius ea usi sunt scriptores epigraphici Itali Galli Britanni Germani, veluti editores annalium actorumque sive archaeologicorum sive epigraphicorum, ut Ioh. Bapt. de Rossi in actis archaeologicis christianis, Rudolphus Lanciani in actis archaeologicis municipii Romani, socii societatis archaeologicae Taurinensis, Georgius Perrot et Alexander Bertrand in actis archaeologicis Parisinis, Florianus Vallentin A. Héron de Villefosse Robertus Mowat in actis epigraphicis Galliae meridionalis et Galliae universae, I. C. Bruce in Archaeologia Aeliana, Ioh. Rhys in Archaeologia Cambrica, denique editores annalium Bonnensium et Treverensium. Ars tamen illa ut vitiis quibusdam non caret, ita cum fructu adhiberi non potest nisi ubi impensae parcendum non est; unde usus eius in universum adhuc rarus est.

Mauricius Munier Mogontiacensis ectypa chartacea singularum Munier litterarum arte photographa repraesentata proposuit ad formas earum in titulis Rhenanis potissimum obvias illustrandas consilio non malo, sed materia non satis ampla et varia adhibita, quae cum singulae tantum litterae exhibeantur eaeque ratione inversa a dextra ad sinistram directae, non satis claram titulorum integrorum imaginem praebet[12]). Ex unius musei enim Mogontiacensis fere monumentis aliisque Rhenanis, quae novit, quae de formis litterarum aliquot epigraphicis a Ritschelio et a me ipso pronuntiata sunt, falsa esse sibi visus est demonstravisse. Singulas vero tantum formas oculis animoque comprehendens universam scripturae epigraphicae formam neglexit atque dubitando et negando eo pervenit, ut doctrinam epigraphicam ullam adhuc inventam esse omnino negaret. Simili prorsus modo e vitiis et soloecismis sermonis Latini, quae omnis paene aetatis tituli inscripti et scariphati habent, grammaticae leges fuisse aliquis negare poterit. Ceterum Munierii tabulae illud clare demonstrant, cum titulorum falsorum (veluti Treverensis infra n. 12*) formis nullam omnino e multis quas proposuit litteris quantumvis variis prorsus convenire. Breviter etiam de titulorum in Germania repertorum litteris Carolus Bone disseruit[13]).

Ectypa chartacea ad titulos cum fide repraesentandos praestantiora esse quam ectypa gypsea et stannea atque imagines photographas ipse accuratius exposui in libello de imaginibus titulorum conficiendis edito[14]). De singularum quarundam litterarum formis, quales aetate imperatoria fuerint, et de noviciis ab illis plane diversis dicendi occasio

---

1) Varia titulorum exempla ab eo depicta infra memorabuntur.

2) *Il Vaticano descritto* vol. III tab. 47 ss.

3) In libro suo olim utilissimo neque hodie omnino spernendo *Istituzione antiquario-lapidaria* cet. (Romae 1770 et Venetiis 1793 4.) p. 314—337 (ed. II p. 261—284).

4) In enarratione PLME praemissa et in dissertationibus variis, quae nunc collectae extant in opusculorum eius volumine quarto.

5) Sylloge inscriptionum Latinarum aevi Romanae rei publicae usque ad C. Iulium Caesarum plenissima 2 partes Taurinis 1875—1877 (655 pp. tabb. 2) 8.

6) A. Fabretti *osservazioni paleografiche e grammaticali I* Taurinis 1874 4., et *palaeographische Studien* (*aus dem Italienischen übersetzt*) Lipsiae 1877 (165 pp.) 8.

7) Is praeterea in libro minore *Manuel d'Épigraphie chrétienne d'après les marbres de la Gaule* cet. Parisiis 1869 (267 pp.) 8. de palaeographia titulorum christianorum Galliae breviter disseruit (p. 41 s.).

8) Lapidarium septentrionale: *or, a Description of the Monuments of Roman Rule in the North of England, published by the Society of Antiquaries of Newcastle-upon-Tyne*, Londinii et Newcastle 1875 fol. (XVI 492 pp.) cum tabulis multis. Supplementum operis paratur.

9) A. Allmer et A. de Terrebasse *inscriptions antiques et du moyen âge de Vienne* cet. voll. 6 Vienne 1875—1876 8. cum tabulis in 4.

10) P. Charles Robert *épigraphie gallo-romaine de la Moselle* 2 voll. Parisiis 1873 et 1883 4.

11) P. Charles Robert *les étrangers à Bordeaux, étude d'inscriptions de la période romaine portant des ethniques* (*mémoires de la société archéologique de Bordeaux* vol. VIII) Bordeaux 1883 (109 pp.) 8. Cf. *Rev. épigr. du midi de la France* a. 1881 p. 179 ss.

12) Tabulae photographae XI, materiam palaeographicam aetatis imperatoriae exhibentes, Mogontiaci 1873 4. Ars photographica illud quoque habet incommodi in his tabulis conspicuum, quod imagines litteras repraesentant quasi prominentes sint sculptae, non cavas, ut sunt incisae.

13) *Anleitung zum Lesen, Ergänzen und Datieren römischer Inschriften mit besonderer Berücksichtigung der Kaiserzeit und der Rheinlande*, Treveris 1880 (pp. 94) 8.

14) *Über mechanische Copieen von Inschriften* Berolini 1880 (pp. 28) 8.

oblata est, cum de titulis nonnullis aut falsis aut aetati non suae adscriptis iudicium ferendum esset[1]).

Haec fere omnia sunt (et sunt sane pauca tantum), quibus adhuc uti potuit, qui aliquam palaeographiae epigraphicae Latinae, qualis inde ab Augusti aetate fuerit, notitiam sibi parare voluit. Pleniora igitur et, si quidem erui omnino possunt, certiora desiderari manifestum est; pleniora autem atque certiora ex exemplorum tantum multitudine quam maxima erui posse patet.

CAPVT SECVNDVM

DE OPERIS CONSILIO RATIONE VSV

I

CONSILIVM

cessitas peris

Litterarum Romanarum formae quales liberae rei publicae aetate fuerint Ritschelii opus, primi voluminis corporis inscriptionum Latinarum comes, demonstravit imaginibus monumentorum, quotquot tum nota erant, integrorum exhibitis. Nulla vero praesto est sylloge imaginum, unde scriptura inscriptionum earum, quae in saecula incidunt inde a Caesaris morte usque ad Iustiniani fere imperium, accuratius cognosci possit. Nequaquam enim id praestare quaecunque adhuc edita sunt scripta de palaeographia epigraphica supra demonstratum est. Flagitari igitur tale opus certum erat; minus certum, qua omnino ratione illud instituendum esset. Etenim non magno sane negotio inscriptionum aliquot ex innumerabili paene earum multitudine selectarum imagines arte huius saeculi facillima sive photographica sive phototypica quam dicunt componi potuerunt, quae disciplinae epigraphicae ignaris titulorum actorumque nobis servatorum specimina aliquot subministrarent oculis magis grata quam verae ad studia epigraphica promovenda utilitatis. Tanta enim est scripturae in diversis monumentorum generibus cum aequabilitate quadam coniuncta varietas, ut nisi ex exemplorum numero quantum fieri possit maximo congesto atque ad intuendum proposito ne cognosci quidem possint singularum aetatum generum opificiorum discrimina. Itaque illud circumspiciendum erat, quomodo usui eorum, qui in inscriptionibus aetatis minus certae edendis et explicandis versantur quique omnino titulos Latinos recte adhibere student, subsidia praeberi possent idonea, e quibus ingentem scripturae epigraphicae varietatem cognoscere certaeque potissimum aetatis testimonia quam plurima collecta celeriter oculis lustrare possent. Neque enim paucis hoc fieri posse exemplis ex vasta multitudine ratione certa nulla selectis dudum est quod perspexerunt quicunque titulos noverunt tam Graecos quam Latinos.

scriptiones certae aetatis

Siquis recte titulis uti volet, ei praeter cetera tempora eorum quatenus fieri possit definienda esse inter omnes constat. Permultas autem esse inscriptiones, quarum aetates ex argumentis aut omnino nequeant definiri, aut ita tantum, ut utrum ante vel post Diocletianum scriptae aut vel maxime cuius saeculi sint, aliqua cum probabilitate dici possit, periti non ignorant. Unde in syllogis inscriptionum impressis omnibus, etiam in CIL, diversissimorum temporum tituli atque ei quoque, qui adhuc extant et visi sunt ab editoribus, proponuntur aetatis indicationibus, quae ex litterarum forma derivandae sint, additis nullis. Si quaedam adduntur de litteratura, solent ea vetustiora in universum fere distinguere a recentibus; saepissime nihil omnino de litterarum forma adnotatum est. Deinde illud interdum adscribitur, litteraturam bonam esse optimamve aut malam pravamque. De singularum litterarum formis talia, quamvis raro, indicantur, quod A careat linea transversa aut quod L caudata sit; similia. Aliquot litterarum formas, I longam aliasque litteras altiores typis solemus repraesentare. Sed ea omnia per se de aetate et indole scripturae certi nihil docent. Omni enim aetate tam bene atque accurate quam male et incondite scribere et sculpere soliti sunt quadratarii; unde e palaeographicis quibusdam observationibus solis de aetatibus titulorum iudicari nequit. Itaque ante omnia materia circumspicienda erat certa et copiosa, e qua nova palaeographiae epigraphicae adiumenta nancisceremur. Ad corporis inscriptionum Latinarum volumina paranda exempla manu quidem scripta vel impressa collecta erant quam plenissime, sed ectypa chartacea gypsea stannea imaginesve photographae raro tantum eorumque fere titulorum solorum, qui aliqua lectionis difficultate laborant. Attamen sicut in codicibus manu scriptis, qui scriptorum veterum libros servaverunt, recte diiudicandis plenam et perspicuam exigimus scripturae descriptionem imagine si fieri potest illustratam, ita titulorum quoque archetypa quemadmodum scripta sint accurate dignoscere non utile tantum ubique, sed non raro necessarium est. Decipiunt enim inscriptiones typis nitide impressae nec divinare sinunt, quanta varietate, quanta interdum inaequalitate, quanta etiam obscuritate tituli non pauci sculpti sint. Omnia scribendi genera, omnes litterarum diversitates, quotquot unquam et ubivis in usu fuerint exemplis illustrare nemo sane suscipiet; difficultas igitur in eo sita est, ut exemplorum aptorum numerus satis magnus componatur.

Materia operis

Patet ante omnia exemplorum certae aetatis atque scripturae perspicuae et evidentis numerum esse parandum quantum fieri possit maximum. Ex certae aetatis vero monumentis epigraphicis, quae adhuc servata sunt — et sunt illa numero non ita multa, si cum deperditis

---

[1]) Exposui quaedam quae huc faciunt in scriptionibus de vetustate portae q. d. nigrae Treverensis in actis acad. Berol. menstruis a. 1864 p. 94 ss., de litterarum formis adhibitis in titulis falsis thermarum prope *Nennig* vicum Treverensem detectis ibid. a. 1867 p. 62 ss. et in annalibus Bonnensibus XLVI a. 1869 p. 81 ss. et XLIX a. 1870 p. 179. Qui contra haec disputavit Mauricius Munier (*die Palaeographie als Wissenschaft und die Inschriften des Mainzer Museums* Mogontiaci 1883 4. pp. 28 cum tabula in programmate gymnasii) iusto calidius (ut recte exposuit Adolphus de Ceuleneer *revue de l'instruction publique en Belgique* XXVII 1884 fasc. 1), eum observationibus infra in prolegomenon cap. XII propositis satis refutatum esse putamus.

comparaveris — non pauca extant locis aut deviis aut difficilibus accessu, alia mutila corrupta evanida sunt; unde eorum, qui in censum venire possunt, numerus magis etiam minuitur. Deinde e monumentis reliquis minus certae aetatis ea potissimum respicienda erant, quae propter scripturae sive elegantiam sive singularitatem sive pravitatem certi alicuius inscriptionum generis, certae regionis, certae denique scribendi rationis testes idonei esse viderentur. Amplissimam materiam praebere consentaneum est musea urbana Vaticanum, Capitolinum utrumque vetus et novum, Lateranense, Kircherianum nunc universitatis urbanae, villarum Albaniae Borghesiae Ludovisiae Pamphiliae, palatiorum Barberiniani Columnensis Doria-Pamphiliensis aliorum. Ea ipse adii, ut quae inde necessaria visa essent exempla congererem, neque neglexi, quae praeterea variis locis in urbe aeterna sparsa extant monumenta epigraphica aut publice aut privatim servata. Quae ex ingenti multitudine selegi, eorum ectypa postea facienda mandavi sculptori cuidam iuveni Germano tum Romae degenti Friderico Guilelmo Palm Berolinensi, isque opere functus est strenue et cum fide, quanquam eventu non ubique laudabili; unde factum est, ut ectypis titulorum urbanorum uti licuerit optimis. Sed ne ex museis quidem omnia, quae volebam, comparari potuerunt, cum quaedam monumenta locis altis et quos ne scalis quidem admotis adire possis collocata sint. Deinde etiam qui in aedificiorum vetustorum reliquiis, arcubus templis obeliscis cet., extant tituli, quos nullo modo ab hac sylloge abesse posse patet, circumspiciendi erant. Eorum cum ectypa sumi non possint, exempla potissimum photographa adhibenda erant. Sed paucae tantum imaginum photographarum monumenta tectonica repraesentantium earum, quae in usum peregrinatorum curiosorum veneunt plurimae, ita factae sunt, ut tituli inde delineari potuerint. Praeclara Iosephi Fiorellii liberalitate factum est, ut photographiae aliquot eorum sumptae sint meum in usum, unde imagines depingendas curarem. Quae deinde ipse mihi procurare non potui, debeo propensae I. B. de Rossii Henzeni Huelseni amicorum Romanorum voluntati; ectypa ab Henzeno collecta fastorum Capitolinorum actorum Arvalicorum calendariorum in huius operis usum cesserunt. Huelseni potissimum adiutorio non pauca praeterea obtinui ectypa, quae diu desideraveram, monumentorum aliquot aditu difficilium. Ita de monumentis urbanis bene consultum esse videbatur: syllogen ectyporum congessi tam copiosam, ut inde de scripturae epigraphicae urbanae indole ac varietate iudicare possem aliqua cum confidentia.

Monumenta urbana

Italicae originis pleraque, Hispanae pauca, quae museum nostrum Berolinense servat in usum me vocasse vix est quod moneam.

Monumenta Italiae

E reliqua Italia quidquid musea publica praebent, ipse selegi subministrataque accepi ab hominibus doctissimis, qui eis praesunt hisque studiis favent. Liberalitatem omni laude maiorem Iulius de Petra praestitit in museo Neapolitano regendo Fiorellii dignus successor; quod eo magis utile fuit, quia totius Italiae inferioris, unde nulla alia obtinere potui ectypa, praeter pauca, quae casu magis quam consilio ad corporis volumina IX et X paranda confluxerant, museum illud exempla mihi obtulit. Musea deinde Florentina regium et Riccardiorum, Pisanum campi sancti, Taurinense, Eporediense, Vercellense, Novariense, Laudense, Ticinense, Mediolaniense, Bergomas, Brixianum, Veronense, Vicetinum, Venetum, Patavinum, Mantuanum ipse visitavi neque vero in ectypis mihi parandis eadem ubique fortuna usus sum. Amici sane non pauci officiosi praesentis et absentis studia adiuverunt; inter quos nomino Franciscum Gamurrini et Iohannem Setti Florentinos, Aeneam Piccolomini Pisanum, Iohannem Flechia et Vincentem Promis Taurinenses, Franciscum Marrochino Vercellensem, Stephanum Grosso Novariensem, Bertholdum Martani Laudensem, Camillum Brambilla et Iosephum Lanfranchi Ticinenses, Benedictum Biondelli et Antonium Ceriani Mediolanienses, Iohannem Finazzi iam defunctum Bergomatem, Petrum da Ponte Brixianum, Antonium Bertoldi Veronensem, Andream Capparozzo Vicetinum, Camillum Soranzo Venetum, Andream Gloria Patavinum, Atilium Portioli Mantuanum. Sed non licuit ubique operis ad ectypa facienda tam peritis tamque diligentibus uti quam Neapoli, ubi de Petrae cura sollertissima artem illam ectypa charta madida faciendi ad summum perfectionis gradum adduxit. Inter musea reliqua paene solum Brixianum ectypa mihi suppeditavit Neapolitanis vix inferiora, quod Petri da Ponte amicitiae deberi grato animo profiteor. Florentini Veronensis Vicetini Taurinensis non ea qua par erat cura et diligentia facta saepe me coegerunt, ut de singulis rebus amicos ibi degentes denuo interrogarem, donec imagines idoneae delineari possent. Quae deerant omnino, Darius Bertolini Concordiensis et Hector Pais olim Caralitanus officiosissime obtulerunt. Musei Caralitani monumenta quaedam aliaque Sarda Iohanni Schmidt Giessensi debeo. Regionum Italiae earum, quarum nondum in CIL editas habemus syllogas, Aemiliae Piceni Umbriae, Etruriae, monumenta multo minus plene me novisse consentaneum est, quanquam corporis voluminibus XI et XIV, quatenus impressa sunt, uti potui. Adii musea Parmense Mutinense Bononiense, quaeque Eugenius Bormann amicus voluminis XI editor sibi comparavit ectypa vel potius adumbrationes (*Durchreibungen*) mecum communicavit liberaliter. Latii ipsius oppidorumque suburbanorum monumenta quae musea urbana servant non pauca vidi ipse multorumque ectypa sumenda curavi; praeterea etiam Hermannus Dessau voluminis XIV editor sciscitanti saepius respondit.

Confitendum igitur est me non ea qua volui aequabilitate de monumentis Italiae universae epigraphicis iudicium ferre posse ut testem oculatum, quanquam in conquirendis exemplis nec tempori nec operae peperci. Etiamsi vero fieri potest, ut quaedam scripturae epigraphicae Italicae genera mihi ignota manserint, tamen confido me exempla inde congessisse, quae varietate et numero satis faciant.

Monumenta Europae orientalis et Africae

Ut de provinciis earumque museis dicam ordinem secutus geographicum, de Illyrici primum regionibus moneo Dalmatina me aliquot musei Salonitani habuisse monumenta a Michaele Glavinič amico, Histrica cum Tergestinis Polensibus Aquileiensibus a Carolo Gregorutti et ab Henrico Maionica, Norica musei Laibacensis et Grazensis aliorumque locorum a Gustavo Wilmanns, Pannonica et Dacica e museis Vindobonensi et Pestinensi. Atque huius quidem musei paene omnia monumenta accepi charta expressa intercedentibus Francisco Pulszky et Floriano Romer, Vindobonensis ea, quae selegeram ipse; accesserunt recens investigata quaedam ab Ottone Hirschfeld amico aliisque. Denique quae ad corporis volumina quintum et tertium paranda e partibus illis transmissa sunt, hic illic operi meo inservierunt. E provinciis Graecis Asia Aegypto ut pauca Latina omnino provenerunt, ita quaedam obtinui repraesentanda per Udalricum Koehler Atheniensem aliosque amicos.

Monumenta Galliae

Ab orientis partibus ad occidentis revertens Gallicas primum provincias memoro. Earum quaecunque obtinui monumenta debeo copiis ab Ottone Hirschfeld ad volumen corporis duodecimum collectis, quae quanquam ad Narbonensem potissimum provinciam pertinent, tamen etiam e Galliis reliquis tribus, quas tertium decimum corporis volumen aliquando complectetur, quaedam praebuerunt huic operi utilissima. Verum quidem est, apud nullos alios epigraphiae Romanae cultores imagines titulorum accurate et eleganter (interdum, ut in Alphonsi de Boissieu opere nimis eleganter) delineatas tot reperiri, quot apud viros doctos Gallos — Franciscum Allmer Viennensem Carolum Robert A. Héron de Villefosse Robertum Mowat Parisinos dico, de quibus supra iam dictum est (p. XVI) —, sed tamen non ex imaginibus, sed quantum fieri potuit ex inscriptionum ipsarum vel archetypis vel ectypis exempla mea delineanda erant. Museorum Parisinorum denique, quae ipse denuo propter hanc syllogen adii, monumenta quaedam minora Guilelmus Froehner et Alfredus Schoene mihi procuraverunt utenda.

Monumenta Germaniae

De monumentorum epigraphicorum in Germania repertorum litteratura ut quam plenissime iudicari posset ab hac sylloge inprimis exigi et potuit et debuit. Musea igitur potiora Leidense cum Neomagensi et Traiectino, Coloniense, Bonnense, Mogontiacense, Wiesbadense, Darmstadtense, Borbetomagense, Mannhemiense, Caroliruhense, Stuttgartense, Augustanum, Monacense, Reginense ipse perlustravi indeque largam ectyporum messem rettuli, adiuvantibus iis, qui museis illis aut praesunt aut facilem eorum aditum habent, Augusto Leemans et Guilelmo Pleyte Leidensibus, Iohanne Niessen Coloniensi (qui omnium eius musei quae tum fuerunt monumentorum ectypa misit), Francisco Buecheler Bonnensi, Carolo Lindenschmit Mogontiacensi, Augusto de Cohausen Wiesbadensi, R. Hofmann Darmstadtensi, Francisco Haug tum Mannhemiensi, Guilelmo Brambach

Caroliruhensi, Friederico Stälin et Augusto Haackh quondam Stuttgartensibus, Augusto Mezger Augustano, Friderico Ohlenschlager Monacensi, qui etiam Reginensia quaedam mihi subministravit, aliis. Tertio potissimum saeculo qualis in regionibus Rhenanis, apud Raetos et Vindelicos et iuxta limitem Germanicum obtinuerit scripturae cum aequabilitate quadam coniuncta varietas ex eis quae proposui exemplis puto satis certo perspici posse, quanquam ne hic quidem omnia scribendi genera me exhausisse spondeo.

nu- nta ri- niae Peculiaris condicio est monumentorum Britannicorum. Propter lapides enim ibi ad titulos inscribendos plerumque adhibitos, potissimum in regionibus insulae septentrionalibus, ubi inscriptiones multo frequentiores sunt quam in meridionalibus, evaserunt illi tam evanidi maximam partem, etiam qui ex effossionibus prodeunt neque intemperiem perpessi sunt aetate recentiore, ut ex ectypis solis apte delineari raro potuerint. Unde necessario recurrendum erat ad imagines propositas in Lapidario septentrionali a Iohanne Collingwood Bruce, amico multorum annorum fideique immutabilis. Bonas eas esse testari possum, cum plerasque ipse comparaverim cum archetypis. Scripturae indolem fideliter ubique eas reddere quanquam non affirmo, tamen quas cum ectypis contuli satisfacere intellexi; unde in eis repraesentandis conquiescere potui. Tamen interesse aliquid inter reliquarum regionum exempla epigraphica quae propono et Britannica observabunt periti; quod unde ortum esset explicandum erat. Ceterum insulas Britannicas cum ipse saepius adiissem, musea Londiniense, Eburacense, Dunelmense, Aelianense et Iohannis Clayton amici venerabilis Cilurnense curiose pervestigavi; quaecunque praeterea opus erant voluntate et celeritate paribus mihi obtulisse amicos, quos ibi habeo plurimos, Augustum W. Franks et Alexandrum S. Murray Londinienses, Iohannem Wordsworth Lindensem nunc Oxoniensem, Iacobum Raine Eburacensem, Iohannem Bruce et Robertum Blair Aelianenses, vix est quod dicam; sed tamen dicam, ne videar gratiarum viris illis omnibus multisque aliis debitarum immemor esse.

onu- enta spa- iae Hispanias cum bis ipse peragrassem, syllogen inde rettuli ectyporum quae satis faceret omni ratione. Neque enim musea sola publica privataque, Legionense, Olisiponense, Matritense (quod monumenta aliunde eo advecta, Carthaginiensia potissimum et Legionensia, servat) Cordubense, Hispalense, Granatense, Malacitanum, Tarraconense, Barcinonense semel bisve adii omni modo adiutus nuper ab eo potissimum viro, qui museis omnibus institutionique publicae apud Hispanos tum praeerat, Iohanne Facundo Riaño, sed etiam ex oppidis maioribus minoribusve praeterea permultis locisque interdum deviis desertisque exempla inscriptionum congessi numerosa. Numerum eorum hic illic auxerunt amici, quorum ibi officiis fruor diuturnis et liberalibus, inprimis Emmanuel Berlanga Malacitanus, cui aerum Hispanorum ectypa debeo optima, Aurelianus Guerra et Emmanuel Oliver Matritenses, Iacobus Zobel de Zangroniz Matritensis et Philippinus, Demetrius de los Rios quondam Hispalensis nunc Legionensis, Bonaventura Hernandez Tarraconensis, Salvator Sanpere Barcinonensis, Emmanuel Góngora Malacitanus, Augustus Soromenho nunc defunctus, Philippus Estacio da Veiga, Iosephus da Silva Olisiponenses, Ioachimus de Vasconcellos Portuensis, multique alii. De titulis igitur actisque Hispanis quem ad modum scripta fuerint satis plene iam nobis videmur iudicare posse.

Provincias Africanas qui primus corporis inscriptionum causa peragraverat Gustavus Wilmanns iam defunctus ectyporum inde reportavit syllogen amplam. Exempla eius quanquam non perfecta omnia sunt, utpote a festinante saepe aliisque rebus multis impedito sumpta (miliariorum paene omnia omnino inutilia sunt nec potuerunt adhiberi), tamen satis magna ex parte ita comparata sunt, ut monumentorum hac quoque ratione valde memorabilium imagines inde proferre potuerim numerosas et ad scribendi in regionibus illis varietates cognoscendas utilissimas. Cum Hispanis Germanicisque monumentis Africana tertii potissimum saeculi scripturam epigraphicam Romanam illustrant quam plenissime. Monumenta Africae

Enumeravi haec omnia, ut inde perspiceretur quatenus quae huic operi inserviit materia plena et idonea esse putanda esset neve quae in ea necessario desiderantur mea culpa deesse crederentur.

Itaque quamquam non aequabilem ex omnibus Italiae provinciarumque regionibus materiam ad opus condendum comparare licuit, tamen eis quae propono exemplis palaeographicis fundamentum me nanctum esse confido, in quo solidum aedificium extrui possit.

II

RATIO

E materia congesta et secundum volumina corporis inscriptionum, quotquot edita praesto fuerunt, eorumque numeros digesta ut opus ad palaeographiam inscriptionum accuratius cognoscendam recteque diiudicandam utile enasceretur duplex instituenda erat consideratio.

ma- ines onu- nen- rum Primum apparebat, si exempla ita comparata poscerentur, ut in inscriptionum ipsarum locum quasi succederent iisque, qui nulla unquam eius generis monumenta vidissent, tamen de litteratura eorum iudicandi facultatem praeberent, imagines monumentorum integras exhibendas fuisse. Id tamen fieri non potest nisi additis aut coloribus aut certe lucis umbraeque indicatione plena et accurata, qualem v. c. Alphonsi de Boissieu vel Ludovici Perrin imagines affectant et consecutae sunt. Neque enim litterae tantum inscriptionum quales fuerint, sed etiam materia, magnitudo, forma, ornamenta, alia praeterea in monumentis varii generis observanda, quae nunc iam ut diligens eorum editor adnotet exigimus, ex imaginibus quoque discenda erant. Atque fieri sane potest, ut imagines monumentorum epigraphicorum integrae eius modi aut photographae aut delineatae et aeri lapidive lignove incisae proponantur. Quae tamen, si litterarum inde indolem plene discere voles, modulo satis magno proponendae sunt. Eius autem magnitudinis cum imagines paucae sumptu modico parari possint, is eorum numerus, quo ad huius operis utilitatem careri omnino non posse supra diximus, impensam ei concessam longe excedit. Sed ne necessarium quidem est, ut praeter litteras ipsas monumentorum integrorum indoles ac forma, utilis illa cognitu vel adeo necessaria vitae et artis antiquae studiosis, plena proponatur in opere palaeographico. Itaque consilium illud, quod aliis placuit, monumenta integra repraesentandi et depingendi abiecimus.

Accedit alterum. Ne textus quidem, quem dicimus, monumentorum integer aut potuit repraesentari in monumentis magni ambitus multis aut necessarius est ad iudicium de litteratura ferendum in reliquis paene omnibus. Immo satis est in universum non integros titulos exhibere, sed partes tantum eorum. Actorum ambitus per se ipse integra ea repraesentari vetabat; minoris tantum ambitus acta monumentave actis similia integra exhiberi potuerunt. Tamen ne deessent, e quibus de collocatione scripturae universae iudicium fieret, centum octoginta plus minus titulos integros (in quibus tamen insunt breves non pauci) exhibui, quorum indicem infra adieci. Textus monumentorum

Inde duplicem in imaginibus inscriptionum procurandis legem observandam esse apparuit, primum, ut partis monumentorum litteratae solius imagines proponerentur, exceptis monumentis quibusdam moduli minoris, quorum praeter litteras forma externa paucis lineis adumbrari potuit; alteram, ne textus integri exhiberentur, nisi ubi illud certas ob causas necessarium vel utile videretur.

His legibus constitutis illud quoque, qua ratione imagines faciendae essent, quasi sponte sese obtulit. Nulla enim esse potuit dubitatio, quin imagines ex archetypis ipsis ectypisve sive gypseis sive chartaceis inscriptionum bene conservatarum via quam brevissima eademque etiam tutissima, videlicet arte photographica sive phototypica quam dicunt, parandae essent, non libere delineandae quamvis ab artificibus Ratio imaginum

peritis. Ea ratione sola veritatem fidemque imaginum sponderi posse mihi quidem dubium non est, quanquam non ignoro, titulos etiam delineari posse et ex delineationibus in aere lapide ligno incidi satis fideliter. In talibus vero imaginibus varia semper fides erit; id quod probant iuxta Rossii imagines titulorum christianorum perfectas Perrini Lugudunenses aeri incisae eleganter, sed minus, ut dixi, fideliter. Tum illud accedit, quod monumentorum multorum imagines ad verum delineari ne possunt quidem propter locos, ubi extant. Ectypa autem chartacea (et gypsea sive stannea) aut imagines photographae cum sumi possint facili negotio monumentorum tantum non omnium, fundamentum illa imaginum in hoc opere proponendarum solidum atque idoneum praebere iudicavimus.

Delineationes

Tamen ita quoque media quaedam via tenenda erat, propterea quod imagines monumentorum photographas ex archetypis sumptas, si quidem omnino propter mensuras locosque sumi potuerint, saepe nec perspicuas esse et ob lucem deficientem fallere multiplici usu cognovimus, ectypa vero, si arte photographica repetantur (ut ab editoribus quibusdam Francogallis factum esse adnotavimus), chartam magis quam aera lapidesve reddere experti sumus. Accedit quod non ita frequentia sunt ectypa tam perfecta, ut imaginem archetypi integram et plenam reddant. Itaque eam viam tenendam esse in universum cognovi probavique viris aliquot doctissimis harumque rerum inprimis peritis, academiae regiae Borussicae sociis, qui a me rogati de hac imaginum ratione quid iudicarent mecum communicaverunt, scilicet ut ex ectypis chartaceis ipsis delineationes fierent charta dilucida eaeque delineationes arte phototypica in laminas plumbeas transferrentur (zincotypias vocant), quae typis reliquis inseri unaque cum iis imprimi possent. Ubi ectypa deficiebant, imaginibus photographis eadem ratione, sed maiore etiam cum cautione utendum erat, interdum ita, ut arte photographica adhibita modulus earum aut minueretur aut augeretur; quod suis locis indicare non omisimus. Raro denique, ubi archetypa ectypaque adhiberi non potuerunt, imagines ab aliis prolatae, si fide dignae visae sunt, repetendae erant; ea quoque de re ubique diserte monuimus. Interdum imagines iam repetitae erant ante quam ectypa nancti sumus (ut in n. 976); quod si sine veritatis detrimento fieri potuit, imaginibus iam paratis contenti fuimus. Sin minus, tacite novas imagines substituimus. Ubi nihil adnotatum est, ex ectypis chartaceis ratione supra scripta imagines fluxisse scito.

Sed ne sic quidem arte delineatoris plane careri posse apertum est. Multum enim interest, ut is, qui delineat in charta dilucida, sciat quid in monumento fuerit verasque litterarum formas ab eis, quae casu in superficiem eorum inlata sunt, discernat. Singulae igitur litterae singularumque litterarum in maioris moduli inscriptionibus lineae atque particulae accurate ad ectypa delineandae delineataeque singillatim cum illis comparandae sunt. Delineatores me nanctum esse gaudeo idoneos post varia tentamina casusque inexpectatos; optimus enim eorum Augustus Seidemann Dresdensis diem obiit medio in opere novaque opus erat institutione, dum filius in patris locum succederet arte eum aequans. In negotio vero diuturno taediique pleno atque interdum difficili imaginum ad ectypa exigendarum et corrigendarum me adiutum esse ab homine artis delineandi peritissimo, qui imagines faciendas curavit sollertia indefessa, Hugone Bürkner item Dresdensi, grato animo profiteor.

Scripturae imagines

Non illud agimus, ut supra iam dictum est, ut monumentorum ipsorum plenas proferamus imagines, sed in litteris tantum earumque formis repraesentandis versamur, exempla scripturae, non monumenta epigraphica integra prolaturi. Inde consequens est, ut imagines reddamus sine coloris lucis umbrae indicatione, sed consistamus in sola circumlitione, quam *contour* dicimus cum Francogallis. Sane ad scripturam recte iudicandam etiam illud refert, quam profunde quaque omnino ratione incisa sit non ignorare; qua de re infra dicetur plenius. Sed consulendum erat perspicuitati ante omnia et aequabilitati imaginum, neque omnino quae tactu magis quam oculis discernuntur ad verum facile repraesentari possunt. Raro tantum ut scalpturae forma et profunditas aliqua ratione indicarentur (difficile enim est veritatem in his rebus aequare), lineis tenuioribus interpositis litteras distinximus (ut in n. 92 112 288 291 309 522).

Imagines autem mille ducentae plus minus, non multae sane, si conferuntur cum numero inscriptionum omnium in corpore inscriptionum aut editarum aut edendarum ad centum milia prope accedentem, quae tamen sufficere visae sunt, ut ex multo maiore quem congessimus ectyporum numero (qui quattuor milia superat) selegi delineari edi possent, effecit ministerii regii, quod praeest institutioni publicae rebusque sacris, liberalitas ab academia scientiarum Berolinensi commendata. Confidimus ita imagines nos protulisse inscriptionum, quae eam, quam omnino licet exigere, veritatem fidemque praestent; quod monemus, quia aliquot earum primo obtutu videri possunt minus fidae esse. De eis ad archetypa provocamus; quae si comparabuntur omni cura, speramus fore ut pleraque certe vere repraesentata esse inveniantur. Tamen minime negamus nos quoque errori subiectos fuisse itemque eos, quos delineatores nancti sumus homines optime oculatos linearumque et angulorum in inscriptionibus rimatores longo usu maxime edoctos. Ab erroribus enim in titulis legendis, si minima quaeque, puncta, litterarum collocatio, reliqua eius modi respiciuntur, ne peritissimos quidem prorsus cavere posse notum est; idem me docuerunt assiduae ectyporum cum titulis in corpore inscriptionum editis comparationes. Sed errores, quos fortasse commissos esse concedimus, paucos esse existimamus neque tales, quibus universa imaginum nostrarum fides labefactetur.

Scripturae specimina

Monenda deinde quaedam sunt de particulis inscriptionum non integre exhibitarum, quae longe plurimae sunt. Consentaneum est inscriptiones bene conservatas tantum ad litterarum formas recte perspiciendas utiles esse. Itaque etiam e singulis inscriptionibus saepe non aequabiliter servatis nec usquequaque perspicuis ii potissimum versus seligendi erant ad repraesentandum, qui quam integerrime servati lectuque quam facillimi essent. Ubi libera partis alicuius eligendae optio data erat (non raro autem respicienda erat praesens condicio monumentorum), initium saepissime elegi, titulorum potissimum. Integerrima enim non ubique, sed saepe initia sunt, maioribus illa praeterea melioribusque non raro litteris scripta quam reliqua. Initia praeterea etiam ideo repraesentanda elegi frequentissime, quod facillime ex initiis tituli ipsi agnoscuntur. Deinde si qua in eodem monumento varie scripta extant, ea quantum fieri potuit iuxta exhibenda curavi; interdum ubi formae quaedam litterarum singulares scripturave non communis praesto erat, eas repraesentandas selegi. Sane exempla non ita eligi potuerunt, ut forma unius cuiusque litterae totius alphabeti in eis appareret; sed tamen ita ea quantum fieri potuit composuimus, ut invicem se supplerent et explicarent. Subieci autem paene ubique textum titulorum integrum ea, qua nunc fieri solet, ratione scriptum litteris minusculis, compendiis vero et abbreviationibus solutis. Longum enim visum est ambagibus variis indicare, cuius generis essent quidve praeterea continerent monumenta, unde exempla desumpsimus, id quod necessario indicandum erat. Argumentum enim ad litteraturam recte aestimandam magni ubique momenti esse neque ullo modo neglegi posse supra iam vidimus. Quod textum ubique subicere potuimus exemplis scripturae neque in tabulis composita nuda exhibere coacti eramus sine interpretatione cum magna etiam peritorum incommoditate, id confidimus eis quoque usum huius syllogae commodum reddere, qui epigraphicae Romanae minus periti sunt. Sprevi enim semper superbam istam taciturnitatem eorum, qui quae ipsi longo usu norunt ab aliis quoque ut sciant exigere solent. Nec facile etiam periti de scriptura inscriptionum iudicaturi longam voluminum corporis inscriptionum Latinarum seriem in manus sumere et propter singulos titulos evolvere volent.

Aliter in actis agendum erat. Ibi initiis monumentorum, quae ne servata quidem sunt in multis (veluti in Arvalicis), plerumque spretis medio e textu specimina litterarum desumi potuerunt, ratione habita vel perspicuitatis tantum vel singularitatis scripturae. Diplomatum militarium quidem initia plerumque repraesentari potuerunt; tamen etiam aliae non nullae eorum particulae repraesentandae visae sunt. Etiam in textu actorum adscribendo propter ambitum eorum et argumenta saepe sive aequalia sive similia (ut in diplomatis, quae modo dixi) alia ratio sequenda erat atque in titulis: in particulis eorum parvis, quae ad exempla proposita recte intellegenda plane necessariae visae sunt, subiciendis conquiescere potuimus.

Aera minora similisque generis monumenta exigua integra exhibui; e titulis eos tantum, qui propter versuum dispositionem, litterarum mensuras diversas, alia id genus, honorem illum mereri visi sunt.

dulus ma- num

Utile sane et commodum fuisset, si exempla omnia uno eodemque modulo repraesentari potuissent. Qui monumenta integra repraesentanda sibi sumit, ei moduli aequalitas inprimis appetenda est. Propter palaeographiam vero illa neque in monumentis maximis — operum tectonicorum dico titulis — neque in parvis eis retineri potest, quae magnitudine vera repraesentari nequeunt: haec enim nimis pusilla, illa multo quam libri forma sinit maiora evasissent. Itaque qui scripturae ante omnia indolem persequitur, in modulo adhibendo et debet paene necessario variare et potest. Inscriptiones nonnullas scriptas litteris minusculis modulo interdum maiore quam reliquas visum est repraesentare, ut indoles scripturae facilius perspiceretur. Variatum in modulis huius operis est ita, ut mediae cuiusdam mensurae tituli simili modulo ($\frac{1}{8}$ ad $\frac{1}{10}$) exhiberentur, acta maiore ($\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$); aera minora similiaque vero; reliqua monumenta vario secundum scripturae genera et varietates. Modulus is ubique indicatus est in exemplorum singulorum praescriptionibus. Accidit in delineationibus aliquot per phototypiam quam vocant reddendis, ut propter varias rationes is quem volueram modulus prorsus accurate obtineri non potuerit; indicavi ibi eum *c(irciter)* tertiam quartam aliamve veri partem repraesentare.

Verae autem ubique mensurae adscriptae sunt margini exemplorum dextro, quae si recte de scriptura iudicare velis, curiose respiciendae sunt. Indicavi mensuras millimetris quae vocamus, cum centimetra in minoribus potissimum non sufficerent. Sed in maioribus id tenendum est, ectypa chartacea non raro propter chartae crassitudinem a vera mensura millimetris singulis binisve differre; quae discrimina parva indicare supersedi. Eorum quoque quae magnitudine vera repraesentata sunt modulum indicavimus. Nam imagines photographae, etiamsi photographum iusseris veritatem mensurae aequare, tamen differunt aliquantisper. Veram igitur mensuram ubique numeri, non imagines indicant.

III

VSVS

In exemplis in hoc opere propositis recte adhibendis id ante omnia non est obliviscendum, quot qualiaque monumenta omnino repraesentari potuerint quibusque de causis singula selecta sint: qua de re infra in praefationibus partium singularum dictum est accuratius. Hic in universum monuisse sufficiat ea quae sequuntur.

xem- lorum lectus

Atque primum quidem termini huic operi positi ii sunt necessario, quos corpus inscriptionum Latinarum habet. Scilicet exclusis aetatis liberae rei publicae monumentis, quae Ritschelii opus illustrat, a Caesaris morte ad Iustinianum inscriptiones complectitur proprie ita appellandas omnes. Excepta vero sunt genera inscriptionum duo: alterum, ut supra iam dixi, earum, quae litteris cursivis pictae et scariphatae sunt, alterum sepulcralium potissimum hominum tenuioris condicionis christianorum, quarum multitudinem Rossii Le Blantii mea volumina comprehendunt; a quibus repetendis cur tuto potuerimus abstinere accuratius infra expositum est (p. 237). Praeterea titulorum instrumento quod dicitur domestico adscriptorum selecta tantum specimina proponere potuimus, quod infra et explicabitur et excusabitur. E materia quae restat his seclusis nihilo minus vastissima multa me invitum omisisse propter causas diversas supra narravi. Quae elegi exempla post multas non raro dubitationes, cum saepe abundarent quae exhibenda viderentur nec tamen omnes, quas observare licet, varietates possent repraesentari, fidam et plenam praebere effigiem scripturae epigraphicae Romanae, qualis per saecula aerae nostrae quinque priora fuerit, disciplinae epigraphicae periti, uti spero, concedent. Siqua desiderabuntur, causas cur proferri non potuerint idoneas fuisse, etiamsi fortasse non ubique exponi potuerunt, rogo ut mihi credatur.

xem- lorum usus

Exempla quem ad modum selecta et ad archetypa delineata sint, supra diximus; secundo loco hic, quomodo iis utendum sit, exponemus. Habet autem ratio, quam secuti sumus in exemplis repraesentandis et inprimendis id quoque commodi, quod opus non fuit tabulas seorsum a textu in fine iunctas collocare, quas qui adhibere volet, textum continuo evolvere debet. Sed textum dedimus reliquorum corporis voluminum similem, cui imagines intercalatae sunt, ita ut quidquid necessarium est ad exempla intellegenda recteque adhibenda uno loco coniunctum sit facileque perspici possit. Praescripsimus igitur pauca de origine monumentorum, de locis ubi serventur, de modulo exemplorum. Ad imagines ipsas adscripsimus a parte sinistra annos, quibus monumenta tribuenda sunt, ubicunque fieri potuit; a parte dextra mensuras litterarum veras. Subscripsimus corporis inscriptionum volumina numerosque, ubi monumenta edita sunt; ubi illa adhuc deficiebant, editiones vel optimas vel recentissimas vel eas, quae facile parari possunt. Addidi adnotationes in universum paucissimas, quibus temporum indicationes, ubi necessarium esse videbatur, probarentur scripturaeque varietates illustrarentur.

Illud quoque curavimus sedulo, ut exempla omnia eadem ratione in paginis operis disposita sint neve volumen vertendum sit ad commode legenda ea; unde ne paginarum spatium latitudine excederent exempla cavendum erat.

Praefationes

Tertio loco hoc addendum est. Ex eis exemplis solis, quae infra proposita sunt, plene de titulorum certae aetatis regionisve litteratura iudicari nondum potest. In censum praeterea vocandi sunt necessario tituli reliqui illis similes, qui omnes repraesentari non potuerunt. E quibus eos potissimum respexi, quorum ectypa ad manus erant; nam quae de reliquis adnotavi a me visis, quanquam et ipsa interdum utilia fuerunt, tamen cum tituli illi denuo comparari non possent, memoria autem oculorum soleat egregie fallere, raro tantum in usum vocavi. Itaque in praefationibus, quae singulis operis partibus praemissae sunt, quam brevissime de illis relatum est; interdum etiam monumentorum aliquot eiusdem generis deperditorum mentio facienda erat. Quae ibi adnotantur, necessario cum exemplis ipsis diiudicandis coniungenda sunt. Scio equidem non multos fore, qui comparationem eam instituere aut velint aut possint; non enim cuivis aut archetypa aut ectypa inspicere licet. Sed qui musea epigraphica cisalpina et transalpina adire possunt, eis materiam comparandi indicare meumque iudicium comprobare volui. Sylloge autem ectyporum ad hoc opus elaborandum parata cum pateat studiosis epigraphiae Romanae, qui hanc urbem incolunt adeuntve, meum esse putavi testimonia indicare omnia, quibus ratiocinationes et iudicia a me exposita nitantur. Indicavi in praefationibus accurate et plene numeros eos, quos tituli illi a me visi aut quorum ectypa servamus in corporis inscriptionum voluminibus obtinent, seduloque cavi, ne cum huius operis numeris confunderentur.

Ordo operis

Universi operis dispositionem temporum ante omnia successiones sequi, uti consentaneum est, supra iam monui. Sed praeter titulorum actorumque discrimen, de quo item iam diximus, illud etiam minus aptum videbatur, ut tituli unius cuiusque aetatis ex omnibus regionibus coniuncti proponerentur. Quanquam enim scripturam epigraphicam in universum mira fuisse constantia videbimus, tamen regiones diversae proprias quasdam consuetudines ut in vita reliquisque institutis, ita etiam in monumentorum forma et litteratura secutae sunt. Unde cum temporum regionum quoque discrimina sequenda erant. Quibus praeterea ex considerationibus partes capita paragraphi distributae sint in universum proximo prolegomenon capite exponam, singillatim vero praefationes unicuique operis particulae praemissae docebunt. Intra particulas singulas tituli ubique dispositi sunt secundum tempora, ita ut certis annis tribuendi praecedant, sequantur monumenta ea, quae probabili ratiocinatione cum reliquis coniungi possunt. Qua in ratiocinatione errores inesse posse minime nego. Neque enim e litteratura inscriptionum sola, ut iam supra diximus, sed adhibitis omnibus eis

rebus, quae ex interpretatione singulorum monumentorum sumendae sunt, tempora definiri possunt aliqua cum probabilitate. In infimae tantum aetatis monumentis, quae pauca omnino exhibui propter rationes infra expositas, a temporum successione interdum recedere aptius visum est. Quodsi e monumentis mihi non notis fortasse errorum convincar, ipse omnium primus errorem fatebor et edoceri me patiar; minime enim ignoro usu constanti edoctus, quam incertum sit de titulorum aetate iudicium, nisi indicationibus in textu eorum obviis adiuvamur. Tutius sane fuisset opus non antea ad finem perducere quam corporis inscriptionum partes omnes absolutae et editae essent. Non raro enim inexpectata proveniunt, quae leges adhuc inventas ne dicam evertere, sed mutare tamen vel certe emendare possunt. Tamen rationes graves non sinebant opus diu paratum diutius in scriniis retinere; quod mea quidem voluntate multo iam prius editum esset, nisi imaginum delineandarum difficultates multorum annorum laborem necessario exegissent. Quae exhibui quanquam, ut dixi, non plena sunt omni ratione, tamen si adhibentur coniuncta, quae propter dispositionis necessitatem seiuncta edita sunt, sufficient ad quaestiones de aetate titulorum plurimorum solvendas. Ut eiusdem aetatis indolis originis monumenta, si opus esset, coniuncta adhiberi possent, conspectu operis indicibusque temporum et locorum adiectis effectum esse intellegent, nisi fallor, qui opus consulent.

Quem ad modum opere utendum sit, indicavimus. Itaque iam exponendum est, quo modo materiam vastam tractaverim disposuerim ediderim; quod cum a nullo alio antea factum sit, via ipsa, qua ingrediendum esset, reperienda erat.

CAPVT TERTIVM

DE INSCRIPTIONVM GENERIBVS EORVMQVE SCRIPTVRA VARIA

I

SCRIBENDI ARS

Scribendi ars a Phoenicibus ad Graecos, a Graecis ad Romanos propagata initio aequabiliter tam usui privato inserviebat quam sacro publicove. Aequabili sine dubio artificio litterae in ligno et in cera exarabantur, in calce argillave et in metallis incidebantur, in lapidibus denique sculpebantur. Unde antiquissimis certe temporibus atque in ipsis scribendi artis incunabulis unam tantum fuisse scripturam certum est. Ex materia diversa ad scribendum adhibita sane formarum discrimina quaedam oriunda erant necessario. Quae in cera aut in argilla nondum cocta vel in calce adhuc uda stilis ligneis effingebantur signa paullo rotundiora evasisse consentaneum est, quam quae stilis acutioribus vel acubus in argillam coctam calcemve iam duram inlata sunt. Qui in metallo durissimo una cum aliis signis litteras caelavit, quae percutiendo deinde incuderentur nummis, laboris sine dubio maioris et profundioris vestigia in ipsis litterarum formis necessario reliquit. Postquam carbone cretave delineandi, penicillo colores in tectorium album tabulasve ex ligno dealbatas inferendi, calamo denique et atramento in tabellis papyris membranis scribendi artificia accesserunt, haec quoque propriam litterarum formis indolem impertiebant. Graeci usque ad Alexandri Magni fere tempora paene uno eodemque litteraturae genere, satis minuto illo neque vero elegantia quadam carente, sed tamen nec perquam artificioso nec pulchro admodum, utpote ne invento quidem ab ipsis, sed a gente peregrina allato nec multa cum cura exculto, tam ad libros actaque publica privataque scribenda videntur usi esse, quam ad monumenta titulis ornanda; quod docent tituli Graeci aetatis antiquissimae. Eandem fere etiam nummi Graeci exhibent antiquissimi scripturam nec facile, si chirographa tantae extarent antiquitatis, dissimili illa prorsus litteratura fuisse invenirentur. Ita Romanorum quoque monumenta scripta antiquissima, ea fere, quae prima operis Ritscheliani pars complectitur[1]), aeri potissimum inscripta minora, scribendi genere utuntur in ipsa ruditate paene aequabili neque a nummorum scriptura multum diverso. Saeculo demum urbis sexto, ante Christum natum fere tertio, cum reliquis vitae Graecae ornamentis etiam aedificia monumentaque titulis ornandi consuetudo ex Graeciae Asiaeque urbibus, ubi peculiaris illa ars primum videtur effloruisse, Romam translata est.

II

INSCRIPTIONVM GENERA DVO

Inscriptionum vocabulo notum est duo comprehendi monumentorum genera origine diversa, re vero et usu, ut consentaneum est, non ubique seiuncta, titulos, qui Graecis ἐπιγραφαί sunt et ἐπιγράμματα, nobis *Aufschriften,* et acta, Graecis γράμματα simpliciter, nobis *Urkunden.* Prioris generis inscriptiones sive tituli cum per se non stent nec satis intellegantur, sed partem efficiant necessariam earum ad quas pertinent rerum operum monumentorum, earundem etiam, ut expectaveris, artem in universum et ipsi sequuntur. Videlicet in monumentis magnis et arte perfecta absolutis scriptura titulorum magna et perfecta est, in rebus minoribus minore et arte et cura factis titulorum quoque forma

[1]) PLME tab. I—XVII; adde ephemeridis epigr. I p. 77 ss. p. 153 ss. II p. 198 ss. quaeque ab Henrico Iordan tractata sunt in libro *kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache,* Berol. a. 1879, p. 3 ss.

eandem fere et artem et curam exhibet. Quae vero alterum inscriptionum genus efficiunt acta, cum scripta proprio quodam consilio atque ita comparata sint, ut quovis modo servata seorsumque exhibita per se ipsa intellegantur, propria etiam scribendi arte uti consentaneum est. Sed sensim tantum aetate procedente duo illa inscriptionum genera diversa quoque scriptura uti coeperunt. Ad leges senatus consulta acta publica privataque perscribenda eo fere scribendi genere uti perseverarunt Romani, quod eisdem temporibus etiam ad libros scribendos adhibuisse putandi sunt. In monumentis vero eis, quae artis tectonicae legibus parent, litteris uti incipiebant maioribus, accurate delineatis pictisve, fabrili arte non spernenda sculptis caelatisve. Unde iam Ritschelius in reliquo opere suo recte distinxit tabularum aerearum scripturam [1]) ab inscriptionibus lapidum [2]). Sed etiam inscriptiones illae in lapidibus sculptae non statim ad artis perfectionem evectae sunt. Antiquissimae eius generis, arae luci Pisaurensis (CIL I 167—180; PLME tab. XXXVI XLIII XLIV), inter titulos sepulcrales Praenestinos (CIL I 74—165. 1501 *a*—*d*; ephem. epigr. I 25—131 PLME tab. XXXVI XLV—XLVII) vetustissimi, Furiorum sepulcra Tusculana (CIL I 65*a*—72 PLME tab. XLIX *A*), mensura tantum, vix autem forma et elegantia litterarum a tabularum laminarumque aerearum scriptura differunt. Rotundae potissimum litterae litterarumve particulae in monumentis illis non satis eleganter formatae sunt; anguli acuti, non recti, lineaeque eorum saepe non satis cohaerentes, versus non ad regulam directi evaserunt. Scilicet nec instrumenta satis apta habuisse putandi sunt lapidarii illi vetusti ad litteras accurate et delineandas pingendasve et sculpendas, nec exempla noverunt idonea Graeca, quae imitarentur. In Scipionum vero elogiis (CIL I 29—39 = VI 1284—94 PLME tab. XXXVII—XLII), in basi Martis urbana (CIL I 190 = VI 476 PLME tab. L *D*), in Tusculana M. Furii tribuni militaris (CIL I 63. 64 PLME tab. XLIX *B C*), in fragmento Lanuvino (CIL I 61 PLME tab. XLIX *E*), sensim artem procedere litterasque cum magnitudine etiam aequabilitatem et elegantiam adquirere cernimus. Per saecula deinde urbis sextum septimumque pedetentim ars ad eum adscendit gradum perfectionis, qua Caesaris Augusti aetas insignis fuit.

III

SCRIPTVRA MONVMENTALIS

Quae inde ab aetate illa quam dixi ad monumenta inscribenda usurpari solebant litterae maiores et artificiose delineatae quadratae dictae sunt. Apparet hoc ex scriptorum, Petronii potissimum, inscriptionumque testimoniis, quae infra exhibebimus suis locis (p. XXVI) plena: *saxa quadrata, lapis quadratus, opus quadratum, opifices quadratarii* vocabula artis sunt sollemnia, unde nomen scripturae in opere illo ab opificibus adhibitae et sculptae fluxit. Atque mansit vocabulum etiam posteaquam forma scripturae quadratae cum reliquis actuaria et vulgari paene confusa est; nulla enim aetate prorsus deficiebant monumenta artis tectonicae titulis illustranda, in quibus sculpendis ars quadratariorum exercebatur.

A quadratariorum usu praecipuo litterae illae etiam lapidariae dictae sunt, ut idem testatur Petronius, apud quem ex conlibertis Trimalchionis unus gloriatur *scire se litteras lapidarias* (c. 58): scilicet reliquis lectu faciliores. In quadratae igitur scripturae formis progressu varietate accurate persequenda sita est ars omnis monumentorum litteras recte aestimandi; unde brevitatis causa scripturam illam in hoc opere monumentalem dicere licebit.

IV

SCRIPTVRA ACTVARIA

Quaecunque ut publice proponerentur conscribi opus erat, ea Romae inde ab antiquissimis temporibus in opere tectorio vel in tabulis dealbatis atramento scribebantur. Ita calendis unius cuiusque mensis feriae a pontifice indictae, ita quotannis magistratuum annuorum nomina publice proposita atque alia quaedam, quae populum scire intererat, prodigia potissimum et similia, a pontificibus perscripta esse constat; unde annales maximi, qui vocabantur, originem ceperunt. Simili modo olim leges senatus consulta edicta magistratuum proposita sunt. In lege Iulia municipali illud inter alia praecipitur ex more sine dubio vetusto, ut quae nomina civium in tabulas publicas relata erant, *in tabula in album* referantur *idque aput forum ..... cottidie maiorem partem diei* proponatur, *unde de plano recte legi possit* (CIL I 200 v. 13 ss.). Quae omnia consentaneum est litteris maioribus et perspicuis exhibita esse, scilicet ut 'de plano recte legi' possent; unde non calamo minutim scripta, sed penicillo picta fuisse credenda sunt. Ita in parietibus aedificiorum Pompeianorum indictiones varii generis, locationes venditiones proscriptiones et similia, candidatorum nomina, acclamationes, programmata ludorum aliaque, quae publice proponebantur, colore rubro nigrove litterisque grandibus videmus esse picta. In sepulcris quoque nomina defunctorum olim colore tantum picta erant. Deinde quae privato usui inserviebant, vasculis amphoris doliis cretaceis inscripta, picta esse solent penicillo, non calamo scripta. Ex litterarum pictarum usu late extenso genus aliquod peculiare sculptarum originem duxisse infra exponetur. Litterarum autem formae sive pictae olim sive calamo scriptae ei scripturae peculiares fuerunt, quae ad acta scribenda sculpendaque adhibebatur; unde actuariam eam appellavi.

Exempla vero infra disposita secundum duo inscriptionum genera primaria, monumentorum et actorum, non alterius tantum scripturae sed utriusque interdum testes sunt. In monumentis enim non raro actuariam scripturam videbimus adhibitam esse, in actis praescripta capitumque inscriptiones monumentalem scripturam exhibent. Sed tamen in universum ipsa magnitudine artisque perfectione facile distinguitur scriptura monumentalis magnifica et grandis, curiose delineata, alte insculpta, post scalpturam minio picta, quam in prima huius operis parte illustravimus, ab actuaria minuta, leviore scalpro incisa, interdum a graphio scripta sive litteraria vix diversa; in altera hac actorum scriptura quae occurrunt litterae monumentales ex illa facile explicabuntur.

Qualis scripturae formis Plautus Enniusque, Cato et Gracchi usi sint in fabulis poematis historiis orationibus conscribendis aut editorum bibliopolarumque scribae, qui scripta virorum illorum in volumina redegerunt usui privato destinata, nullis sane testimoniis constat. Etiam pauca illa, quae de Augusti Neronis Titi chirographis Suetonius memoriae tradidit (Aug. c. 87 Nero c. 52 Titus c. 3), de litterarum ab eis adhibitarum formis nihil docent. Tamen probabili coniectura statui potest, litterarum formas in libris cum cura scriptis primum magnitudine tantum ab actorum monumentorumque diversas fuisse, deinde libertate ductuum aliquanto maiore, quam calamorum gracilitas et atramenti usus gignebat. Neque putanda est scriptura illa voluminum, constanti scribarum consuetudine propagata, per proxima saecula

Scriptura litteraria

[1]) PLME tab. XVIII—XXXV.
[2]) PLME tab. XXXVI—XCVI.

multum variasse. Immo etiam per priora aetatis imperatoriae saecula duo idem fere χαρακτήρ scripturae eius mansisse, maior tantum in universum elegantia videtur accessisse: nam eandem in universum aequabilitatem, in singulis varietatem legum actorum carminum in lapidibus aeribusve nobis servatorum scriptura monstrat; quod exemplis infra proponendis singillatim illustrabitur. Actorum haec scriptura e litterarum usu communi derivata infra litteraria breviter a nobis dicetur.

V

SCRIPTVRA VVLGARIS

Tribus autem hisce scripturae generibus, monumentorum actorumque sive quadratae sive pictae voluminumque, quartum accedit privati usus arteque nulla celeriter perfectum, scilicet stilo graphiove in cera primum, deinde etiam in argilla nondum cocta aliave materia molliore exaratae. Eam scripturam a currenti stilo cursivam dicere consuevimus vocabulo novicio quidem sed commodo. Exempla eius adhuc servata tenemus tabellas ceratas Pompeianas et Dacicas, tabellas aliquot plumbeas devotionis, tegulas a pueris fortasse aut inter opus ab operariis otiosis inscriptas, item scariphata in tegulis, in patellis cretaceis aliisque supellectilis domesticae varii generis rebus ex auro argento aere plumbo stanno factis. Notum est exempla scripturae cursivae plurima praebere inscriptiones graphio scriptas vel acubus cultellisve aliisve instrumentis acutis exaratas in parietinis non Pompeiorum tantum urbiumque Campaniae reliquarum Vesuvii montis eruptione dirutarum, sed etiam Romae ipsius aliorumque oppidorum vetustorum non paucorum. Ea vero scriptura cum plene tractata sit in corporis volumine quarto, cuius supplementum propediem in lucem proditurum esse audio, ab hoc opere in universum erat excludenda: comparationis tantum gratia ad eam respiciendum est suis locis.

Abusu vero quodam eadem scriptura ex vitae quotidianae consuetudine translata est in monumenta et acta. Per se enim minime aptae erant scripturae cursivae formae graciles et longiusculae, quae scalpendi opificio in materiam duram inciderentur. Tamen in actis longioris ambitus lapicidae caelatoresve neglegentia quadam vel festinatione operis, vel etiam propter exemplorum scriptorum, quae ante oculos habuerunt, similitudinem non raro cursivas litterarum formas imitati sunt. Praeterea easdem etiam in monumentis privatis potissimum sive sacris sive sepulcralibus non magni moduli satis frequenter adhibitas reperiemus. Praeterea eisdem de causis non raro accidit inde a primo fere aerae nostrae saeculo, ut litterae cursivae singulae admixtae sint scripturae monumentorum quadratae. Atque etiam eius scripturae, quam calamis et atramento in papyros membranasve inferebant, formae quaedam in lapidariam translatae sunt vel casu vel neglegentia celeritateque sculpendi. Ex certis denique imperii regionibus emerserunt adeo tituli integri scriptura illa librorum, quam uncialem dicimus, exarati. Haec omnia litteraturae nec proprie monumentalis nec litterariae genera uno vulgaris scripturae nomine comprehendere visum est.

Restat quinta scripturae forma, quae nummorum propria fuit cuiusque indoles a reliquis diversa inde originem cepit, quod litterae in nummis adhibitae eodem malleo quo reliqua in typis eorum repraesentata in matrice incisae in metalla incudebantur; id quod dilucide, ut solet, Eckhelius exposuit (Doct. numm. I p. LVIII ss.) Minimi igitur moduli litterae scalpello in matricem incidendae erant accuratius et profundius plerumque, quam lapidi aerive insculptae minores. Nummorum autem litterae ut in liberae iam rei publicae nummis variant secundum aetates locos artem, ita etiam per saecula inde ab Augusto sex septemve non leves subierunt vicissitudines. Quae quales fuerint ut ex ingenti, quam adhuc tenemus, nummorum multitudine accuratius enarretur satis multas exigit imagines delineatas atque peculiarem postulat tractationem, quam ab hoc opere necessario seclusimus. Raro autem in anulis gemmisque, in figlinarum quarundam titulis, deinde etiam in paucis quibusdam monumentis aereis parvis scripturae formae observantur ad nummariam litteraturam aliqua ratione accedentes. In universum scriptura nummaria ab epigraphica facile distinguitur; unde illius tractatio accuratior abesse potest ab opere, quod in hac sola explicanda versatur.

Scriptura nummaria

VI

MATERIAE DIVERSITAS

Tria illa scribendi genera, monumentale actuarium vulgare (nam litterarium et nummarium intra huius operis fines non cadunt), cum liberae iam rei publicae temporibus, ut dixi, differrent, tum maxime aetate imperatoria multo magis distincta atque seorsum exculta esse consentaneum est. Quae ad materiae, in qua litterae inscribebantur, diversitatem referri solet scripturae diversitas, ea ratione multo certiore ad generum illorum, quae distinximus, varietatem ex argumentorum diversitate derivandam referetur. Verum quidem est, aliud scripturae genus aptum esse marmori laevigato, aliud lapidi rudi sed minus duro aut vivae rupi; aliud auro argento aeri plumbo, aliud ligno ebori ossive; aliud denique cerae aut argillae. Ipsa enim scalpendi ars, ut infra apparebit, necessario variat secundum materiam, in qua exercetur. Sed tamen in eodem marmore simul adhibitam interdum observare licet eam scripturam, quam propriam esse monumentorum tectonicorum videbimus, eamque, quae in actis usurpabatur; item, ut iam supra monui, scripturae cursivae calamove exaratae formas interdum in monumentis reperimus iuxta quadratas positas. Itaque quanquam verum est, ad scripturae diversitatem excolendam olim materiae diversitatem necessario contulisse, tamen postquam extiterunt atque iuxta usurpata sunt scripturae genera illa, quae dixi, diversa, plerumque ea secundum argumentorum tantum, non secundum materiae diversitatem adhibita sunt. Vincit enim ars materiam quamvis asperam, quaeque inveniuntur scripturae diversitates in universum non casui tribuendae sunt nec operarum inscitiae, sed certo consilio certaeque consuetudini.

Duplex igitur in universum materia nobis proposita est tractanda: scriptura primum monumentorum, quam breviter monumentalem appellamus, deinde actorum, quae eadem fere etiam librorum erat quamque actuariam propterea nominamus. A monumentorum autem scriptura propria pictae cursivae uncialis scripturae exempla distinguenda erunt, quae scripturae quamvis monumentalis speciem vulgarem exhibent; unde iuxta monumentorum actorumque puram vulgares in eodem inscriptionum genere formas pervestigabimus. Monumentalis scripturae vero et propriae et vulgaris formas non satis certo interdum discrimine distingui posse non est quod miremur: scriptura enim suapte natura locum quasi medium occupat inter artem veram opificiumve atque consuetudinem vulgarem; unde etiam artis fines non raro aut non attingit aut transgreditur.

Duo autem scribendi illa genera praecipua, monumentale et actua-

rium, quas diversitates exhibeant singulis inde a C. Caesaris dictatoris morte temporibus quasque similitudines, qua ratione in singulis regionibus iuxta adhibita atque interdum commixta, quo denique modo, ut olim una ex radice prodierunt, ita sensim denuo in unam fere aequabilemque scribendi cousuetudinem coaluerint, postquam scripturae monumentalis formae paene exoleverunt, cursivae vero etiam ad libros actaque pervenerint, id exemplis in hoc opere propositis singillatim demonstrandum suscepimus. In quo opere nihil fere me prolaturum esse scio, quod doctrinae epigraphicae peritis plane ignotum sit; sed cum pauci tantum operam collocare possint in hac disciplina penitus cognoscenda, meum erat quae alii ipseque observavissemus quantum fieri posset colligere disponere explicare.

CAPVT QVARTVM

DE SCRIPTVRAE EPIGRAPHICAE GENERIBVS ET OPIFICIO

I

SCRIPTORES INSCRIPTIONVM

Qui scripturae epigraphicae formas varietates vicissitudines penitus perspicere volet, ei qua illa ratione originem ceperit novisse necessarium est. Litterae autem qua arte quove opificio lapidibus sive aeri aliive materiae insculptae sint, testimoniis quidem plenis et disertis traditum non est, sed coniectura paene certa cum ex earum ipsarum formis cognosci potest, tum indicatur magis minusve perspicue vocabulis eis, quibus ars illa quique eam exercebant appellantur apud scriptores veteres sane perpaucos atque in aliquot inscriptionibus.

Titulos scribere

Frequenter tam a scriptoribus quam in ipsis inscriptionibus scribendi vel inscribendi adscribendi conscribendique vocabula usurpata sunt ita, ut incertum maneat, utrum referenda sint ad eorum virorum operam, qui exempla scripta tradebant lapicidis ad incidendum, an ad eorum ipsorum, qui titulos in lapidibus scribebant. Recte hoc iam Edmundus Le Blant observavit, cum de christianorum potissimum titulorum scriptoribus ageret[1]) docte, ut solet, et accurate. Sed ad titulorum non christianorum multitudinem in transcursu tantum respexit, atque accesserunt testimoniis ab eo collectis per hos viginti quinque fere annos alia non pauca. Unde hoc loco ea visum est componere omnia, quia, quidquid iudicetur de singulis, in universum illud doceant, artissimam, ut consentaneum est, necessitatem fuisse inter scribendi artificium in cera papyro membrana exercitatum atque in lapide aereve.

Atque primum scribendi vocabulum simplex tam ad lapides et aera aliamque materiam epigraphicam referri quam ad ceras et volumina, praeter scriptorum optimorum usum[2]) ipsa formula illa docet nota *q(uae) i(nfra) s(cripta) s(unt)* cum similibus in titulis vix minus frequens quam in legibus iurisque libris aliisque instrumentis publicis privatisque. Receptam eam esse notum est in earum formularum numerum, quae litteris singularibus certis solebant indicari (quanquam etiam perscribebatur, ut CIL VI 18631); unde exempla eius adscribere supervacaneum est. Scribendi autem vocabuli in inscriptionibus usurpati exempla haec habeto.

In dedicatione quadam Romae anno p. C. 5 a magistro collegii alicuius posita ii memorantur, [*quorum n*]*omina scripta sunt qui in hoc* [*templum contulerun*]*t* (CIL VI 813). Atque paene sollemne id fuisse tituli docent urbani (CIL VI 212 a. 181; 222 alii) in quibus *quorum nomina in ara, in tabula aerea scripta sunt* et similia frequenter legimus. Simpliciter item *titulos scripsisse* vel *scripsisse* nude dicuntur superstites in titulis aliquot sepulcralibus urbanis (CIL VI 9102 = IN 6833 ubi *libertarum et famil*[*iae*] alicuius nomine servi duo *titulos duo scriptos d(e) s(uo) d(ant)*; CIL VI 10761 11131; Mur. 1513, 11 in carmine *cari scripsere sodales*) et provincialibus (CIL II 391 416 738 3222; III 79 80; V 7160; VIII 2026 2874 3286 3727 4120). In *exemplo epistulae Sex. Fadii Secundi Musae* Narbonensi haec leguntur: *in basi statuae quam mihi posuistis* [*latere de*]*xtro scribatis impensissime peto* (Henzen 7215 infra n. 1100). *Titulum posuisse litteras scripsisse* Eros servus duorum Augustorum dicitur in titulo Veronensi (CIL V 8856). Alii *titulum scribendum curavisse* feruntur (CIL III 4836; VIII 684 4410; Marini Arv. p. 576, titulus est Forosemproniensis) aut *scripturam tituli* monumento *superscripsisse* (CIL VIII 4381). Alibi *superposito titulo supra ostium* monumenti *scriptura* dicitur *contineri* (CIL VI 8861 = Or. 4821). Item *titulum cum scriptura t(estamento) d(edit)* defunctus (CIL III 5196) ipseque titulus *haec scribtura postrema* appellatur (CIL VIII 2756).

Adscribere inscribere conscribere

Similiter deinde adscribendi inscribendi conscribendi vocabula usurpantur; inscribendi maxime sollemne fuisse et per se intellegitur et constat ex Ciceronis aliorumque scriptorum usu verbi ipsius et substantivi inde derivati, quod est inscriptio. In titulo sepulcrali aetatis Vespasianae sodales collegii alicuius funeraticii urbani *nomina adscripserunt decurionum ea quae infra scripta sunt* (CIL VI 10350). *M. Aurelius* aliquis *Augustorum libertus Frontinianus* titulum *inscripsit sibi et suis* e. q. s. (CIL VI 9012). Viatori poeta aliquis dicit *quamvis inscriptum ferali carmine saxum saepe legas* (CIL VI 10493; infra n. 1128). *Qui in hac ara inscripti erunt* memorantur in titulo musei Vaticani *Claudiae Augusti libertae Opsequentis* (Mur. 996, 7). *Regilla* quaedam monumentum *fecit sibi*, [*et eis quorum nomina p*]*ostea in titulo inscribi*, [*qui est in hoc mo*]*numento, testamento significabo* (Mur. 1556, 8). *Ti. Claudius* aliquis *Pannychus* annos se habere dicit LXXXVI *'cum inscriberem aram'* (CIL VI 15488). *T. Flavius Augusti libertus Alcon* in titulo sepulcri gentilicii haec adscripsit *'vivi vivis dedimus, inscribi iussimus'* (Fabr. 320 433). Sic *nomina* aliave *inscripta* non

---

1) *Sur les graveurs des inscriptions antiques, extrait de la Revue de l'Art chrétien*, Parisiis 1859 (15 pp.) 8.

2) Cuius sufficiat unum proferre exemplum Varronis, qui de re rust. II 11, 10 *tonsores in Italiam primum ex Silicia venisse* ait *post Romam conditam anno CCCCLIIII, ut scriptum in publico Ardeae in litteris extat.*

raro legimus in titulis (veluti CIL VI 16664 II 1222 3534; III 633 I 2 II 3 3524; VIII 2438), vel *litteris inscripsisse* aliquem, ut in titulo qui extat in rupe Alpium Carnicarum (CIL V 1863); aut *aram infra scriptam vivus sibi inscripsit*, ut est in titulo Lugudunensi (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 199); et in christiano urbano *inscripsit tibi virginius tuus* (Fabr. 323, 442). In carmine sepulcrali saeculi quarti versus legitur hic: *haec mater et genitor conscribunt carmina busto* (Grut. 1052, 10).

Etiam *arandi* vocabulum pro *exarandi* usurpatum in carmine sepulcrali urbano *Flaviae Nicopolis* saeculo secundo scripto, in quo haec leguntur '*quid noster aratus* | *sit lapis*' (CIL VI 18385 Meyer anthol. n. 1477), idem atque scribendi inscribendique significat.

In his autem omnibus, ut dixi, non prorsus certum est, num scribendi vocabulo re vera significetur opificium lapidarii. Similiter quod in lapide sepulcrali Arelatensi *Apelles* quidam *debita coniugio pia carmina scribit* (CIL XII 861), item quod in titulo quodam Africano filius matri defunctae dicit '*haec cum scriberem lacrimis atramentum temperavi*' (CIL VIII 9513), ut infra videbimus, potest et ipsum referri ad lapidarii opus, probabilius tamen intellegetur de tituli et carminis, quod lapicidae traditum est, compositione.

Nomina scriptorum Interdum nomina eorum qui scripserunt in ipsis titulis disertis verbis addita sunt. In sarcophago *M. Aurelii Augustorum liberti Prosenetis* urbano legitur *scripsit Ampelius libertus* (CIL VI 8498). In alio titulo urbano, scripto illo satis barbare, *Honeratiae* alicuius *Sanctipes* (i. e. Oneratiae Xantippae) legimus *scr(i)p(sit) Saturninus amator* (CIL VI 9800). Similia in christianis quibusdam urbanis leguntur: in titulo a. 362 *Hesperius quem nutrit iscripsit* (de Rossi inscr. christ. I p. 88 n. 159 = Fabr. 113, 293), in alio a. 404 *Laurentius amicus doles iscribet* (de Rossi p. 228 n. 535 = Grut. 1050, 12); in titulo coemeterii Maximi [*scr*]*iptum est per . . . . um*, [*tabul*]*a picta est* [*per . . . .*] [1]). Accedunt alia. In titulo Taurinensi haec verba leguntur *scribe(bat) C. Pompeius* (CIL V 7160); in Genavensi loci alicuius decreto decurionum empti et privati facti *Florus scribit* (CIL XII 2610); in Lusitanis duobus vivae rupi inculptis sermone peregrino *Rufinus et Tiro scripserunt* (CIL II 416 cf. add. p. 695) et *Ambatus scripsi* (CIL II 738); *scrib(ente) Elefanto* in Oretano Hispaniae Tarraconensis a. 387 (CIL II 3222); in Laodicensi *scripsit Valerius Andronicus* (CIL III 287); in Napocensi Daciae anni 235 *Zoilianus scripsit* (CIL III 870). Atque in hoc titulo, quem ultimo loco dixi, artificio quodam peculiari nomen scriptoris in margine tituli adscriptum est non ordine solito, sed κιονηδόν, i. e. litteris alia infra aliam positis a capite deorsum. Simili modo iam tituli aliquot parietarii Pompeiani scripti sunt (CIL IV 1825 *a b*); in albo aliquo Ostiensi saccatorum *Leo fe*[*cit*] vocabula adduntur eodem modo (CIL XIV 286). Idem artificium observamus in titulo Mithriaco urbano *Tamesii Augentii Olympii* (CIL VI 754, infra p. 397) et in christiano urbano, scripto illo a *Furio Dionysio Filocalo*, celeberrimo Damasi papae scriptore calligrapho, qui item fastos diurnos 'titulavit' et elogia martyrum a Damaso versibus composita in lapidibus coemeteriorum suburbanorum scripsit artificiosissime [2]). Itaque haec quae modo composui testimonia omnia recte referentur ad ipsorum titulorum scriptores, qui ita proprie dicti sunt; in titulo aliquo urbano *Vitalis* quidam *scriptor titulorum* nominatur diserte (CIL VI 9557). Unde etiam quod in titulo Africano *iuvenis* alicuius *acerbissimo flore iuventutis erepti* haec verba interposita legimus '*scriptor casui dole*' (imperativum intellege et dativum positum pro accusativo) et infra additur *pater posuit*, scriptor ille videtur fuisse tituli ipsius (CIL VIII 5001).

Nomina poetarum Contra ubi poetarum hic illic nomina adscribuntur, quod raro factum est similique ratione, qua artis statuariae artifices nomina sua inscribebant in operibus, solent haec, ut dudum observatum est, genetivo casu efferri. Ita sub epigrammate elegantissimo *Silvani* Aximae in Alpibus Grais reperto scriptum est '*T. Pomponi Victoris procuratoris Augustorum*' (CIL XII 103) [3]). Epigramma deinde extat Africanum (CIL VIII 9585), cui subscriptum est '*ex ingenio Asteri*' (v. infra p. 398). In inedito quodam epigrammate Hispano nuper ex Monzon Aragoniae oppido mecum communicato, quod disticha aliquot continet eleganter composita, in fine additum est '*. . . . lini Materni*'. De carminum scriptura scriptoribusque vide praeterea quae infra observata sunt (p. 396 ss.).

Titulare Ad titulorum scriptores sine dubio etiam referendum est recentis originis titulandi vocabulum, quo Tertullianus inter scriptores vetustos primus videtur usus esse quodque Filocalum in calendario suo posuisse modo vidimus. Deprehenditur praeterea in titulis aliquot Africanis, in quibus haec legimus: *faber ferrarius sibi fecit dedicavit et titulavit* (CIL VIII 4487) et *Iulius Victor collocavit et titulavit* (CIL VIII 4618).

Scribendi igitur vocabulum quanquam per se utrumque significat, tituli compositionem et scalpturam, tamen de hac proprie usurpatum est non raro, scriptoresque titulorum ei appellabantur, qui utrumque fortasse negotium exercebant et componendi et scalpendi titulos. Sed scribendi scriptorisque vocabula cum latiorem habeant significationem, partem tantum eius opificii indicant, cui inscriptiones originem debent. Scriptura enim monumentorum non calamo atramentoque tantum sive cera stiloque solis indiget, sed materiae solidae durities ut vincatur atque ut duret quod scriptum est in marmore sive aere alio quodam opus est labore, quem iam describemus.

Lapidarii marmorarii quadratarii Progrediendum igitur est ad artem sive lapidarii sive marmorarii sive quadratarii, quos titulis inscribendis operam dedisse constat, accuratius considerandam. A materia enim, quae monumentorum propria est, i. e. lapide sive marmore, qua potissimum utendum esset eis, qui titulos sculpserunt, lapidarii sive marmorarii, ab universa lapides tractandi caedendique ratione quadratarii dicti sunt. Discimus hoc ex testimonio Petronii, quo *canis ingens* memoratur *ad ostium* Trimalchionis *in pariete pictus supraque quadrata littera scriptum* CAVE CANEM (satir. c. 29). Quadratae litteras illas re vera non raro formae fuisse, optima scilicet aetate, infra apparebit. Fuerunt certis temporibus litterae in usu tam latae quam altae, rotundae C D O Q circulo paene aequales; sed neque antiquissimae ita formatae sunt nec cadit hoc in litteras omnes, ut in M et I. Nequaquam igitur a forma quadratae litterae nomen acceperunt: *lapides quadrati*, *saxa quadrata* apud optimae aetatis scriptores atque in titulis quibusdam Africanis (CIL VIII 977 a. 709 infra n. 44, in quo est *murum oppidi totum ex saxo quadrato aedificandum coeravit*, CIL VIII 8457 9016, qui *lapidem quadratum* memorant) materia lapidea appellatur ad aedificandum a fabris adaptata; *opus quadratarium* opera fabrilis universa est, ut alii quidam tituli Africani demonstrant (CIL VIII 9026 9027 9109, in quibus omnibus *operis quadratarii* mentio facta est). Similiter in passionis sanctorum quattuor coronatorum libello curiosissimo, qui saeculo tertio exeunti quartove adscribitur probabiliter, *ars quadrataria* (cap. 1. 2. 5) et *artifices quadratarii* (cap. 3. 4. 6) vocabula de lapicidis et sculptoribus, quos nos dicimus, usurpantur [4]). Eidem opifices apud Cassiodorium (ep. II 7) *quadratores* dicuntur. Propterea igitur, quod in opere quadrato litterae illae usurpabantur, quadratae dictae sunt sive lapidariae. Quadratarios autem etiam litteras incidisse, ut conieceris, constat Sidonii Apollinaris testimonio iam ab Hagenbachio (apud Orell. II p. 366) aliisque indicato. Ita enim Sidonius Secundo scribit (epist. III 12): *carmen hoc sane, quod consequetur, nocte proxima feci; non expolitum credo . . . .; quod peto, ut tabulae, quantulumcunque est, celeriter indatur; sed vide, ut vitium non faciat in marmore lapicida, quod factum sive ab industria, seu per iniuriam, mihi magis quam quadratario lector adscribet.* Unde qui in inscriptionibus non raro memorantur *opifices lapidarii*, ut in titulo Vasione in Gallia Narbonensi reperto (CIL XII 1384), aut breviter *lapidarii*, veluti *Astragalus Agrippae lapidarius* (CIL VI 8871), aliique in lapicidinarum titulis passim memorati (CIL II 2272 III 1365 1601 V 3045 7869 cf. add. p. 1092), cum non soleant, praesertim antiquiore aetate, singula eiusdem generis opificia accuratius distingui, opifices earum quidem habendi sunt, ut *marmorarii* (CIL VI 9462 *a* 9550—9556 II 133

---

1) Mommsen acta acad. Saxon. maiora II 1851 p. 608.

2) Vide p. 397 infra n. 1143.

3) Ubi similia quaedam exempla Graeca CIL X 7017 et CIGr 5956 adscripta sunt; adde Ti. Claudii Thessali carmina Olympica *Archaeol. Zeitung* 36 (1878) p. 90 n. 146 et mus. Rhen. 34 (1879) p. 204.

4) Vide Wattenbachii editionem libelli alteram in Büdingeri quaestionibus ad historiam imperatorum Romanorum pertinentibus vol. III 1870 p. 324 ss.

cf. 1043 1724 V 7044 7670; *Atto marmorarius* est in titulo Agedinci reperto *Revue épigr. du midi de la France* a. 1880 p. 166 n. 184) et *sectores* (CIL V 9887) sive *sectores serrarii* (CIL I 1108 = VI 9888) sive *serrarii* (CIL II 1131 1132); sed ad eosdem etiam titulorum scribendorum officium pervenisse inscriptio urbana officinae lapidariae demonstrat (CIL VI 9556, in qua est *d(is) M(anibus) titulos scribendos vel siquid operis marmorari opus fuerit hic habes*) una cum Petronii testimoniis supra relatis; unde ut officium accuratius indicetur, in aliis quibusdam titulis, ut in urbano saeculi primi (CIL VI 9502) et in Nemausensi (CIL XII 3070; *Revue épigr. du midi de la France* a. 1881 p. 197 n. 229) nomine duplici dicuntur *lapidarii marmorarii*[1]. Servi lapicidae marmorum Lunensium videntur fuisse ei, quorum fasti ex parte servati sunt (CIL I p. 476). Nomen marmorarii adscriptum est titulo sepulcrali Saturniae (*Manciano* prope *Fontenuova*) reperto *C. Petisius Apollonius fecit* (*Notizie degli scavi di antichità* a. 1882 p. 63). Hi omnes quid fecerint nunc iam videndum.

II

LITTERAE DELINEATAE ET PICTAE

Priusquam litterae iusto opificio insculpi possent, consentaneum est in lapide aereve eas primum aut delineatas esse aut pictas. Antiquissimum sine dubio atque ex ipsius rei necessitate deducendum est artificium illud. Aegyptios iam hieroglypha sua ita lapidibus indidisse audio a rerum Aegyptiarum peritis, neque Graecos aliter facere potuisse pro certo habeo. Iustae enim scripturae sive monumentalis sive litterariae formas lapidarius effingere omnino non potuit, nisi prius aut carbone cretave alicuius coloris delinearentur perite aut pingerentur colore atro rubrove aut etiam albo, si lapis aesve coloris erat obscurioris. Delineandi autem pingendive peritiam magnam habuisse scriptores titulorum ipsi docent tituli arte saepe mirifica sculpti; eamque artem servatam esse videbimus per collegia puto opificum usque ad infimam paene aetatem. Ut eos, qui verba titulorum composuerunt, constat formulis certis usos esse, quae fortasse collectae extiterunt (observavit hoc post alios Edmundus Le Blant ex christianorum potissimum titulorum consuetudine in scriptione supra p. XXV adn. 1 a me indicata), ita sane fieri potest, ut titulorum quoque scriptores ad litteras carbone vel colore praescribendas formis earum usi sint similibus, quibus hodie lapicidas et pictores nostros uti videmus ex charta crassiore sive ex laminis stanneis factas et excisas. Nomen eis est apud Germanos *Schablone*; Italice *stampa*, Gallice *calibre* sive *moule*, Hispanice *tarraja*, Portugallice *molde*, Anglice *pattern* appellantur. Sane quam in scriptura monumentali potissimum per multa saecula perduravisse videbimus litterarum summam aequabilitatem, ea inde fortasse explicari poterit probabiliter, quod formas illius generis diu servatas repetitasque atque per artificii consuetudinem inter opifices traditas in usu fuisse credibile est. Sed hoc nec argumentis certis evinci potest, nec probabile videbitur ei, qui, ut unum tantum proferam exemplum, illud consideraverit, quanta sollertia figuli antiqui in vasculis fingendis pingendisque versati sint. Nam et illi nullis fere adhibitis adminiculis sola delineandi peritia adiuti summam saepe perfectionem assecuti sunt atque raro tantum ab omni arte deflexerunt. Certum potius videtur, ut in omni reliqua arte antiqua, ita in hac quoque usum a maioribus traditum summa constantia servatum esse. Eadem autem fere ratione qua in nummorum typis ab urbibus singulis usurpatis coniunctam videmus cum constantia in universum magna magnam in singulis libertatem, ita etiam in litteris titulorum fingendis summa quidem aequabilitas apparet per saecula aliquot servata, sed tamen in multis rebus etiam libertas non exigua. Ad amussim fere nunquam quadrant diversorum titulorum litterae atque vix unius eiusdemque tituli singulae: tanta in summa legis universae observatione in singulis varietas obtinuit.

[C]arbone creta [r]ubrica scripta

Atque carbonis quidem, cuius iam Plautus mentionem fecit Graecum sane usum potissimum respiciens versu illo Mercatoris (409) *inpleantur elogiorum meae fores carbonibus*, cretaeve, quibus litterae delineatae sint antequam sculperentur, nullas quod sciam servatas esse in monumentis reliquias inde explicatur, quod materiae illae facillime evanescunt. Simili de causa etiam in aere pictum nihil remansit. Sed inter inscriptiones parietarias Pompeianas etiam carbone vel creta vel rubrica aliave terra scriptae aliquot sunt fueruntve[2], quae illam quoque scribendi rationem, vetustam sine dubio et late patentem, demonstrant non prorsus oblitteratam esse saeculo primo. Atque postea quoque eam durasse probabile est. Litterarum eo modo scriptarum formas saepe proxime accessisse ad pugillarium scripturam ut ita dicam privatam res ipsa docet. Sed quae ut postea insculperentur carbone cretave delineata sunt, ea maiore et cura et elegantia facta esse patet.

Regulae et circini usus

Ad formas enim litterarum priusquam insculperentur delineandas pingendasve, praesertim si maiores et elegantiores requirebantur, regula et circino opus fuisse manifestum est. Unicam curae eius in litteras scribendas iam a Graecis artificibus impensae memoriam quamvis tenuem grammaticus aliquis Graecus servavit, cuius verba a R. Schoenio in disputatione de Felicis Feliciani opusculo (supra p. XIII) prolata hic repetam. Variorum ibi opiniones grammaticorum vetustiorum de alphabeto Ionico eiusque praestantia recensentur, quorum unus litterarum formam regularem a Pythagora eiusque legibus geometricis repetiverat. Leguntur verba in Bekkeri Anecdotis (p. 784): διὰ τοῦτο δὲ καὶ οὐκ ἄλλοις χαρακτῆρσι χρώμεθα τῶν στοιχείων ἀλλὰ τοῖς Ἰωνικοῖς, ὡς μὲν Ἀσκληπιάδης ὁ Σμυρναῖος λέγει διὰ τὸ κάλλος καὶ ὅτι πλεῖστα τῶν συγγραμμάτων τούτοις ἐγέγραπτο τοῖς χαρακτῆρσιν· ὡς δὲ Διόδωρος καὶ Ἀπίων ἐν τῷ περὶ τῶν στοιχείων, ὅτι πλεῖστοι συγγραφεῖς καὶ οἱ ποιηταὶ ἀπὸ τῆς Ἰωνίας τούτοις τοῖς τύποις ἐχρήσαντο. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Μεσσήνιος ἐν τῷ περὶ ἀρχαίων γραμμάτων φησί τινας λέγειν ὅτι Πυθαγόρας αὐτῶν τοῦ κάλλους ἐπεμελήθη, ἐκ τῆς κατὰ γεωμετρίαν γραμμῆς ῥυθμίσας αὐτὰ γωνίαις καὶ περιφερείαις καὶ εὐθείαις. Instrumenta illa geometrica non raro cum aliis fabrilibus repraesentata reperimus in monumentis sepulcralibus. De his instrumentis aliisque huc pertinentibus infra dicetur accuratius.

Inscriptiones pictae

Vetustissimum fuisse *in tabula in albo atramento scribendi*, i. e. pingendi, opificium (ut est in lege repetundarum CIL I 198 v. 14) supra dictum est. Ut reliqua artificia ut ita dicam tectonica, ita etiam morem illum titulos atramento scribendi pingendive ex Graecia Phoeniciave Romam pervenisse puto; in illis enim regionibus antiquitus tituli sic scribi solebant. Demonstrant illud inter alia inscriptiones denuo semper pictae in tectorio, quotiens novum imponebatur, arae heroum quae Olympiae detecta est[3]. Etiam recentiore aetate eandem consuetudinem durasse docent quae prodierunt exempla Phoenicium alterum[4], alterum Atticum[5]. Apud Etruscos item pingendi usum illum viguisse manifestum est ex tegularum sepulcralium (veluti CIL I 1311 1312 aliarum) et ex urnarum titulis satis multis, qui picti tantum sunt colore atro rubrove in summo arcarum urnarumve margine; observaverunt hoc praeter alios Ant. Fr. Gori[6] et post eum Ariod. Fabretti[7].

[1]) Titulos marmorariorum lapidariorumque Gustavus Hirschfeld composuit in sylloge titulorum statuariorum sculptorumque Graecorum sua (Berol. 1871) p. 174 s.

[2]) Circiter triginta numero, si recte computavi exhibentur in volumine CIL quarto, cf. eius voluminis p. 7; nova exinde accesserunt.

[3]) Vide Ernesti Curtii de aris Olympicis commentationem in actis acad. Berol. maioribus a. 1881 (Berol. a. 1882) p. 21 ss. tab. I.

[4]) Vide *revue archéol.* a. 1881 vol. I p. 29 ss.

[5]) Ἀθήναιον IX (1880) p. 235.

[6]) In praefatione ad Donii inscriptiones (Florentiae 1731 fol.) p. LXXXIV.

[7]) *Palaeograph. Studien* p. 33 s.

Similiter apud Samnites titulos sepulcrales in opere tectorio rubro nigrove colore pingendi consuetudo obtinuit; quod docent tituli nonnulli eius generis Capuae reperti[1]). Romae diu mansisse titulorum pingendorum tantum, non incidendorum consuetudinem exempla nobis servata demonstrant non pauca. In tectorio aedium antiquarum effossarum Romae in via Gratiosa reperti sunt fasti anni Iuliani picti litteris partim rubris partim nigris (CIL I p. 331 n. XIX = VI 2303). Sed hoc ad antiquissimum fastorum *in tabula in albo* scribendorum usum aliqua ratione poterit referri. Simili enim ratione programmata aliaque picta, quae in Pompeiorum potissimum parietinis reperta sunt (collecta illa in CIL vol. IV parte priore, cum addendis in eph. epigr. I p. 49 ss. 177 ss.), a reliquis titulis differunt: scilicet certis tantum occasionibus destinata erant. Ita pictum est in tectorio albo lapidi tofaceo imposito colore atro litterisque minutis laterculum magistrorum vici et compiti Pompeianorum ad annos u. c. 707 et 708 spectans (CIL I p. 448 = IV 60). Bononiae quoque programma simile titulo alicui appictum prodiit (CIL XI 719*a*). Praecipue in amphoris doliis aliisque vasculis signandis pingendi usum omnibus temporibus obtinuisse consentaneum est. Habemus quae supersunt eius generis pleraque collecta in eodem quarto corporis inscriptionum volumine; addita quaedam sunt in ephemeride epigraphica (I p. 160 ss.) et in reliquis corporis voluminibus (CIL V 8111 1-3 5 6-9 VII 1333 1-3). Plena universi huius argumenti tractatio cum expectetur ab Henrico Dressel, qui peculiares litterarum formas in titulis illis obvias exemplis aliquot illustravit in disputatione de monte testaceo urbano[2]), hic in transcursu illud tetigisse sufficiat. A Dresselio etiam numerorum formae plane singulares amphoris doliisque originis Hispanae appictae ex penicilli usu explicatae sunt (p. 162 ss.). Denique notandum, quod etiam in argento litterae pictae esse dicuntur. Antonius Maria Lupi tesserulam aeream utrimque scriptam exhibuit, servatam tum Nuceriae, 'in qua litterae nigro colore inscriptae sunt bracteis argenteis aeri insertis'[3]); titulus est exagii saeculi quinti, sed litterae re vera non pictae fuerunt, sed inlitae ex vitro aliisque materiis similibus[4]).

Tituli reliqui picti

Quam late autem patuerit consuetudo pingendorum cuiusvis fere generis titulorum, qui non ut fasti programmata amphorarum notae ad certi tantum temporis usum destinati erant, exempla docent infra adscripta ex longe maiore sine dubio numero in tanta colorum fragilitate casu servata, quae non inutile erit hic, quantum fieri potuit, coniuncta proponere. Talia enim cum in indicibus epigraphicis quamvis plenissimis enumerari non soleant plerumque negleguntur neque unquam, quantum scio, in conspectum redacta sunt.

Atque antiquitus tituli picti usui tam sacro quam publico et sepulcrali inserviebant.

Ardeae in templo M. Plautius pictor in ipsa pictura carmen appinxit *scriptum antiquis litteris Latinis* teste Plinio (n. h. XXXV § 115).

In Urbe Salvia tegula reperta est pictam Iovis imaginem pictumque titulum *Iove Iutori* continens (CIL IX 5531).

Amphoras vinarias ad cineres et ossa colligenda non raro adhibitas esse reliquiae eius generis in eis saepe variis locis repertae docuerunt; primum vero exemplum amphorae cum duplici inscriptione, altera vinaria altera mortuaria, prodiit ex agro Puteolano, anni notam p. C. 2 habens (CIL X 2039*a*).

Lindi in Britannia repertum est vas cretaceum forma capitis humani servatum hodie in museo Britannico; ei atramento appictus est titulus hic DO MIIRCVRIO, i. e. *d(e)o Mercurio* (CIL VII 181). Titulus hic cum vasculi sit, vasculorum etiam, ut consentaneum est, sequitur consuetudinem ex ipsa materia natam: nam in vasculis titulos non paucos pictos fuisse modo vidimus. Alia eiusdem generis vascula titulis votivis ornata in Gallia dicuntur reperta esse; quae accuratius indicare nondum possum.

Etiam qui tituli proprie habendi sunt interdum colore tantum pingebantur. Romae prodiit titulus scholae officii alicuius libertorum domus Augustae litteris uncialibus, ut videtur, rubris pictus (CIL VI 8637 = Or. 2958). Caralibus in Sardinia titulus repertus est in tectorio aedificii alicuius antiqui pictus litteris gracillimis, altis m. 0,135; supra palmae ramos duos taenia rubra iunctos nomina quaedam (. . . . . . . *Ingenuo et Primigenio, Antonio et Artemisio*), fortasse gladiatorum, agnoscuntur (CIL X 7733). Olisipone in Lusitania titulus memorans thermarum renovationem factam anno p. C. 336 minio pictus extat (CIL II 191). Eiusdem fere aetatis sunt tituli picti inventi in sepulcro urbano antistitis alicuius dei Sabazii (CIL VI 142). Romae item reperta est tabula marmorea Mithriaca, ornata illa anaglyphis scariphatis potius quam sculptis ac minio et auro pictis (CIL VI 3730); cum ea comparandum videtur *templum* Mithrae *cum pictura* refectum a. 239, cuius memoriam servavit titulus Viruni in Norico repertus (CIL III 4800). Addendum denique huic titulorum pictorum elencho fragmentum Helveticum (Inscr. Helv. 341 2) non satis perspicuum. Hi omnes in tectorio picti sunt.

Etiam in viva rupe tituli interdum pingebantur tantum rubro colore, veluti votivi dei alicuius Africani prope Phuam reperti (CIL VIII 6277 6288 6295 6302).

Tituli in lapide picti

Alterum titulorum pictorum genus hoc est. Lapides in opere tectonico adhibiti ubi collocandi essent ab operariis litteris pictis tantum notabatur; observavi id in lapidibus aliquot amphitheatri Flavii (CIL VI 1796*e* 33-36). Amphitheatri Thysdritani lapides plurimi in facie interiore litteris rubro colore pictis his D P S C inscripti erant (CIL VIII 53). Simili prorsus ratione marmora nonnulla emporii urbani, de quibus infra dicetur (v. n. 1160), pictis tantum titulis signata sunt.

Litterae priusquam scalperentur pictae

Ex usu hoc, ut apparet, late quondam extenso illud facile explicatur, quod priusquam scalperentur ubique fere pictae sunt litterae. In sepulcris titulos inde ab antiquissima aetate, ut Plinius memorat (nat. hist. XXXIII § 122), minio scribi solitos esse docuerunt sarcophagi Scipionum et Furiorum, in quibus ante elogia Graeco more sculpta minio tantum picta erant nomina defunctorum cum honorum curulium indicatione brevi, qualem fere in imaginibus maiorum in atrio domus servatis fuisse probabile est (CIL I 29 30 = VI 1284 1285; I 65—72). Neque vero hoc antiquis tantum temporibus factum esse, ut tituli postea scribendi primum colore pingerentur, sed semper fere et ubique, res ipsa flagitat demonstrantque inter alia fragmenta epistylii magni Pompeiis in foro reperta, quae ad chalcidicum Eumachiae pertinebant (CIL X 811). Aliquot enim eius epistylii lapides, qui postea nescio qua causa videntur reiecti esse, in postica parte litteras inscriptionis anticae nonnullas continent pictas tantum, sculptas vero in antica; unde picturam sculpturae, ut par est, praecessisse elucet. Ticini titulus honorarius saeculi fere tertii repertus atque servatus hodie in museo Papiensi (CIL V 6421) in fine post reliquos sculptos additos habet versus duos rubro tantum colore pictos, non sculptos[5]). Frequenter autem Romae in columbariis suburbanis, quae saeculo fere primo in usu fuerunt, tituli ad loculos pertinentes, qui nondum in solitam tabellarum marmorearum formam redacti sunt, ut postea perficerentur interim rubro colore miniove (ut CIL VI 6682—6685 7881*a* 1-9 7817—7841 11337) aut colore nigro picti (CIL VI 7639 7640) aut atramento calci inscripti sunt (ut CIL VI 6849 6850 7805). Atro item colore *vivit* vocabulum tituli alicuius sepulcralis musei Borgiani postea additum esse Marinius observavit[6]). Tabella quaedam picta eademque etiam graphio scripta columbarii alicuius urbani hanc exhibet imprecationem '*quicumque hinc clavos ex emerit in oculos sibi figat*' (CIL VI 7191). Postremo observandum est, usum illum titulorum pingendorum paene nunquam abolitum videri; nam reperti sunt in coemeteriis suburbanis aliisque etiam tituli christiani non pauci, qui picti tantum sunt atramento. Ita 'Severae martyris epitaphium' illud anni 269 ab Antonio Maria Lupi illustratum litteris non incisis, sed minio pictis scriptum est. Unde doctus eius editor ad illustrandam picturam illam epigraphicam varia exempla attulit similia[7]).

[1]) Ioh. Zvetaieff sylloge inscriptionum Oscarum n. 42—48.

[2]) In annalibus instit. archaeol. vol. L a. 1878 p. 119 ss.

[3]) Epitaphium Severae Martyris p. 148.

[4]) Cf. exagia similia CIL X 8072 4-7.

[5]) Infra n. 564; dixi de his titulis in libello meo *über mechanische Copieen von Inschriften* (Berol. 1881) p. 23.

[6]) Arv. p. 609 *con inchiostro o vernice nera.*

[7]) Severae martyris epitaphium (Panormi 1734 fol.) p. 38 ss.; Rossi inscr. urb. christ. I p. 18 n. 11.

Ex usu illo litterarum priusquam insculperentur pingendarum denique etiam illud explicatur, quod tituli non pauci formas litterarum exhibent sculptas quidem, sed pictarum formas presse imitantes. Dixit de illis primus dedita opera Henricus Dressel[1]); res dudum observata infra (p. 428 s.) accuratius tractata est.

ipensa scrip- onum

Unum in fine addo. In decretis Atticis aliisque titulis Graecis non raro indicatum legimus quanta impensa inscriptiones illae in lapidem aesve incidendae essent videturque impensa pro singulis litteris delineandis sculpendisque soluta esse quadratariis. In inscriptionibus Latinis eius generis indicationes nondum quod sciam repertae sunt. Saepissime impensam remissam esse ab honoratis adnotatur; quanta autem illa fuerit non adscribitur. Pretia signorum statuarumque, quae satis frequenter adnotata sunt in titulis earum fortasse illud quoque in se comprehenderunt[2]). Tamen ad haec quoque Graecum exemplum pervenisse crediderim; litterae foliaque hederacea distinguentia memorantur in elencho Cirtensi (CIL VIII 6982; v. infra p. XXXIII).

CAPVT QVINTVM

SCRIPTVRA MONVMENTALIS

I

LITTERAE SCVLPTAE

Itaque tum demum, postquam aut delineatae aut pictae sunt litterae in marmore lapideve aut calcareo aut arenario aliove, incipit iustum, cui debetur scriptura monumentalis, marmorarii lapidariive opificium. Quod idem fere fuisse consentaneum est atque sculptoris, quem nos dicimus vocabulo novicio, eius scilicet artificis, qui signa statuas ornamenta ex marmore potissimum effingit; nam in eadem materia eisdem fere instrumentis uterque artem exercuisse putandus est.

cal- endi cul- ndi scul- endi oca- ula

Ita in anaglypho quodam musei Vaticani lapidarius repraesentatus est protomen mulieris basi impositam scalpens, cui titulum sine dubio postea erat additurus; editum est ac docte illustratum ab Ottone Jahn[3]). Scalpendi vero et sculpendi insculpendive vocabula ad artificium et opificium designandum propria (quanquam etiam incidendi vocabulo interdum lapidum scalptura designata est, non aerum, ut infra adnotabitur) promiscue videntur in usu fuisse[4]).

esti- onia erum

De opificio enim illo haec fere servata habemus apud scriptores veteres testimonia. Scalpendi voce Horatius utitur in versiculo notissimo (carm. III 11, 51): *nostri memorem sepulcro scalpe querellam.* Velleius cum grammaticis plastis pictoribus scalptores coniungit (I 17, 4). In *Fadii Musae* epistula, quam supra iam memoravi, Narbonensi inter alia haec *vestram adsensionem ut aereae tabulae inscalptam ante aedem .... proponatis* leguntur (infra n. 1100). Quae vetustam consuetudinem etiam in vocabulis servaverunt acta fratrum Arvalium a. 91 piaculum memorant *ob ferrum inlatum ut acta insculperentur* (CIL I 2067 v. 64). In eisdem actis idem piaculum factum dicitur *scripturae* aut *scripturae et scalpturae,* item *scripturae et sculpturae* causa; scalpturae bis, sculpturae vocabulum sexiens ibi usurpatum est[5]). Idem scalpendi vocabulum in carmine sepulcrali urbano Donati alicuius de anaglyphis monumenti usurpatum est (CIL VI 17050). In titulo deinde Teatino *ipse p[ater ...] sculpsi puero qui miser in piscina p[eriit]* legimus (CIL IX 6318); in Dacico: *Cla[udius] sculpsit* (CIL III 1413); in Africano *fili ... patri et matri titulo sculpserunt* (CIL VIII 2038); item in Christiano Gallico *sculpsit* (Le Blant *inscr. chrét. de la Gaule* vol. II p. 413). In tegula in Pannonia reperta carminis sepulcralis initium graphio exaratum est ab operario puto otioso ita conceptum

litera nula docet nomen caus[am]que sepulcri; scultu ines lapide ....

(Ephem. epigr. IV p. 160 n. 557), quod aut *scul(p)tu(m) ines(t) lapide* aut *in iis lapidebu(s)* significare potest, certum autem sculpendi vocabuli exemplum praebet. Verum ut in actis arvalibus factum esse modo vidimus, ita etiam in aliis titulis scribendi et sculpendi opificia ut distinguerentur iuxta nominata sunt. In titulo prope theatrum Philippis in Macedonia in rupe extante (CIL III 633 II 3) haec leguntur: *petram inferiorem excidit et titulum fecit ubi nomina cultorum scripsit et sculpsit;* in Africano a. 253 Victoriae Augustae haec *esculp(sit) et s(cripsit) Donatus* addita sunt (CIL VIII 2482). Etiam in titulis Graecis non raro *γράφειν* et *γλύπτειν* iuxta usurpantur ita, ut hoc ad ornamenta opere anaglypho facta, illud ad titulos inscriptos solos referatur. Compara epigramma in Thracia repertum anni p. C. 149 (Kaibel epigr. Graeca n. 841):

σοφοτεχνήϊες ἄνδρες
τεῦξαν ὁμῶς γλυφικῆς ἀμφὶ καὶ εὐγραφίης,
Κλεῖτος ὁ σὸς Καπίτων γλύψας, γράψας δὲ φίλος σοι
Ἰανουάριος θεράπων.

Interdum etiam incidendi vocabulum, quod proprie ad aera spectare infra videbimus, de litteris lapidi insculptis usurpatum est, ex Graecorum puto scriptorum imitatione. Demonstrant hoc inter alia Nepotis *exemplum in pila lapidea incisum* (Alcib. 4, 5), Horatii *incisa notis marmora publicis* (carm. IV 8, 13), Verrii Flacci fasti *marmoreo parieti*

[1]) Comment. in hon. Mommseni (Berol. a. 1877) p. 387 ss.

[2]) Composuit testimonia de pretiis statuarum Lud. Friedländer *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms* vol. III (1871) p. 224 ss. Cf. CIL X p. 1183 s. v. *impensa* reliquique indices epigraphici.


[3]) In actis societ. Saxon. philos. et histor. a. 1861 p. 298 tab. VI 3.

[4]) Recte hoc observavit qui nuperrime de sculptorum veterum artificio egit Hugo Bluemner *Technologie und Terminologie der Gewerbe und Künste bei Griechen und Römern* vol. II 1879 p. 172 ss.

[5]) Vide Henzeni de actis fratrum Arvalium librum peculiarem p. 131 s.

incisi secundum Suetonium (de gramm. c. 17), tabula lapidea T. Quinctii Flaminini carmen triumphale continens *his ferme incisa litteris* apud Livium (VI 29, 10), carmen notum *Pomponii Bassuli,* in quo haec leguntur *'vos in sepulcro hoc elogium incidite'* (CIL IX 1164), alia. Scribendi igitur et componendi officium quanquam non solet ubique accurate distingui a sculpendi incidendive, tamen utrumque ad lapidarii quadratariive operam pertinuisse consentaneum est. Unde non mirabimur artem suam lapidarios Graecos et Romanos ita solitos esse commendare, ut factum est in titulo bilingui eius generis quantum scio antiquissimo, quem infra curavi repraesentandum.

Panhormi, sed originis incertae, quanquam Siculae, tabella marmorea 'litteris optimae aetatis'; in museo Panhormitano (⅓).



0,024
0,020
0,012

στῆλαι | ἔνθαδε | τυποῦνται καὶ | χαράσσονται | ναοῖς ἱεροῖς | σὺν ἐνεργείαις | δημοσίαις
tituli | *heic* | *ordinantur et* | *sculpuntur* | *aidibus sacreis* | *cum operum* | *publicorum*

CIL X 7296 (Orell. 4222) integra.

Graecum τυποῦσθαι, Latinum *ordinari* de titulorum et compositione et scriptione intellegendum est. Similiter in titulo urbano (CIL VI 9556 Orell. 4233), cuius supra iam mentio facta est (p. XXVII) inscriptum legimus *titulos scribendos vel siquid operis marmorarii opus fuerit hic habes. D(is) M(anibus)* formula usitatissima praeponitur, quasi officium indicans.

Eiusdem videtur generis esse tabella marmorea in columbario aliquo urbano reperta, quae quattuor alphabeta continet et in fine D · M · S litteras (CIL VI 6831). Interdum tituli atque sarcophagi, monumenta cuiusvis generis sepulcralia a lapidariis parata prodierunt, in quibus nihil praeter D · M litteras insculptum est reliquo spatio vacuo relicto. Scilicet postea ab emptoribus tituli addebantur. Ectypum tituli alicuius eius generis, qui est in museo Vaticano, apud me est. In titulo aliquo urbano villae Borghesiae *dis Manibus* vocabula reliquis praeposita aperte paullo vetustiora sunt reliquis; quae sequuntur *'Spendontis Augusti et Augustorum libertae'* postmodum addita sunt a manu diversa.

II

INSTRVMENTA LAPIDARIORVM QVADRATARIORVM

Scalpturam quo modo fecerint quadratarii intellegere ad litterarum formas recte iudicandas non parvi est momenti. Docemur de his rebus cum hodierni opificii comparatione, tum instrumentis, quae adhibebantur antiquitus, compositis et explicatis. Instrumenta autem fabrorum sculptorumque[1]), quatenus lapidariis quadratariis potissimum inserviebant, non raro in titulis repraesentata reperiuntur. Discimus inde tam regulam et circinum, quae ad titulos delineandos pingendosve adhibebantur, ut supra monui, ubi de litterarum quadratarum artisque quadratariae vocabulis dixi (p. XXVI), quam normam perpendiculum scalprum scalpellumque (unde Italis *scarpello* et *scarpellino* vocabula maxime in usu manserunt) malleum dolabram asciam, quae ad titulos scalpendos pertinent, ab eis fuisse usurpata.

in monumentis urbanis

Instrumenta lapidarii quadratarii ad opus necessaria omnia fere repraesentata sunt in titulo urbano, qui est in museo Capitolino, *Cossutiae Arescusae* (CIL VI 16534); delineata sunt accurate iam apud Franciscum de Albertinis (Mazochi epigr. urbis f. Cv.), deinde apud Smetium (f. CXVIII 1; inde Grut. 644, 1); in Graeca Ligoriana (Grut. 60, 5) eadem instrumenta repetita sunt. Distinguuntur 1) regula recta pedis unius Romani mensuram aequans, metrologis sub pedis Colotiani nomine notus[2]), 2) norma (sive regula rectangularis), 3) libella cum perpendiculo, 4) 5) circini duo rectus et incurvus, 6) malleus gravis, biceps (capitatum Smetius dicit), utrimque latus, manubrio brevi, 7) scalprum ex ferro totum (s. celtis) formae peculiaris, cuspide recta, acuta.

In eadem operis sui pagina Smetius (f. CXVIII 2) alterum eius generis exhibet monumentum; inscriptionis ultima tantum vocabula *alumno IIII* servata sunt; repraesentata autem sunt infra 1) regula recta pedalis, 2) norma formae peculiaris, 3) circinus rectus, 4) ascia parva, 5) scalpra duo maius et minus perquam acutum (Smetio terebra mulionum dicitur, non recte puto), 6) 7) instrumenta duo non satis nota; alterum fortasse malleus est manubrio instructus, alterum pars circuli fortasse ad curvas lineas delineandas destinati.

Tertium est monumentum *Aebutiorum* (CIL I 1020 = VI 10588), cuius imaginem non satis perfectam Fabrettius (de aquis p. 73 tab. V) exhibuit. Insunt 1) regula recta item pedis unius, 2) norma, 3) 4) libellae cum perpendiculis duae, 4) scalprum. Accedit fortasse quartum *tabella columbarii Statiliorum* quae periit (CIL VI 6258), acum (?) cultrum mensuram pedalem exhibens; sed instrumenta illa etiam alius usus fuisse possunt.

in monumentis reliquis

Similia instrumenta, neque vero totidem nec tam diligenter expressa exhibent monumenta Regiense *C. Clodi C. l(iberti) Antiochi marmorarii* (CIL XI 961), scilicet normas duas perpendiculum malleos duos, Carnuntinum in museo Vindobonensi servatum *legionarii* alicuius (CIL III 4456), Nemausense *L(icinii?)* alicuius Spini malleum perpendiculum scalprum normam habens insculpta (CIL XII 3355). Instrumenta lapidarii marmorariive eius, qui in aedificiis sepulcrisve ex lapide

[1]) De quibus post alios item Bluemnerus egit in libro s. s. II p. 204 ss. et III 1884 p. 91 ss. Adde quae nuper de Graecorum instrumentis ad scalpendos laevigandosque lapides adhibitis exposuit Ern. Fabricius in commentatione epigraphica de architectura Graeca (Berol. a. 1881 8.) p. 67 ss.

[2]) V. Fr. Hultschii *griechische und römische Metrologie*[2] (Berol. 1882) p. 89.

struendis tantum occupatus erat eiusque; qui titulos quoque lapidibus insculpebat, eadem fere fuisse consentaneum est. Unde instrumenta fabrilia usus, ut ita dicam, generalis non raro in monumentis cernuntur. Sunt eius generis quae homines duo tunicati manibus tenent repraesentati in cippo vetusto ex Alba Fucente, malleum et scalprum alter, alter gromam (CIL I 1169 = IX 3906); deinde quae in monumentis quibusdam Treverensibus cernuntur (Bramb. 832 833; anaglypha eorum repraesentanda curavi in annal. Bonnens. XXXVII a. 1864 p. 158. 161). Malleum regulam gromam exhibet Piquentinum *C. Petronii L. f(ilii)* alicuius (CIL V 453), gromam circinum regulam Aquileiense mensuras tantum sepulcri indicans (CIL V 1508); perpendicula duo Campanum *A. Carvili A. l(iberti) Teurisci* (CIL X 4063). Asciam notum est saepissime in titulis sepulcralibus non solum Galliarum potissimum cisalpinae et transalpinae, sed etiam in urbanis nonnullis Italicisque aliarumque interdum regionum, aut figuratam esse aut usurpatam in formulis *sub ascia dedicare* et similibus eo sine dubio consilio, ut sepulcra nova nullique usui alii destinata esse indicarentur[1]). Unde non mirabimur asciam cum perpendiculo repraesentari, veluti in titulis non paucis Arelatensibus (CIL XII 218 517 689 722 729 738), in Altinate (CIL V 2176), asciam cum regula in Cemeneliensi (CIL V 7882), cum forcipe et malleo in Arelatensi (CIL V 927), cum groma in Reginensi Raetico (CIL III 5951), cum instrumentis duobus aliis incertis in Salonitano (CIL III 2547). Asciam circinum regulam formae singularis, cuius exemplar ferreum in museo Turicensi servatur, ut indicaverat Ferdinandus Keller, in titulo Vindonissensi videmus (Inscr. Helv. n. 253 cf. p. XX).

Haec igitur quae tam frequenter repetita inveniuntur instrumenta lapidariorum usus sunt, ut dixi, generalis.

Alia quae in titulis nonnullis exhibita sunt instrumenta fabrilia, veluti in urbanis (CIL VI 6258 7188 11896 aliis), in Supinate (CIL IX 3879), in Aeclanensi (CIL IX 1269), in Teatino (CIL IX 3033), in Aquileiensibus (CIL V 1379 1958), in Alburnensi Daciae (CIL III 1269), minus certo ad officium marmorarii referuntur. Non curo, ut par est, monumenta ea, in quibus, ut officia docent defunctorum in titulis memorata, instrumenta repraesentata referenda sunt aperte ad officia illa.



Cum instrumentis vero aut eisdem illis, quae propria lapidariorum quadratariorum fuisse monumenta docent supra allata, aut perquam similibus hodie quoque litteras in lapide insculpi solere vel sane insculpi posse harum rerum periti affirmant.

Instrumenta scribendi

Ad titulos vero scribendos, non ad sculpendos videntur pertinuisse instrumenta ad scripturam et mensuram tantum, ut apparet, utilia, quae et ipsa interdum repraesentata cernimus in monumentis sepulcralibus. Scilicet scribendi officium, ut supra vidimus (p. XXIX), cum scalptoris intimo vinculo coniunctum erat. Inde explicanda circinus et codex in titulo Aquileiensi *L. Curii* alicuius *L. l(iberti) Nepotis* (CIL V 1183); normae duae diversae regula codex in Dertonensi *P. Latinii P. f(ilii) Primi* (CIL V 7388). Aliud est, quod interdum instrumenta illa scribendi aperte officia indicant defunctorum, velut ea, quae cernuntur in titulo *Eileisi et Ionii fidelissimorum a manu ser(vorum) C. Plaetorii Flori* Trebulano (CIL IX 4909); aut tabellae et graphium in titulo magistratus Virunensis (CIL III 4867; in alio Virunensi CIL III 4951 homo libertus volumen legens quid indicet ignoro); aut tabellae cum theca graphiaria in urbano *Nepotis Faustinae Augustae liberti tabularii* (CIL VI 9062); aut codex voluminaque aperta et clausa semiclausave in titulis Fificulano (CIL IX 3585) et Aveiate (CIL IX 3623). Ad titulum vero monumento inscriptum fortasse referendum est volumen apertum in ara urbana *P. Attii Hilari* insculptum, quod diem et annum dedicationis indicat (CIL VI 833). Atque similiter quae in titulis aliquot Conimbrigensibus repraesentata est supellex varia instrumentorum ad scribendum pertinentium, voluminum pugillarium abaci thecae calamariae (CIL II 378 383 391), non sine probabilitate quadam referetur ad artem lapidum scribendorum; nam ad officia defunctorum designanda instrumenta illa saepius prorsus similiter repetita spectare vix possunt. Instrumenta ex antiquitate ipsa servata, quae certo ad lapidarii opificium referenda sint, fortasse extant in museis; ego nulla vidi neque num superessent indagare potui.

III

SCALPTVRAE FORMA

His igitur instrumentis, malleo potissimum et scalpro, quadratarius litteras ita insculpsit, ut sulcum efficeret formae triangularis (ita ), non oblongae (ita ) nec rotundae (ita ). Cuneatim igitur, ut breviter dici potest, non quadratim nec circulatim litterae sculpebantur. Verum quidem est, lapidarios potissimum provinciales interdum ab hac lege aberrasse tam in titulis integris scalpendis, veluti in Mogontiacensi *militis legionarii* saeculi primi exeuntis (Bramb. 1180), quam in litteris singulis effingendis, veluti in eis, quas Munierius indicavit (Bramb. 654 1022 1057 1095 1516): sed exceptiones illae certae alicuius regionis inter tot milia titulorum, quae nobis servata sunt, perpaucae, legem non elevant, sed confirmant. Neque aliunde quantum equidem scio exceptionum numerus valde augeri poterit.

Excipiuntur autem, ut consentaneum est, ab hac lege in universum certissima eae litterae, quas ut postea aere explerentur altius incidi opus erat; de quibus dicetur infra paullo accuratius. Triangularem vero illam sulcorum formam certum esse antiquitatis indicium, a falsariis plerumque neglectum, olim expositum est, cum de titulo quodam falso Treverensi agendum esset[2]), monuitque item Ritschelius (opusc. IV p. 694) agens de titulis antiquioribus. Scalpturae perfectio in sulcorum summa aequabilitate posita est; quae postea in lapidibus interdum additae sunt litterae, eorundem diversitate facile distinguuntur. Quae graphio scriptis similia sunt monumenta, scalpturae quoque inaequalitate solent conspicua esse.

Scalpturae formam in imaginibus infra propositis repraesentari non potuisse supra diximus (p. XX); lineae mediae imaginibus quibusdam (quas indicavi l. s. s.) additae eam adumbrant. Aerum quorundam caelaturam (ut in n. 813 866 888) et titulorum aliquot rudium scalpturam (ut in n. 1185 1186) imagines indicant.

Lineae in titulis indicatae

Regulae et circini usus, de quo supra dictum est, eo quoque pertinebat sine dubio, ut titulorum verba, priusquam insculperentur, lineis rectis in versus disposita lapidi aerive inderentur. Rubricae vocabulum, ut Graecorum φοῖνιξ κάνων, quem iam ex Euripidis versu aliquo novimus (Herc. fur. 945) et ex titulis Graecis ad aedificiorum structuram spectantibus, funiculum rubrum significabat, quo pro regula linearum recte ordinandarum fabri antiqui utebantur. Persii versus hoc docuit item notus (sat. I 65):

scit tendere versum
non secus ac si oculo rubricam dirigat uno.

Atque lineas omnino necessarias fuisse ad versus inscriptionum litterasque singulas recte delineandas manifestum est et egregia bonae aetatis titulorum aequabilitate et perfectione demonstratur[3]).

[1]) Vide quae Daremberg et Saglio de quaestione illa diu multumque tractata exposuerunt, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines* vol. I p. 464 ss., et post eos H. Bluemner *Technol. und Terminol.* vol. II p. 204 ss.

[2]) In annalibus Bonnens. XLVI a. 1869 p. 106.

[3]) Sed nomen *scalptorum linearium aere caelando*, quod caelatoribus vetustis fuisse putabat Guil. Abeken (*Mittelitalien vor den Zeiten römischer Herrschaft*, Stuttgart 1843, p. 373), fictum est a Stephano Morcellio (de stilo vol. IV p. 108) ad incisores, quos Itali vocant, Latine appellandos; decepit autem etiam alios.

Consentaneum est, pulverem rubrum, quo lineae funiculo illo rubricae dirigebantur, non haesisse nec in marmore nec in aere; immo cavebat sine dubio scalptoris ars, ne linearum ad delineandum ductarum vestigia ulla remanerent. Labentis enim in universum artis et consuetudinis incuriosae indicium est, si lineae illae non pictae, sed quamvis leviter sculptae sunt in aere lapidibusve. Simili prorsus ratione qui formam urbis Romae incendio, ut videtur, deletam denuo saeculo tertio ineunte incidit lapidarius, rubricae quidem vestigia nulla in marmore reliquit, sed hic illic linearum ad rigorem lapidi incisarum ope instrumenti ferrei alicuius, quo etiam aliarum rerum deinde accuratius exarandarum primas lineas neglegenter adumbravit; ut exposuit Henricus Iordan[1]). In aere aliove metallo vestigia eius generis semel tantum me deprehendisse memini. In tabula enim alimentaria Veleiate aetatis Traianae (infra n. 804) sex columnae nominum litteris minoribus scriptae, quae infra inscriptionem maioribus litteris exaratam collocatae sunt, lineas, ut ipse observavi, in aere leviter incisas aperte monstrant; columna septima, postea fortasse adiecta quanquam in spatio vacuo relicto, eis caret[2]). Etiam in lapidibus exempla eius usus rara sunt, rarissima in titulis vetustioribus et in saeculi primi urbanis Italicisque. Tamen unum extat linearum in lapide incisarum exemplum vetustum, quod demonstrat subsidium illud opificii in artis initiis interdum adscitum, tum vero ab arte magis exculta spretum esse: tabula lapidea lapidis Albani ex Scipionum sepulcro, cui elogium filii Africani maioris insculptum est (CIL I 33 = VI 1288 PLME tab. XXXIX *F*); lineae enim in ea adhuc apparent, inter quas litterae olim insertae sunt, monstratque eas imago Ritscheliana[3]). Praeter hoc antiquissimum quod mihi quidem innotuit exemplum linearum in ipso marmore leviter incisarum titulus est urbanus a. 38 '*pro salúte et páce et victóriá et Genio* [*C.*] *Caesaris Aug*[*usti*]' positus (CIL VI 811, infra n. 79). Sequuntur aetate tituli aliquot sepulcrales saeculo primo exeunti et ipsi tribuendi. Alter musei Lateranensis urbanus (in CIL VI nondum editus) ita inscriptus est *A. Valeri A. et* |*Ɔ. l.* | *Sabini,* | *Liviaes Primae* | *sibi et coiugi suae.* Pompeianus musei Neapolitani alter, in quo vestigia linearum duarum tantum supra et infra titulum ductarum supersunt, haec habet inscripta: *C. Munatius Atimetus vix(it)* | *annis LVII* (CIL X 1031); ectypa eorum servo. Saeculo primo deinde probabiliter tribuentur tituli Gallici duo satis vetusti (CIL XII 602 609), in quibus linearum usus ex artificii infantia videtur ortus esse. Romae vero et in reliqua Italia perpauca tantum extant exempla linearum etiam in aevi paullo recentioris titulis, quantum equidem observavi in archetypis et ectypis; editiones enim de talibus saepe tacent. Duos novi saeculi alterius tertiive urbanos (CIL VI 412 a. 244 et CIL VI 12225); multo antiquior Africanus est a. 156 (CIL VIII 8466); aetatis eiusdem fere sunt Dalmatinus (CIL III 2002), Industriensis (CIL V 7486), Asturicensis (CIL II 2648), Alexandrinus (CIL III 6023), Africanus (CIL VIII 763); saeculi adeo primi Moguntiacensis est (Bramb. 915).

In universum tabellae tantum sepulcrales tertii quartique saeculi neglegenter incisae et litteris cursivis vel paene cursivis scriptae atque tegulae eius generis (ut CIL V 8957) lineas habent, quae in christianis demum titulis etiam frequentiores fiunt. A melioris igitur aetatis scriptura epigraphica usum linearum in lapide incisarum omnino abesse confidenter statui potest.

Litterae rubricatae

Litterae lapidariae a iusto opifice insculptae quanquam per se iam satis dilucidae erant, tamen, ut in voluminibus scribendis praeter atramentum minium quoque scribendo inserviebat, et ipsae plerumque postea colore rubro miniove pingebantur. Testatur hoc Plinius loco quodam naturalis historiae iam supra significato (XXXIII § 122): *minium in voluminum quoque scriptura usurpatur clarioresque litteras vel in auro* (*in muro* Mommsenus, *in aere?*) *vel in marmore etiam in sepulcris facit.* Atque usus ille ut in antiquissimis, ita etiam in recentissimae aetatis titulis perinde obtinuit. Color enim ruber non raro apparuit in titulis statim cum reperti sunt; in non paucis adhuc servatus cernitur. Ita accidit in calendariis, veluti in Romano aedis Concordiae (CIL I p. 331 XVIII), in titulis urbanis quibusdam (CIL VI 1016 *d* = Ephem. epigr. IV p. 276, 787 CIL VI 3761 4078 11348, Ephem. IV p. 298, 863 aliis), item in Tarentino (CIL IX 6155), in alio apud Marsos Marruvio reperto (CIL IX 3657), in Aufidenate saeculi quarti (CIL IX 2803), in Pompeianis (in quibus etiam Oscus est, Zvetaieff n. 63) Herculanensibus Ostiensibus Italicensibus aliarum provinciarum (ut CIL III 6485 *a*), quos enumerare supersedeo, cum res sit notissima. Adhuc rubricatae dicuntur esse (sed inde a qua aetate?) litterae tituli *Traiani* celeberrimi ad Danuvii ripam in viva rupe incisi (CIL III 1699), item votivorum aliquot in viva rupe servatorum in Dacia (CIL III 1894), in Pannonia inferiore (CIL III 3365), in Africa (CIL VIII 6267—6302, quorum aliquot pictos tantum, non incisos esse supra dixi). Etiam tituli amphoris doliisve impressi interdum colore rubro picti sunt, ut Africani (CIL VIII 10477 I-II) Hispanusque, quem vidi, ineditus. Tamen in aliquot exemplorum eorum ne decipiamur cavendum est colore a recenti instauratione profecto. Qui in museis servantur tituli inscripti non raro picti sunt rubro colore aetate recenti. Cadit hoc praesertim in museorum urbis Romae titulos; neque vero ubique a pictoribus pictura perite facta est. In Vaticano potissimum museo non paucos titulos pictura minus accurata paene pessum datos esse saepe doluerunt viri docti. Luculentum incuriae eius periculosae exemplum praebet basis vicomagistrorum urbana (CIL VI 975; cf. praeterea inter alia CIL VI 2381). Contra exempli gratia in museis Neapolitano et Mogontiacensi tituli plerique optime picti sunt.

IV

LITTERAE EX METALLO CAELATAE

Litterae accurate primum delineatae pictaeve, deinde sculptae incisaeve lapidi minioque clariores factae in titulis cuiusvis aetatis longe plurimis adhibitae sunt a lapidariis et quasi sollemne eorum opificium repraesentant. Sed procedente aedificiorum splendore arteque cum marmoribus lapidibusque etiam aerea ornamenta coniungendi litterarum magnarum potissimum ad operum tectonicorum epistylia ornanda adhibitarum cava, ut facilius etiam e longinquo discernerentur titulique omnino magnificentiores fierent, aere aliove metallo expleri incipiebant. Graeca eius consuetudinis exempla utrum supersint necne ignoro; a Graecis inde ab Alexandri aetate hoc quoque artificium excultum esse nullus dubito. Lapidarii igitur marmorariive opificium aerarii opera adiuvabatur.

Quae vero insculptae erant lapidi marmorive litterae non solum aere aliisve metallis, interdum etiam marmore versicolore (ut fortasse factum est in titulo Fundano CIL X 6280), explebantur; sed litterae quoque ex aere factae clavis in foramina antea excisa inmissis in cava litterarum forma excisa aut in plano impositae figebantur. Utrumque litterarum genus incrustatum dicere consuevimus; nescio quo iure. Incrustandi enim vocabulum a scriptoribus vetustis usurpari videtur de marmore et lapide tectorio parietibusque infigendo. Itaque non hoc, sed caelandi fortasse illi arti vocabulum convenit aut incoquendi; nam incoctiles litterae eius generis dicuntur in titulo aliquo Africano infra memorando, a ferruminatione fortasse sive plumbatura. Ad litteras ex aere incrustatas puto referendum esse, quod de Augusti quodam titulo Suetonius narrat in vita eius (cap. 97), *ictu fulminis ex inscriptione statuae eius primam nominis litteram effluxisse,* quam *C* fuisse ex Caesaris vo-

[1]) Forma urbis Romae (Berolini 1874 fol.) p. 10.

[2]) P. de Lama *tavola alimentaria Velleiate* cet. (Parmae 1819 4.) de lineis illis nihil adnotavit. Cf. etiam edictum Diocletiani infra n. 1097.

[3]) Etiam Graeci tituli vetusti lineas incisas habebant; v. *Mittheil. des deutschen archäol. Inst. in Athen* IX 1884 p. 116 cf. p. 88 ss.

cabulo vaticinia ibidem relata docent. Quot qualesque olim extiterint litterae sive caelatae sive incrustatae ibi, ubi forma earum ipsa incisa servata non est, docuerunt non raro foramina clavorum, quibus illae infixae erant. Certa enim clavos lege plerumque dispositos fuisse post alios Bormannus observavit[1]). Tituli aliquot Nemausenses, templi quod *la maison-carrée* dicitur[2]), *nymphaei* sive *basilicae*[3]), *portae* (CIL XII 3151), litteras eius modi habuerunt ex aere factas, e quibus E I O P S T binis, A B C D R V ternis, N quaternis, M quinis clavis dicuntur infixae fuisse[4]). Foramina litterarum tituli epistylio aerarii Saturni inditi saeculo tertio fere ineunte in imagine eius tituli (infra n. 469) indicata sunt.

Epistylia magna templorum portarum arcuum porticuum aliorumque aedificiorum sacrorum et publicorum Romae aliisque locis, frequentissime omnium in Africa provincia, litteris hisce incrustatis solebant inscripta esse; litterae aereae non raro auratae erant. Ita inter cimelia nymphaei alicuius, quod Cirtae in Africa fuit, enumerantur *in corona summa* [*in*] *circumitu litterae n*(*umero*) *XXXX auro inluminatae, hederae distinguentes incoctiles n*(*umero*) *X* (CIL VIII 6892; Henzen 6140). Exempla epistyliorum magnorum non enumero; infra urbanorum aliquot proposita sunt (n. 50 245 295 465 469 470). Habent autem litterae olim incrustatae id peculiare, quod cum aes ipsum diu inde soleat remotum esse, cava aliquanto latiora facta sunt vetustamque elegantiam amiserunt; id quod tenendum est in imaginibus illarum recte aestimandis (infra n. 86 270 273 294). Raro bases marmoreae eiusmodi litteras incrustatas habent; sed habent v. c. basis Hadriani urbana a. 135 (CIL VI 974) et quattuor virorum Venusinorum (CIL IX 445); rarius etiam privata monumenta. Neque vero desunt omnino eius quoque generis exempla; habemus aliquot Hispana Obulconense (CIL II 5055), Italicense (CIL II 1124), Saguntinum (CIL II 3869 3870); deinde Naronae in Dalmatia repertum, cuius litterae plumbeae tantum sed aeratae fuerunt (CIL III 1801; est infra n. 360); item Brixianum (CIL V 4324), alia. In titulis eius generis puncta, nisi singillatim facta erant, ut hederae illae incoctiles distinguentes nymphaei Cirtensis, saepius omnino omissa sunt; ut infra observabitur. Litterae illae aereae interdum evulsae sunt, priusquam describerentur, ex cavis foraminibusque suis ab hominibus imperitis barbarisve atque seorsum servatae, lapide, cui insertae erant, pessum dato. Cuius barbariae exemplum notissimum titulus praebet theatri Herculanensis (CIL X 1467), quem hoc modo interiisse Winckelmanni indignationem movit. Etiam tituli alicuius ad S. Victoris in Piceno (CIL IX 5733), item in fano dei Nodontis Britannico reperti litterae solutae tantum servatae sunt (CIL VII 141); apud Leucos in Gallia litterae aliquot solutae aereae grandes prodierunt[5]).

metallo infixae

In pavimentis quoque eiusmodi litterae infigebantur, aut aereae, ut in Ferentinate bibliothecae Vaticanae (CIL I 1165 PLME tab. LXXXIII *C*), aut plumbeae, ut in Veleiate (CIL XI 1184). Simili, sed non prorsus eodem artificio, litterae singulae tituli votivi *angui Aesculapii* Puteolano nunc Matritensi singillatim adferruminatae sunt (CIL X 1547).

Neque vero in lapide marmoreve solo, sed etiam in metallo litterae, ut alia ornamenta, ex aliis metallis factae indebantur arte ea, quam Graeci ἐμπαιστικήν vocabant; cuius exempla, quanquam ad aerariorum opificium infra seorsum tractandum spectant, tamen hoc loco visum est respicere. Ex Graeco ἐμπαίειν verbo ἐμπαιστής fortasse artis vocabulum, quod lexicis nostris deest, formatum est. Inde Latinum vel semilatinum *impaestatoris* vocabulum videtur originem cepisse, quod legimus in titulo aliquo Caesareae in Mauretania reperto (CIL VIII 9427), addendum illud, nisi fallor, indici Weisiano. Graeca eius artis exempla nota sunt: titulos interdum ex argento statuis aureis insertos fuisse docet signum illud Apollinis Agrigentinum, *cuius in femore litteris minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum*, ut Cicero testatur (Verrin. IV 43, 93). Dione teste senatus consulta a. 710 in C. Caesaris dictatoris honorem facta in tabulis argenteis litteris aureis scripta erant (XLIV 7 *τά τε δόγματα τὰ περὶ τούτων γιγνόμενα ἐς μὲν στήλας ἀργυρᾶς χρυσοῖς γράμμασιν ἐνέγραψαν, ὑπὸ δὲ δὴ τοὺς πόδας τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου ὑπέθεσαν*). Pars carminum Neronis aureis litteris Iovi Capitolino dicata esse fertur (Suetonius Nero c. 10): quod vix referendum erit ad volumen aureis litteris scriptum, sed ad tabellam potius votivam. Deinde vasa nonnulla argentea servata sunt litteris aureis inscripta, veluti patera Lusitana ad sacra publica fortasse pertinens *colonorum coloniae Pacis Iuliae* (CIL II 54); alia sacra musei Portuensis (CIL II 2373, infra n. 907); item Hispana *Saluti Umeritanae* dicata (CIL II 2917), Barcinonensis *dei incerti* (CIL II 4501 cf. *Bulletin épigr. de la Gaule* III 1883 p. 159). Privati usus mundus argenteus (paterae sunt et cochlearia cet.) ita inscriptus erat, qui in *Rudnik* repertus est (CIL III 6332). Comparari potest, quod in fibula quadam argentea musei Klausenburgensis litteris ex vitro nigro inditis scriptum est *Quartine vivas* (CIL III 6288 p. 1019). Ornamenta vitrea aeri argentove non raro a veteribus indita fuisse opere eo, quod Francogalli *champlevé* dicunt, testantur vasculum Britannicum itinerarium exhibens (CIL VII 1291, infra n. 911), item prope *Pyrmont* repertum musei Berolinensis aliaque eiusdem generis non inscripta. Tabellae denique aliquot aereae repertae sunt litteris argenteis inscriptae, ut urbana *Martis et Fortunae*, quam servat museum nostrum Berolinense (CIL VI 481), fragmentum Veleias (CIL XI 1149), tabellae Sardae (CIL X 8072 7-10), Bodincomagensis (CIL V 7468), Singidunensis (CIL III 6335), in Germania reperta musei Darmstadtensis (Bramb. 2079), aliae.

in ponderibus et exagiis

Sollemne fere erat ponderibus lapideis aereisve et exagiis aereis litteras ex argento aereve inserere. Exempla collecta habemus urbana aliquot apud Fabrettium (p. 523 ss.; cf. urbana item *bullett. dell' inst.* a. 1879 p. 210 ss. quaeque nuper composita et explicata sunt a G. Gatti et I. B. de Rossi *annali dell' inst.* LIII a. 1881 p. 181 ss.), musei Neapolitani (CIL IX 6088 2. 3 6090 8; CIL X 8067 22-32 8068 7. 8), Perusinum (*bullett. dell' inst.* a. 1879 p. 169), Hispana (CIL II 4962 1-5), Moesiaca (CIL III 784 6335), Italiae superioris (CIL V 8119 1-10), Polense (*archaeol.-epigr. Mittheilungen aus Oesterreich* VI a. 1882 p. 88), Helvetica (Inscr. Helv. 340), in Germania repertum (Bramb. 1300), Britannica (CIL VII 1277—1279), Africana (CIL VIII 10482 1-7 10964); extant alia non pauca.

V

LITTERAE OPERIS MVSIVI

Qui non raro in pavimenta lithostrota aut tessellata inserti sunt tituli, ei nisi litterae ex metallo caelatae sunt et ipsae, ut supra observavimus, solent ut reliqua pavimenta ex tessellis varii coloris facti esse. Unde aliqua ratione comparandi sunt cum titulis ex litteris incrustatis consistentibus; tessellarum autem genera et mensurae litteris quoque, ut ita dicam, tessellatis propriam aliquam formam addunt. Titulos eius generis habemus urbanos (CIL VI 379 = I 1105 PLME tab. LIX *A*; CIL VI 656 2220 = I 802; CIL VI 5531 5532 10155 10203 10205 10206 10418 et nuper repertum *fons perennis* apud Rud. Lanciani in libro de aquis urbis Romae p. 28), Tarracinensem (CIL I 576 = X 6323 PLME tab. LVII *Dd*), Coranum (CIL I 1152

[1]) Vide quae exposuit de titulo arcus Septimii Severi *bullett. dell' instit.* a. 1879 p. 40 (Ephem. epigr. IV p. 276 n. 789) et quae indicavit breviter *Archaeol. Zeitung* a. 1881 p. 70. Adde titulum Viennensem CIL XII 1845.

[2]) CIL XII 3156, *Revue épigr. du midi de la France* a. 1881/2 p. 246.

[3]) CIL XII 3152, *Bulletin épigraphique de la Gaule* II 1882 p. 81 s. tab. VIII.

[4]) Vide *Rev. archéolog.* XLII 1881 p. 66.

[5]) Vide *Bulletin épigr. de la Gaule* I 1881 p. 287 s.

PLME tab. LXXV *B*), Ferentinatem (CIL I 1165 = X 5847 PLME tab. LXXXIII *C*), Pompeianos (CIL X 872—882 8146); Italiae superioris (CIL V 695 4500 7517), deinde Tannetanum (CIL XI 1020), agri Hadriani (CIL IX 5052), Anconitanum christianum (CIL IX 5901), item Ravennates christianos non pavimento inditos, sed parietibus opere musivo splendidissimo ornatis (CIL XI 254—293); denique Germaniae (Bramb. 1409), Dalmatiae et Pannoniae ex parte item christianos (CIL III 2673 5561 5585), Helvetiae (Inscr. Helv. 339 1-3), Hispaniae (CIL II 492 1110 1111 1524 1624 3554 4286 5129), Britanniae (CIL VII 2 77 137 174), Africae (CIL VIII 1072 8424 8509 8510 9421 10510 10539 10889—10891 et christianos 8344—8348 9271 9313 9710 9731). Interdum quot pedes pavimentorum a singulis tessellati sint, titulis in pavimentis insertis indicatur; ut in christianis quibusdam Veronensibus (CIL V 3693—3695). Multi titulorum eorum cum imaginibus tessellatis coniuncti sunt, quibus ludi circenses munera gladiatoria balnea repraesentantur; ut appareat, artem *museiarii*, qui in titulo quodam urbano memoratur (CIL VI 9647), etiam ad titulos pervenisse.

CAPVT SEXTVM

SCRIPTVRA ACTVARIA

I

LITTERAE INCISAE

Ut monumentorum materia propria lapides, ita actorum apud Romanos aes fuit antiquitus aut esse sane debuit; in aere scriptura actuaria locum habet proprium. Egimus de opificio earum inscriptionum omnium, quae in lapide aliave materia lapidi simili aut sculpebantur aut infigebantur. Dicendum igitur nunc est de altera illa materia ad acta potissimum inscribenda adhibita, de aere deque materiis quibusdam aeri similibus, e quibus modo vidimus etiam litteras caelatas lapidi metallisve indi solitas esse.

Incidendi vocabulum

Proprium autem vocabulum, quo opificium caelatoris aerariive illud designabatur, cui sculpendi vocabulum apud lapidarios respondet, incidendi est. Quanquam enim interdum etiam usurpatum est de litteris in marmora lapidesve incisis, ut supra (p. XXIX) vidimus, contra scalpendi ad aera quoque refertur, ut in epistula *Fadii Musae* Narbonensi, cuius vocabula supra attuli (item p. XXIX), tamen incidere proprie ad aera spectat. Docet hoc Ciceronis potissimum loquendi usus, apud quem *foedus in columna aenea incisum et perscriptum* (pro Balbo 23, 53) et *in aes incidi iubebitis illa legitima* (Phil. I 10 26) legimus. Similiter Plinius de Cn. Flavi Anni filii, qui scriba fuit Appi Caeci, aedicula aerea in Graecostasi refert Flavium *in tabella aerea incidisse*, factam eam aedem CCIIII annis post Capitolinam dedicatam (n. h. XXXIII § 19). Augusti *rerum gestarum ... incisarum in duabus aheneis pilis, quae sunt Romae positae, exemplar* templi Ancyrani parietibus reliquisque Augusteis insculpebatur (v. infra n. 1090). Plinius minor ex senatus consulto de Pallantis honoribus verba refert haec: *utique .... senatus consulta de iis rebus facta in aere inciderentur idque aes figeretur ad statuam loricatam divi Iulii* (epist. VIII 6, 13; cf. etiam CIL II 1423). Usu deinde sollemni *in aere incidendi* vel simpliciter *incidendi* vocabula de eis adhibita sunt, qui frumentum publicum accipiebant, ut e scriptorum titulorumque testimoniis exposuit O. Hirschfeldius[1]): unde nomen duxit collegium *aeneatorum frumento publico*. Cum testimoniis illis comparanda sunt quae praeterea in inscriptionibus legimus *nomina in aere incisa* tituli urbani (CIL VI 10099), veteranus ille *in aere incisus*, ut breviter dicitur, *a divo Vespasiano* tituli Aquileiensis (CIL V 889) et mulier quaedam in titulo urbano (Orell. 3365) dicta *inc(isa) fr(umento) pub(lico) div(ae) Faust(inae) iunior(is)*, item *qui frumento publico incisi sunt* recensiti in tabula aenea urbana a. 203 (CIL VI 220). Adde verba Senecae (de benef. IV 28, 2): *frumentum publicum tam fur quam periurus et adulter accipiunt et sine delectu morum quisquis incisus est*, Plinii (paneg. c. 28): *omnes incidi iussisti*, vitae Antonini Diadumeni (c. 2): *incideret praeterea et pueros Antoninianos et puellas Antoninianas.* Tabula hospitalis Ferentinas a. c. 101 *incisa hoc decreto* dicitur (infra n. 873); in matricula decurionum et collegiatorum Anxanensi saeculi quarti exeuntis rector provinciae *nomina* illorum *publice incidi praecepit* (CIL IX 2998).

Incidendi opificium

De incidendi opificio perpauca reperio a viris doctis adhuc observata. Petrus de Lama, qui tabulam Veleiatem (CIL XI 1147, infra n. 804) edidit, de ratione, qua litterae monumenti eius visae sint insculptae esse, haec adnotavit: *si riconosce che è stato scritto col bulino, che i tagli orizzontali terminanti le lettere hanno preceduti i perpendicolari e i trasversali che le terminano — e ciò si fa più manifesto allorchè si osservano talvolta le lettere* E F N T *mancanti delle aste perpendicolari — e che questi secondi tagli cominciano tutti dal piede delle lettere*[2]). Idem elenchum tabularum aliquot aenearum Romanarum quae tum notae fuerunt contexit, neque vero de reliquarum opificio quidquam adnotavit. Mihi difficile visum est discernere, quae singulae litterarum particulae primum incisae, quae postea adiectae essent a caelatore; neque constans videtur fuisse opificium in talibus minutiis. Tamen certa quadam lege omni fere aetate scalpella a caelatoribus adhibita esse apparet atque nullo negotio lex illa ex actorum scriptura diligentius considerata illustrari poterit.

[1]) Philologus vol. XXIX 1869 p. 11.

[2]) *Tavola alimentaria Velleiate* cet. (Parmae 1819 4.) p. 11.

II

AERARII CAELATORES AENEATORES

Ut lapidarii marmorariive praeter reliquum opus etiam litteras sculpebant, ut supra vidimus, ita qui aes in universum tractabant aerarii atque caelatores litteras quoque in aes incidisse putandi sunt. *Aerarii* simpliciter ut apud scriptores ita in edicto Diocletiani (CIL III p. 830 c. 7, 24) et in titulis non raro memorantur, ut *sodales aerari* in urbano (CIL VI 9136) et *coll(egium) aerar(ium) c(oloniae) A. A(ugustae) M(ediolanii)* (CIL V 5872), *aerarii* in Beneventano (CIL IX 1723), in Campano (CIL X 3988), in Florentino (apud Burmannum anthol. IV 189 = Meyer anthol. 1307), in Cordubensi (CIL II 2238). Quod interdum accuratius in urbanis dicuntur *aerarius stat(uarius?)* (CIL VI 9137) sive *erari vascl(arii)* (CIL VI 9138), aerarios reliquos omnia opificia in aere perfecisse fortasse indicat. Ad metalla remque monetariam *confectores aeris* in titulo Hispalensi (CIL II 1179) et *mancips* [sic] *officinarum aerariarum quinquae* [sic] *item flaturae argentariae* in titulo urbano (CIL VI 8455) referendi sunt. Similiter *caelatores* simpliciter dicti, ut *de sacra via* ille urbanus (CIL VI 9221) quique *artem caelaturae Clodianae* praedicat (CIL VI 9222), a vasculorum potissimum caelandorum artificio, quod accuratius videtur indicari in *caelatore anaglyptario* Cordubensi (CIL II 2243), nomen ducebant. Proprium igitur nomen opificum eorum, qui litteras in aere incidebant aut ex aere eas fingebant, siquidem fuit omnino, nondum innotuit. Nisi fuit *aeneatorum;* collegium *aeneatorum frumento publico* modo memoravimus.

III

TITVLI AENEI

Aeri interdum etiam tituli insculpti sunt, ut marmori lapidive, litteris maioribus atque eleganter ad regulam delineatis. Exempla eius usus vetusta novi nulla, aetatis imperatoriae pauca. Tabula aenea satis grandis, servata nunc in museo Matritensi archaeologico, a *Pudente* aerifodinarum quarundam Hispanarum procuratore Nervae Caesari posita est a. 97 (CIL II 956), facta ille sine dubio ex ipso aerifodinarum illarum aere, ubi inventa est. Supparis aetatis est Taurinensis titulum honorarium continens (CIL V 7007); non multo recentior, ut videtur, Industriensis item Taurinis servata, quae dicitur scripta esse litteris olim argento impletis (CIL V 7468); a. 181 Cemeneliensis, quae interiit (CIL V 7907). Setiae reperta est tabula aenea *Mercurio Augusto sacra*, quae nunc latet (CIL X 6461). Moduli parvi, sed generis eiusdem est arula aerea, quae nuper Romae prodiit, pertinens illa ad a. 118 (*bullett. dell' instit. archeol.* a. 1882 p. 38). Novi praeterea tabellas honorarias ex Iulio Carnico (CIL V 1838 1839), Viennenses (CIL XII 1856, infra n. 876 et XII 1877), Lugudunensem (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 119 II), quae cum tabulis tesserisque hospitii et patronatus comparandae sunt (v. infra p. 301).

IV

ACTA

Sed in universum litterae aeri incisae, cum scalpro minore alioque artificio, quam tituli lapidi insculpti, perficerentur, propriam habent indolem. Primum enim, ut supra iam dixi, cum acta potissimum publica privataque ex consuetudine Romana antiquissima aeneis tabulis incisa esse sciamus, actorum, non monumentorum litteratura ex ceris voluminibusque tabulisque dealbatis suo quasi iure in aes translata est usu sollemni, rarius in lapides. Deinde ipsa scriptionum earum, quae in aes incidi solebant, magnitudo artem quadratarii celeriorem scalprumque levius et subtilius exigebat. Inde videmus legum rei publicae liberae reliquias in corporis inscriptionum volumine primo collectas et a Ritschelio ad archetypa repraesentatas litterarum formas exhibere non usquequaque aequales nec summa cura factas, sed magna ex parte quasi currenti scalpro incisas. Idem cadit in partem Oscam tabulae Bantinae, quae neglegentiore adeo litteratura sculpta est quam Latina eius legis pars; nec multo magis curiose incisa est lex fani Agnonensis [1]. Magnum vero in illis litterarum formis incidendis usum magnamque facilitatem adeptos esse caelatores Romanos docent multa eius generis acta tam liberae rei publicae quam ex aetate imperatoria nobis servata, veluti senatus consulta et sententiae (ut Minuciorum), edicta orationesque imperatorum et magistratuum, decreta municipalia et collegiorum, leges municipales (ut Hispanae Salpensana Malacitana Ursonensis) et metallorum (ut Lusitana Vipascensis), tabulae deinde patronatus et diplomata militaria, de quibus infra dictum est (p. 277 ss.). In diplomatis militaribus notum est partem interiorem saepe litteris scriptam esse adeo inconditis, ut aegre legi possint (v. p. 285). Atque de aeneis monumentis idem valet, quod infra observabimus de vitiorum in lapidibus inscribendis a quadratariis commissorum raritate; scilicet aera quoque quanquam non prorsus vacua sunt ab erroribus, tamen, si verborum in eis scriptorum copiam computaveris et caelatoribus provincialibus veniam aliquam quam urbanis maiorem concesseris, admodum emendate incisa sunt.

V

RVBRICAE

In scriptura legum actorum instrumentorum, quae permagni interdum ambitus fuisse notum est, cum non facile quid in eis perscriptum fuisset, perspici locique singuli reperiri possent, quaeritur num rubricandi fortasse consuetudo ad illa quoque pervenerit ea, quam supra vidimus e tabulis dealbatis voluminibusque in lapidum marmorumque scripturam translatam esse. Notum est initia legum in tabulis dealbatis

[1]) V. Mommseni *unterital. Dialekte* p. 152; Zvetaieff n. 142 et 9.

propositarum minio picta fuisse. Rubricae nomen de legibus potissimum usurpatum fuisse Persii versus noti testantur (sat. V 89):

cur mihi non liceat iussit quodcumque voluntas,
excepto siquid Masuri rubrica vetavit?

Unde Echion Petronianus puero suo docili emit *aliquot libra rubricata*, quia volebat illum *ad domusionem* (i. e. ad usum domesticum) *aliquid de iure gustare* (sat. c. 46). Ita Quinctilianus de iuris studiosis ait (inst. or. XII 3, 11) alios se *ad album ac rubricas* transtulisse, Iuvenalisque patrem puero praecipientem facit (sat. XIV 192):

vigila, causas age, perlege rubras Maiorum leges.

Certum igitur est, rubricae nomine capita primum legum singula designari solita esse, propterea quod rubro colore aut titulorum vocabula omnia aut primum quodque unius cuiusque capitis sive elementum sive vocabulum scribi solebat, ut facilius a legentibus distinguerentur; deinde ad leges integras nomen pervenisse. Tamen eius usus, quem per medii aevi saecula paene ad nostram aetatem perdurare videmus, in legum tabulis aeneis nobis servatis vestigia reperta sunt, quod equidem sciam, nulla. Sed in legibus Salpensana et Malacitana (CIL II 1963 1964, infra n. 807 809) R littera cuique capiti praescripta est, prorsus eadem ratione atque in Gai institutionum codice Veronensi (p. 112, 2 Studem. et aliis locis cf. Studemundi praef. p. XXIX). Si recte coniecimus in Plinii (n. h. XXXIII § 122) verbis, quae supra adscripsimus, *in aere* scribendum esse (pro *in muro*, quod traditur), putandum erit etiam in legum tabulis aeneis olim adhibitum fuisse colorem rubrum; quod per se probabilitate minime caret. Vestigia sane eius coloris in tabulis servatis adhuc deprehensa sunt nulla. Sed hoc mirandum non est, cum in aere multo minus haereat color quam in marmore lapideve aut in tectorio albo. Contra R litterae singularis in aeribus usus inde etiam potest explicari, quod quae colore ibi non distincta erant ita sane a reliquis facilius distinguebantur. Ceterum R illa linea transversali distincta non solum rubricam, sed etiam alia quaedam vocabula ab *r* littera incipientia indicat: in massis marmoreis (infra n. 1160) et in amphorarum doliorumque titulis pictis non rubricam sed rationem significat[1]); in titulo aliquo urbano equitem Romanum (CIL VI 3495, infra n. 493). Quare utrum rubricandi consuetudo etiam ad aera pervenerit necne in incerto relinquendum est.

VI

LAMINAE AENEAE

Antiquissimus praeterea usus est titulos laminis aeneis inscribendi non magni moduli litterisque eam ob causam a voluminum in universum vix diversis; quae laminae eis rebus, ad quas pertinebant, puta signis eorumve basibus, aris, donariis, aut infigebantur clavis aut inserebantur incrustando aut appendebantur. Eius formae inscriptionum antiquissimum quod novi exemplum statua est M. Anicii praetoris Praenestini *cum titulo lamnae aeneae inscripto, M. Anicium pro militibus, qui Casilino in praesidio fuerint, votum vovisse* bello Hannibalico, de quo Livius refert (XXIII 19, 18). Pervenit haec quoque forma a Graecis non ad Romanos solos, sed ad reliquos quoque populos Italicos; non pauca eius generis monumenta inscripta habemus Osce (Zvetaieff nn. 2 4 5 8 140 141 146), Falisce (Garrucci syll. n. 557—559), Umbrice[2]), Marse (H. Iordan Hermae vol. XV 1880 p. 5 ss.). Latinas eiusdem generis inscriptiones habemus remotae non nullas antiquitatis urbanas (veluti CIL I 187 = VI 29; I 188 189 = VI 357 3694; I 192) Praenestinamque, quae nuper innotuit (in Hermae vol. XIX 1884 p. 453), utrimque ex parte conscriptas (CIL I 62 193), quod etiam in tabellis Oscis Umbrisque observatur atque vario modo explicari potest; deinde aetatis recentioris varias infra compositas (p. 312 s.). Sunt illae non raro in tabellarum ansatarum formam effictae; sed etiam formae quadratae, oblongae, rotundae (ut Orvieti reperta CIL I 1345 PLME tab. IV *C*) extant; manubria et fastigia variaque alia ornamenta interdum accedunt. Etiam tabulae hospitii in laminarum tesserarumve interdum formas coartatae sunt, ut docent antiquissimum eius generis monumentum *piscis* aeneus Fundanus (CIL I 532 = CIL X 6231 PLME tab. II *K*) et tabellae Hispanae duae (infra n. 862 866). *Sortes* deinde huc pertinent aeneae Patavinae quae creduntur (CIL I 1438—1454) et Parmenses punctim scriptae (CIL XI 1129 *a—c*); item *tabellae medicinales* Ticinenses (infra n. 908 909). Earum scripturam illustrant exempla infra proposita (n. 888 ss.), ubi etiam deperditarum vel latentium elenchum dedi. Tabellae aliquot devotionis, quae solent ex viliore plumbi metallo factae esse, interdum, ut infra monebo (cap. IX), aeneae sunt. Pyramis *Iovi Dolicheno* dicata ex tribus aeneis tabulis auro argentoque olim tinctis tituloque ornata punctim scripto, quem infra exhibui (n. 945), extat in museo Pestinensi (CIL III 3316—17). Quae infra proposuimus eius generis exempla scripturam ostendunt actuariam parvam pleraque.

Raro videntur tabulae aeneae ad titulos sepulcrales inscribendos esse adhibitae; nullas sane eius generis inscriptiones aeri incisas novi. Rarus earum usus e metalli pretio ex parte explicatur; neque vero putandi sunt tituli sepulcrales aenei omnino defuisse. Nam repertae sunt in Lucania certe lamellae aliquot aeneae vetustae (CIL X 501—503 = Ephem. epigr. I 1872 p. 31 n. 132—138 Zvetaieff n. 155—159), quae tamen vix Latinae dici possunt moremque Graecum sequuntur, qualem demonstrant inter alia laminae plumbeae permultae sepulcrales in Euboea insula repertae[3]). Sed etiam recentiore aetate non prorsus eas defecisse epigramma docet Antipolitanum conceptum ita:

Viator audi, si libet intus v[eni]:
tabula est aëna, quae te cuncta perdocet

(Grut. 897, 16 CIL XII p. 15; nam titulus minime suspectus est).

VII

SIGILLA ET VASCVLA AENEA

Eadem autem atque tabellae arte etiam sigillorum bases inscriptae sunt, ut Iovis Osca (Zvetaieff n. 3), vetusta originis Italicae (CIL I p. 255), Aventicenses dearum duarum (Inscr. Helv. 215 216, infra n. 901 902), Britannicae Camulodunensis et Lindensis *Martis* (CIL VII 93*a* 180, infra n. 904 905), deae *Vagdavercustis* apud Batavos reperta (Bramb. 67), urbana Mithriaca ('in basi aenea sub manu votiva' CIL VI 836). Accedit his basis *Aesculapii* trilinguis Latine Graece Punice inscripta Sarda celeberrima (CIL X 7856). Deinde non aliter inscripta sunt *vascula aenea*, veluti vetustum a *Q. Lainio Q. f(ilio) praefecto pro trebibos* factum (CIL IX 4204 = Eph. ep. II p. 209; H. Iordan quaestiones archaeicae Regimontii

[1]) V. Bruzzae in annal. instit. archaeol. XLII a. 1870 p. 106 ss. et Dresselii in eisdem annal. L a. 1878 p. 160 ss. enarrationes.

[2]) Aufrecht et Kirchhoff II p. 398 III et inscriptio nuper ab H. Iordano tractata Cuprae matris Tudertina (v. eius quaestiones Umbricas Regimontii a. 1882 editas p. 1 ss.).

[3]) H. Roehl inscriptiones Graecae antiquissimae n. 372 1-432.

1884 p. 1 ss., *manus aeneae votivae* Cuprensis (CIL IX 5296) et Herculanensis (CIL X 1407), *tintinnabulum aeneum* Britannicum (CIL VII 1295), *basis Aesculapii* in Sardinia reperta (CIL X 7857), *vasculum Apollini Granno* sacrum ad Sueciae oram remotam delatum (Orell. 1997 cf. Hermes XIV 1879 p. 318 et *Bullett. dell' Instit.* 1883 p. 237), *congius Farnesianus* Dresdensis (Hultsch *Metrologie*² p. 123), denique *galeae* (ut Osca Zvetaieff n. 154) *fibulae strigiles* aliaeque supellectilis domesticae res. In statuis quoque protomisque ita non raro tituli inscripti sunt. Vetusta eius generis exempla sunt Tudertinum in signo Martis extans (Aufrecht et Kirchhoff II p. 392) titulusque alae statuae alicuius aeneae (fortasse Fortunae) inscriptus musei Neapolitani (CIL I 1239 PLME tab. III *F*). Viennae in Gallia Narbonensi caput Iunonis, ut videtur, repertum est, cuius diademati nomen suum inscripsit quaestor coloniae eius (CIL XII 1891). Semel Graeco more femori statuae dei alicuius iuvenis Viruni repertae, fortasse Mercurii, titulus votivus inscriptus est (CIL III 4815; cf. exemplum novicium Matritense *antike Bildwerke in Madrid* p. 9). Herculanei porca aenea reperta est Herculi vota (CIL X 1405). In his omnibus quanquam formae litterarum diversae sunt, opificium tamen incidendi videtur idem fuisse litteraturaque ab actuaria actorum reliquorumque monumentorum aeneorum non multum diversa esse solet.

VIII

LITTERAE PVNCTATAE

Praeterquam quod stilo interdum graphiove in auro argento aere litterae scariphatae sunt, ut infra videbimus, tertia extat in metallo scribendi ratio. In nummorum formis litterae interdum ita incisae sunt, ut puncta in fine linearum scalpello facta appareant. Similiter puncta in fine litterarum posita etiam in tabulis aeneis incisis interdum remanserunt ex caelatoris opificio. Paene omnes litteras ita formatas exhibent, ut Ritschelii imagines monstrant, ex tabulis aeneis vetustioribus leges Rubria et Iulia municipalis; i. e. ex serie earum recentissimae. Idem in lamellis quibusdam aeneis, veluti in musei Kircheriani lychnucho affixa (Or. 2511), et in gemmis observatur. Saepius litterae integrae ex punctis tenuibus iuxta positis effinguntur. Hunc scribendi in aere usum, subtilem illum et elegantem, antiquissimum esse et Graecis notum docent vas aeneum Dodonae repertum[1]) et caduceus Gnathinus[2]), ambo ita inscripta. Laminae aeneae Dodonae repertae, quae decreta honoraria, iura civitatis concessa, manumissiones continent, paene omnes, item tabellae votivae pleraeque punctim scriptae sunt[3]). Ornamenta aurea in insula Cypro reperta titulis inscripta sunt punctatis[4]). Etiam anulus aureus Osce inscriptus (Zvetaieff n. 51) litteras habet punctim factas. Postremo etiam inscriptiones Ibericae in Hispania repertae punctim scriptae sunt, ut tabella aenea Segontina[5]) et tesserae hospitalis titulus bovi parvo aeneo inscriptus[6]).

in lapide

Semel tantum, ut ex materiae indole explicatur, scripturam hanc punctatam in lapide adhibitam esse memini: scilicet in *clipeo Minervae* vetusto urbano musei Kircheriani (CIL I 817 = VI 530 PLME tab. I *Dd*).

auro

Saepius usurpata est in auro, ut in armilla aurea Pompeiana (CIL X 8071, 1), in lamella Aptensi (CIL XII 1063, infra n. 935), in Eburacensi Graece inscripta (CIL VII p. 62), in vasculi aurei manubrio item Britannico (CIL VII 1284).

in argento

Frequentiores habemus eius generis titulos in supellectile varia argentea, ut in *vasculis* musei Neapolitani variis et Hildeshemiensibus musei Berolinensis, in *patera* Lugudunensi, in lamellis Sirmiensibus et Britannicis. Monumenta illa omnia enumeravi infra p. 313 selectaque eorum exempla exhibui.

in aere

Plurima in aere punctim scripta extant, in pateris, scutulis, tabellis, laminis, basibus sigillorum, umbonibus, galeis, ponderibus, omnino in supellectile cuiusvis paene generis; eorum quoque infra exempla proposita sunt (n. 896 926 ss.).

Litterae perforatae

Rarius puncta illa tam grandia et profunda facta sunt, ut lamellarum metallum perforarent; quod accidit in *tabella* quadam *votiva* Apulensi (CIL III 1617). Tamen plerique eius generis tituli monumentorum ex metallo factorum scalpro incisi sunt, ei praecipue, qui usui publico quodam modo inserviebant; punctim scripti, qui ex parte aegre leguntur, privati magis generis esse solent.

Litterae ex metallo solidae

Ut in vasis vitreis diatretis quae vocantur e vitro, ita ex auro quoque aereve solido litterae interdum integrae fictae sunt ad certae cuiusdam indolis supellectilem ornandam, quacum iunctae illae sunt artificiose ita, ut spatium circa eas vacuum relictum sit. Ex auro eius formae titulus *Diocletiani* nomen exhibens, ut videtur, in Caledonia repertus est (CIL VII 1283). Ex aere lamella extat similis item Britannica Bremeniensis fortasse ad signum cohortis alicuius pertinens (CIL VII 1290). Alia eiusdem opificii exempla mihi non innotuerunt.

IX

LITTERAE IN EBORE OSSIBVS GEMMIS INCISAE

Simili fere ut in aere scalpro fabri eburarii sive eborarii, memorati illi in titulis aliquot urbanis (CIL VI 9375 9397), videntur usi esse ad ebur ossave inscribenda. Tesseras eburneas, quas ad gladiaturam aliqua ratione pertinuisse probabile est, quanquam minime demonstratum, suam habere artem incisionis secundum tempora paullo diversam Ritschelius iam observavit recte (opusc. IV p. 610). Eandem fere reliquae sequuntur eius formae tesserae, veluti Osca (Zvetaieff n. 31) et Graecae Latinaeque a me olim compositae[7]). Quique praeterea in ebore inscripti sunt diptychorum tituli et tesserarum variarum rotundarum, qui ad spectacula videntur referendi esse, eandem fere exhibent artem. Qui in gemmis incidebantur aliave materia simili, veluti titulus urbanus in pede muliebri ex ambra facto extans (CIL VI 756), aut nummorum, ut supra dixi, sequuntur consuetudinem, aut eodem fere scalpro formati sunt, quo tituli in aere aliisque metallis inscribebantur. Exempla opificii huius a me infra composita sunt (p. 432 ss.).

[1]) H. Roehl inscriptiones Graecae antiquissimae n. 339.

[2]) Mommsen *die unterital. Dialekte* p. 66; A. Fabretti *palaeograph. Studien* p. 35, ubi aliae quaedam eius generis inscriptiones indicantur.

[3]) Ut docent imagines accuratae, quas Carapanos operi suo (*Dodone et ses ruines* Parisiis 1878 4.) inseruit.

[4]) A. P. di Cesnola *association journal* XXXIX a. 1883 p. 119 ss.

[5]) *Boletin de la R. Acad. de la Historia* II 1882/3 p. 35 ss.

[6]) *Boletin de la R. Acad. de la Historia* I 1877/79 p. 129.

[7]) In actis menstruis acad. Berol. a. 1868 p. 747 ss. *Revue archéol.* 1868 vol. I p. 408 ss.

X

SCRIPTVRA VNCIALIS

Ex eo scribendi genere, quod calamis et atramento in papyris et membranis exercebatur, ortae sunt formae litterarum rotundae, non graciles, quales fuerunt stilo exaratae, nec latae et lineis transversis paene carentes, ut penicillo pictae, sed a scriptura monumentali non minus quam illae diversae. Solemus eam scripturam uncialem appellare, iure nullo, sed consuetudine tam constanti omnibusque nota, ut deseri nequeat, praesertim cum aliud nomen aptius, quod ei scripturae tribuamus, non suppetat[1]). Atque ad acta lapidi incisa hanc quoque scripturam pervenisse non mirum est; tamen non ante saeculum quartum acta litteris uncialibus in lapide videntur scripta esse. Antiquissimum enim quod innotuit hucusque exemplum eius usus rescriptum est *Constantini* Patavinum (aut in aere aut in marmore incisum; tacuerunt enim testes oculati) a. 314, quod periit aut latet (CIL V 2781). Sequuntur aetate rescriptum imperatoris incerti Mylasense a. circiter 348, quod item periit (CIL III 448), et Amorgi Theraeque duabus partibus repertum *Iuliani* a. 362, cuius ectypa non facile obtineri possunt (CIL III 459). Ab actis propriis scriptura uncialis transiit ad carmina quaedam, qualia ad opera tectonica illustranda potissimum adhibita sunt inde a saeculo quarto exeunte quintoque. Ita Constantinopoli supra portas urbis et in obelisco epigrammata inscripta sunt Latina et Graeca in honorem *Theodosii* et *Eudoxiae* annis 388 ad 403 (CIL III 734—737); in basi columnae quae dicitur virginis extat distichon *Tatiani* praefecti urbis a. 451 inscriptum (CIL III 738); supra portam aliquam urbis simile *Pusaei* inter annos 465 et 467 scriptum (CIL III 739). Eiusdem fere aetatis, i. e. inter a. fere 446 et 474 carmen octo distichorum ad fontem prope mare in viva rupe insculptum est loco aliquo Dalmatiae (CIL III 1894). Sidone in columna, quae ad moenia iuxta maris oram erecta pertinet, litteris eiusmodi epigramma inscriptum est saeculo, ut putant, sexto (CIL III 6037). Similiter scripta videntur esse epigrammata duo in Syria a Waddingtonio reperta necdum, quantum scio, delineata accurate; alterum sepulcrale *Maiorinii* praefecti praetorio (CIL III 124), alterum in portula torcularis inscriptum (CIL III 188). Ea omnia quantum iudicare licet ex imaginibus non admodum fidis, quae extant (ectypa enim eorum obtineri non potuerunt), formas litterarum habent barbaras illas quidem, sed unciales aperte imitantes, veluti m pro M, ƅ pro B, Ϛ pro G, u pro V cet. Recentior fortasse iudicandus est titulus in valle *Wadi Mokatteb* (i. e. vallis scripta) Arabiae rupi incisus, conceptus ita '*cessent Syri ante Latinos Romanos*' (CIL III 86), quem ex G. F. Gray peregrinatoris Britanni editione (in *Transactions of the Royal Society of Litterature* a. 1832 II 1 p. 147) repetivit Massmannus (lib. aur. p. 50); a privato aliquo otioso glorioso videtur profectus esse formaeque litterarum ad cursivam scripturam vergunt. Quinti item saeculi videntur esse carmina quaedam similibus litteris scripta, ut urbanum (Ephem. epigr. IV p. 299 n. 866) et in Dalmatia repertum *Principii* alicuius (CIL III 6414 add. p. 1035). Sexti denique saeculi exeuntis sunt tituli in Africa reperti aetatis Iustinianae, quorum specimina quaedam infra exhibui (p. 271 n. 794—796), paullo illi diversi a reliquis scripturae uncialis exemplis.

Multo autem quam illa omnia vetustiores sunt tituli aliquot Africani summa arte sculpti tribuendique sine dubio saeculo tertio, fortasse exeunti (infra n. 1147—1152; quibus adde CIL VIII 684). Ceterum vix multo recentiores videntur esse tituli sepulcrales aliquot urbani, in quibus b d ϵ q ſ u formae leguntur (CIL VI 12086 15185); fortasse adeo paullo antiquiores tituli aliquot militum sepulcrales Athenis et in Aegypto reperti, similes illi exemplis a me infra propositis (n. 370 371); unus eorum in Piraeo extans, cuius ectypum sero nanctus sum, formas litterarum nonnullarum plane unciales habet δ ϵ ∂ q ς u (CIL III 558). Unde etiam *artificis nomen* inscriptum litteris similibus in basi statuae muliebris, quae est in museo Florentino (infra n. 1146), a palaeographis auctore Buonarottio, qui primus titulum edidit, quarto vel quinto vel sexto saeculo tributum[2]), rectius tertio fere saeculo adscribetur. Praeterea in *titulis christianis* quibusdam coemeteriorum urbanorum scripturam illam novimus adhibitam esse inde fere a saeculo quarto medio. Unum eorum, a. illum 338, Mabillonus iam protulerat (de Rossi inscr. christ. urbis Romae I p. 43, 50), ut supra (p. XIV) adnotavi; unde noverunt palaeographi reliqui. Sed notandum est in inscriptionibus scariphatis tantum, non in titulis quamvis rudi artificio sculptis, illas scripturae litterariae formas adhibitas esse. Alii tituli nuper accesserunt per Rossium, ut nominum ille elenchus graphio scriptus (*Roma sotterranea* II tab. XXXIII ɪᴠ; inde Arndt *Schrifttafeln* tab. 26 *g*), aliaeque tabellae coemeteriales, ut *Victorinae* alicuius a. 330, quae videtur eius generis antiquissima esse (inscr. christ. urb. p. 37 n. 38 = IN 7148), et tituli in tectorio graphio scripti, quos Rossius arte lithographa exprimendos curavit plerosque, annorum illos 339 (p. 45 n. 55 57 58), et a. 344 (n. 75 77) a. 345 (n. 81 86) a. 346 (n. 90) a. 352 (n. 116) a. 353 (n. 119) a. 363 (n. 165) a. 374 (n. 243) a. 379 (n. 291) a. 385 aut 406? (n. 571) a. 407 (n. 581). Similes videntur esse tituli aliquot Africani, ut Bisicanus trium sanctarum, quem Ximenez solus servavit (CIL VIII 1392). Inde a saeculo quarto exeunte singularum litterarum formae unciales inmixtae inveniuntur reliquis magis monumentalibus, ut ᴛ et ϵ in titulo urbano a. 385 (Rossi p. 157 n. 358); quinto saeculo u ϵ m iuxta monumentales formas habent tituli annorum 424 (p. 277 n. 642), a. 445 (p. 318 n. 730), a. 458 ad 474 (p. 379 n. 856). Ultima autem hac aetate scriptura uncialis ex monumentorum urbanorum usu paene evanescit.

Interdum scriptura cursiva sive vulgaris adhibita in titulis supellectili ex metallo factae inscriptis ad uncialem litteraturam vergit. In cochleari aliquo argenteo Smyrnae servato versiculi duo Graecus et Latinus inscripti sunt litteris eius generis[3]); formas enim δ ƅ ϵ u habent, sed cornibus duplicibus ornatas; quod Graeco artificio videtur tribuendum esse.

Itaque per exceptionem tantum unciales quae dicuntur scripturae actuariae sive litterariae formas in lapides translatas esse atque contra legem in universum observatam demonstrat vestigiorum eius, quae in titulis aevi potissimum recentioris obtinent, paucitas. Vide praeterea, quae infra de u rotundae usu adnotata sunt.

---

[1]) De origine vocabuli et de scripturae uncialis indole videantur quae Zangemeisterus et Wattenbachius exemplis suis codicum Latinorum (Heidelbergae 1876) praefati sunt (p. VIII).

[2]) E Buonarottio noverat Lupi (Severae martyris epitaphium p. 152), a quo sumpserunt palaeographi multi (*Nouveau traité* II tab. XXIX, Kopp palaeogr. I p. 115) usque ad Massmannum (p. 48); denuo ex lapide protulerunt Viscontius (*opere varie* I p. 94), Brunnius (*Geschichte der griech. Künstler* I p. 575) accurate, non bene Dütschkius (*die antiken Bildwerke in Oberitalien* III 1878 p. 117 n. 209).

[3]) Editi sunt versus Latini ligno incisi in actis instituti archaeologici Germanici Atheniensis IV 1879 p. 121.

CAPVT SEPTIMVM

SCRIPTVRA INSTRVMENTI VARII

I

LITTERAE PROMINENTES

Ex opificii lapidariorum quam supra exposui indole illud consequens est, ut litterae in lapidem incisae magis minusve profunde excavatae sint ex plana lapidis superficie, atque forma quidem illa quam indicavi (p. XXXI) sulcorum triangulari. Tamen titulorum quorundam litterae ita effictae sunt, ut promineant.

Eius generis primum ei omnes sunt tituli, qui e formis profunde in aes lignumve aliamve in materiam incisis imprimebantur in materiam molliorem. Inde illud explicatur, quod tegularum tituli rotundi similes quam maxime solebant evadere nummorum inscriptionibus; simili enim prorsus modo ex formis, quibus litterae incisae erant, tituli tam tegularum illarum quam nummorum prodierunt inprimendo cudendove. Tegularum titulos circulatim impressos, qui in aedificiorum urbanorum parietinis frequenter reperti sunt, e figlinis imperatorum vel domus Augustae vel aliarum gentium illustrium potissimum prodeuntes et annorum plerumque notis instructos primus Fabrettius composuit (p. 496 ss.); deinde notum est Marinium plenam illorum syllogen instituisse, quae servatur inter schedas eius in bibliotheca Vaticana. Exempla tegularum eius generis in museis aliquanto maioribus paene omnibus servantur. Etiam quae e figlinis privatis tam Italicis quam provincialibus profectae sunt tegulae et vascula varia simili modo plerumque impressa sunt. Vetustissima eius usus exempla praebent praeter Oscas aliquot (Zvetaieff n. 108 109 115 116) figlinae Veleiates, quarum praeter antiquissimas reliquae omnes, annorum illae u. c. a 685 ad 743, litteras habent prominentes, idque etiam postea in usu mansit iuxta litteras incisas. Litteras prominentes tegula quoque Tarracinensis *Cn. Domitii Calvini* consulis aut a. 701 habet aut a. 714 (CIL X 6314). Exempla nonnulla tegularum eius generis inscriptarum infra proposuimus (p. 440).

II

SIGNACVLA

Formae satis multae, quibus impressiones fiebant, nobis servatae sunt et in museis publicis privatisque extant. Signacula illa aenea sunt pleraque; sed nondum ita collecta et disposita sunt, ut de variis eorum generibus deque usu satis constet. Sufficiat interim ad ea corporis inscriptionum volumina relegare, ubi edita sunt (CIL IX 6083 1-193; CIL X 8058 1-97 8059 1-505; CIL II 4975 1-76; CIL III 84 1640 1 3218 2 3 6020 1-12; CIL V 8116 1-82; CIL VII 1322—1324; inscr. Helv. 353 1-5; Boissieu *inscr. de Lyon* p. 443 ss.; CIL VIII 10481 1-5 10963).

Diversa sunt sigilla medicorum ocularìorum collecta a Grotefendio, Kleinio atque nuper ex parte a Francogallis duobus A. Héron de Villefosse et H. Thédenat; Lugudunensia optime depicta exhibet Boissieu (*inscr. de Lyon* p. 453). In lapide enim vel serpentino qui vocatur vel nephrite vel scissili, ex quibus solent confecta esse signacula illa, incisae sunt litterae, quae in collyriis ipsis aut in vasculis vitreis ad ea recipienda destinatis ante cocturam erant imprimendae.

Signacula contra litteras solent habere prominentes. Magna igitur tegularum inscriptarum pars (atque sunt inter illas etiam Osce inscriptae, Zvetaieff n. 39 102—107 111—114) et vasa permulta litteras habent quanquam signaculis impressas tamen sculptis similes, neque vero omnino aequales. Nam sulci earum non sunt triangulares, quales sculptas habere supra exposuimus (p. XXXI), sed formae quadratae rotundaeve vel omnino incertae. Tegulae vero plurimae tam a militum numeris quam a privatis profectae et lateres ex figlinis imperatorum privatorumque procedentes, de quibus supra dixi, titulos habent litteris prominentibus scriptos, utpote impressos signaculis incisis.

Sollemne contra est in certis quibusdam vasculorum ex terra cocta factorum titulis, ut promineant, scilicet ii, qui in formis, unde illa effícta sunt, incidi solebant una cum anaglyphis variis in ornatum eorum destinatis. Patellae ex terra sigillata multae eiusmodi titulos habent iuxta ornamenta externa impressos litteris prominentibus; item lucernae aliaque vascula, ut lagoena musei Sangermanensis Aquis Sextiis, ut videtur, reperta, cui una cum anaglyphis epigramma in Marsyam impressum est[1]). Litteratura titulorum illorum quamvis admodum varia tamen necessario similitudinem quandam habet titulorum in tegulis impressorum litteris prominentibus, item nummorum aevi potissimum recentioris.

III

PLVMBEA

Litteras deinde prominentes ea habent monumenta, quae ex formis argillaceis potissimum et lapideis fundebantur; scilicet quae in formas incidi solebant litterae in eis rebus, quae ex fusione prodibant, necessario prominebant. Antiquissima eius generis monumenta lucernae plumbeae videntur esse Romae in monte Esquilino repertae, in quarum manubriis nomina litteris prominentibus inscripta sunt, ut *L. Coponius* alia[2]).

[1]) Editum est a Guil. Froehner *les musées de France* cet. (Parisiis 1873 fol.) tab. III.

[2]) Vide Dresselii de eis narrationem ann. instit. archaeol. LII a. 1880 p. 390 s. 333.

Quanquam lucernae illae fusae non sunt, litterae tamen titulorum fundendo videntur esse impositae. Fusae sunt massae laterum plumbi ex fodinis oriundae Picentes ex Ripatransone (CIL IX 6091), Sardae (CIL X 8073 1-3 8339), Hispanae (CIL II 3280*a* 3439 4964), Gallicae (inscr. Helv. 343 10), Britannicae (CIL VII 1201—1217). Antii in massa marmoris repertum est signaculum quadratum inversum cum litteris quibusdam prominentibus plumbo inditum (CIL X 6697).

lateres

Accedunt massae aliquot aeneae Britannicae (CIL VII 1199 1200) similiter inscriptae; reliquae massae argenteae aliaque similia litteras habent incisas (CIL VII 1196—1198). Semel in massa asphalti titulus litteris eminentibus impressus prodiit Interprominus (CIL IX 3072). Pondera plumbea, veluti Pompeiana (CIL X 8067 33-41), litteras habent incisas. Prominentes vero litteras habere solent fistulae plumbeae sive tubi, quanquam non omnes: composuit urbanas multas R. Fabrettius (p. 380 XXXIV p. 539 LIX LX p. 542, 392—419). Reliquae in corporis voluminibus sunt quaerendae Italicae (CIL IX 1669 4073 4699*a—e* 4700 4701 4762 6351 6354 6357; CIL X 115 1897—1907 6589—6591 7140 8262 8296; CIL XI 428 429 429*a* 1232; CIL V 6672 8117 1-10), Hispanae (CIL II 2992 3005), Dalmaticae et Pannonicae (CIL III 3217 1-3 6011), Britannicae (CIL VII 1266), Africanae (CIL VIII 10476 2), Gallicae et Germanicae (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 448 s.; Bramb. 756 851). Porro huc referendae glandes missiles plumbeae notissimae (CIL I 642 ss.; CIL IX 6086 I—XLVIII; CIL X 8063 1-5). Sigilla denique accedunt atque tabellae tesseraeque plumbeae incerti pleraeque usus, veluti Campobassi reperta (CIL IX 6092), Pompeianae (CIL X 8074 4-6), Hispanae vetustae (CIL II 4963 8-10), Arausionensis (CIL XII 1382) et Gratianopolitanae (CIL XII 2251), Britannicae (CIL VII 1269; Ephem. epigr. III p. 144 318 IV p. 209), Africanae (CIL VIII 10484 2-6); quae omnia cum fusa sint, solent litteras quoque habere prominentes.

fistulae

glandes reliqua plumbea

IV

VITREA

Tertio loco qui in vasis vitreis inveniuntur tituli cum reliquis anaglyphis coniuncti et ipsi prominentes sunt; nam signaculis imprimi solebant, ut Maffeius iam monuit (MV p. 169). Observantur eius modi litterae in vasculo Osco (Zvetaieff n. 40), in Latino musei Vindobonensis (CIL III 1637) aliisque eius generis (CIL III 6014 1-6; CIL V 8118 1-7; CIL VIII 10480; Bramb. 447; I. Kamp *die epigraphischen Anticaglien in Cöln* (Coloniae 1869 4.) n. 138—145; Inscr. Helv. 343 12 13). Interdum, ut in diatretis quae vocantur, litterae a vasis paene omnino solutae sunt [1]). Tamen interdum etiam vitrea habent litteras sive pictas sive incisas (cf. Fabrettius p. 277, 168; 537 LIV LV LVI CIL X 8063 1-9, IX 6085 1 2) quaeque composuerunt vasculorum vitreorum collectores christianorum Garrucci, reliquorum Deville et Froehner.

V

GEMMAE

Quarto loco gemmae sunt nominandae. In iis non raro tituli integri cultro elegantissime excisi extant litteris prominentibus. Exemplum unum nomino Graecum, distichon inscriptum gemmae artis nobilissimae servatum in museo Matritensi [2]), unumque Latinum, gemmam magnam anaglyphis ornatam musei Britannici cum nominibus Didii Iuliani et Manliae Scantillae excisis ita, ut promineant [3]). Contra quae pro signaculis erant gemmae anulive ex metallo facti litteras, ut par est, solent habere incisas, non prominentes.

VI

AVREA ET ARGENTEA

Rara quadam exceptione in tabella aurea Marti sacra Britannica, quae Dunelmi servatur in bibliotheca capitulari, litterae sunt prominentes (CIL VII 436, infra n. 906). Aureo exemplo accedit argenteum: scilicet tabella argentea signo cohortis alicuius olim affixa musei Neowiedensis (Brambach 703*e*; infra n. 925). Deinde raro item opificio in vasculis quibusdam aeneis et argillaceis litterae effictae sunt ex globulis rotundis eminentibus in aere caelatis et in argillam impositis. Aeneum eius generis exemplum exhibui vasculum Mediolaniense (infra n. 896); argillaceum lucerna praebet musei Vindobonensis in catalogo lucernarum a Kennero edita [4]).

VII

LAPIDES

Rarissime autem atque artificio aliquo singulari in lapidibus tituli ita excisi extant, ut litterae promineant. Novi ego exempla eius generis antiqua duo tantum: epigramma aliquod praefecti urbis saeculo, ut videtur, alteri adscribendum (CIL VI 1372, infra n. 1123), et fragmentum musei Vaticani anaglypho ornatum [5]). Romae et Fortunae

[1]) De diatretis eorumque titulis vide quae exposita sunt in annalibus Bonnensibus LIX 1876 p. 66 ss. LX 1877 p. 160 LXXIV 1882 p. 176 ss.; cf. Bramb. 1885.

[2]) *Antike Bildwerke in Madrid* p. 192, Kaibel epigr. n. 1126.

[3]) St. Thompson *photographs of the British Museum, Part. V.*

[4]) *Archiv für Kunde österreich. Geschichtsquellen* XX 1858 tab. III fig. 1.

[5]) Editum est ab Ed. Gerhard *archaeol. Zeitung* a. 1847 p. 49 ss. tab. IV.

statuas sedentes exhibet inter templi alicuius columnas collocatas; tituli quae supersunt ita supplevit ab editore rogatus Borghesius:

[i]n h[ac] | aed[e Sa]bini Mat[erni lu]di loc[a]ntu[r]

Cogitavit vir doctissimus de Sabinio Materno iure consulto neque vero ullo modo certa esse supplementa vidit. Accedit tertium exemplum aetatis infimae titulus in sarcophago lapideo cum ornamentis multis sculptus Hispanus Ovetensis saeculi fortasse septimi octavive (Inscr. christ. Hisp. p 46 n. 144). Supersunt fortasse alia eiusmodi christiana; ad Arabum exemplum, qui ornamenta titulosque ita solebant effingere, artificium illud tituli Hispani referri solet vix probabiliter. Etrusca quaedam similis scripturae exempla Ar. Fabretti (CIItal. n. 2070. 2071) edidit.

CAPVT OCTAVVM

VITIA LAPIDARIORVM

Descripsimus scalpendi sculpendive in lapide et incidendi in aere et in reliqua materia opificia varia. Considerandum iam videtur, quali fide quadratarii inscriptionum vocabula expresserint. Longum sane est dicere nec certa facile ratione tractari potest de humana in his quoque rebus imbecillitate. Tamen exigi putavimus ab hoc opere, ut de ea quoque opificii parte scitu digna componerentur. Atque summa cura miraque arte lapidarios aerariosque veteres officio suo functos esse tot milia titulorum probant nobis servati, qui vitiis prorsus carent. Sed lapidarios quoque homines fuisse tenendum est nec vacuos ab errore et neglegentia. De vitiis autem lapidariorum, num omnino et qualia fuerint, multum olim disputatum est ab epigraphiae cultoribus. Ex magna quam congessi observationum huc spectantium copia ea tantum selegi, quae ad artem quadratarii recte aestimandam facere viderentur.

I

VITIORVM GENERA

Atque primum quidem manifestum est, in longioris aliquanto ambitus actis et in carminibus incidendis magis pronos fuisse lapicidas ad vitia committenda quam in titulis scriptura monumentali scalptis. Quae in instrumentis publicis vetustis minus recte incisa sunt non multa composui in indice voluminis CIL primi (p. 646). Vitia quaedam instrumentorum illorum, veluti legis repetundarum et Iuliae municipalis, e compendiis falso a scalptoribus solutis orta sunt[1]); similia, sed raro, in monumento Ancyrano (vide Mommseni editionem alteram p. XXXVI), in actis Arvalium, in lege regia (infra n. 802), in legibus Hispanis Ursonensi Salpensana Malacitana, in tabulis alimentariis q. d. Ligurum Baebianorum (CIL IX p. 130) et Veleiate (CIL XI p. 219, infra n. 804), in matriculis militum, ubi patriae eorum lapicidis ignotae saepe corrupte scriptae sunt (ut Marinius observavit Arv. p. 332 *b*), reperiuntur. In elogiis clarorum rei publicae liberae virorum Arretinis vitia quaedam sunt, veluti PRIMVS pro *prius*, TYRRHO pro *Pyrrho*, quae inde explicantur, quod tituli illi ad exemplum librorum pluribus exemplis descripti sunt et repetiti ab operis interdum imperitis (CIL I p. 282). Praeterea Sidonii Apollinaris testimonium huc facit, quod supra adscripsi (p. XXVI); tenendum autem ibi de carmine agi. Atque carmina quoque, quae in lapidibus servata extant non pauca, vitiis non raro corrupta sunt: ex exemplorum eius generis numero permagno unum memoro in Norico repertum (CIL III 5695).

Quae in titulis scriptura monumentali propria scriptis vitia deprehenduntur varii generis sunt. In titulis antiquioribus vitia omnino rarissima sunt. In miliario claro Popiliano (CIL I 551 PLME tab. LI *B*) in milibus numerandis error commissus est, quem lapicida correxit hastis singulis pluribusve e numeris sublatis. In titulo urbano notissimo sepulcri *C. Poplicii Bibuli* (CIL I 635 = VI 1319 PLME tab. LXXXIII *AB*) VIRTVTSQVE vocabula primum insculpta esse dicuntur I littera errore omissa[2]). Condicio monumenti, qualis hodie est, certum iudicium non admittit.

Interdum in titulis quoque, ut in actis, vitia ex compendiis male solutis orta sunt. (ex compendiis male solutis orta) In urbano *Q. Caerellii* patris (CIL VI 1364) aetatis Tiberianae nominativo casu concepto *legato* perscriptum est iuxta honores reliquos litteris singularibus indicatos. In sepulcrali quodam titulo item urbano aetatis antiquioris (i. e. Augustae fere) *M. Cornelii* alicuius *A. l(iberti) Apollonii lictoris*, qui e regione sepulcri Scipionum repertus est (CIL I 1045 = VI 1899 PLME tab. XLII *M*), lapidarius genetivum nominis gentilicii (*M. Corneli*) in exemplo tradito pro vetusto nominativo (in *i*) habuit indeque reliqua perperam solvit. In alio item urbano formula consueta ita legitur *h(oc) m(onumentum) s(ive) s(epulcrum) e(st) h(eredem) nostrum sequetur;* nostrum pro *n(on)* sculptum esse errore recte ibi adnotatur (CIL VI 9138). In Ostiensi ex *q(uin)q(uennali)* ortum est *quoque* vocabulum (CIL XIV 418). Paullo frequentiora eius generis vitia in titulis provincialibus saeculi potissimum

---

[1]) Ut nuper recte exposuit Henricus Aug. Seydel (observationum epigraphicarum capita duo, Vratislaviae 1880, 60 pp. 8.).

[2]) Errorem Ritschelius opusc. IV p. 392 putat ita correctum esse a lapidario modo plane singulari, ut I litteram omissam indicaret puncto supra T posito, ita VIRTVṪSQVE; quod sane contra usum antiquum non liberae tantum rei publicae est nec facile a peritis concedetur. Mommsenus potius, quod tabula videatur indicare, in lapide fuisse putat VIRTVTSQVE, ut I male omissam lapicida per contignationem suppleverit; ne hoc quidem probabilitatem habet in eius generis monumento. Henzenus tacet.

alterius tertiique inveniuntur. In Aratispitano Traiani similiter atque in urbano Q. Caerellii inter dativos reliquos *pater patriae* nominativo positum legitur (CIL II 2054, infra n. 432). In alio quodam Hispano honorario saeculi alterius item primum cum tertio casu commutavit lapidarius indeque pro *praetori* scripsit *praetorius* (CIL II 1262). In titulorum, qui a peregrinatoribus in Memnonis statua Aegyptiaca inscribi solebant uno anni 134 H · D · A · I litterae singulares quae fuerunt in exemplo male perscriptae leguntur HORA · DIES · ANTE · PRIMAM (CIL III 44). Saepe in titulis sepulcralibus vitae defunctorum anni dies horae indicatae sunt promiscue casibus et ablativo et accusativo[1]; neque minus frequenter illud in titulis urbanis observatum est quam in provincialibus, potissimum in Africanis. Etiam confusio illa nota accusativi et ablativi in instrumentis provincialibus frequens ex litterarum singularum interpretatione falsa ex parte sane explicari potest[2].

[... litte-]arum [s]imili-[t]udine orta

Restat alterum vitiorum genus, quod ex quadratarii neglegentia vel festinatione litterarum interdum similitudine quadam externa (veluti inter I et L, E et F, P et R cet.) decepti originem duxit[3]. Ut in titulo aliquo satis antiquo Anagnino *Rufellei* nomen ita sculptum est RVFEIIEIVS (CIL X 5927), in Atestino aevi Augusti AQVIER pro *aquilifer* (CIL V 2495); in Aquileiensi saeculi primi et litteris bonis scripti AVG · LIR · SIR *Aug(usti) lib(erti) ser(vi)* (CIL V 8247); in Formiano eiusdem fere aetatis MAGISSTER et LIBE · M · COLLEGIV DECRETV pro *libens m(erito) collegii decreto* (CIL X 6071). Recentioris aliquanto aetatis haec sunt. In sarcophago urbano celebri anaglypho ornato, quod Achillem et Penthesileam pugnantes exhibet, P · AEVS · MYRO legitur pro Aelius (CIL VI 10742). Bis in eodem titulo N littera pro M incisa est, NYSIVS NESSOR pro *Mysius Messor*; cippus est urbanus parvus militis saeculo tertio positus (CIL VI 3271). Alia eiusmodi vitia titulorum urbanorum sepulcralium non enumero (memorasse sufficiat CIL VI 16665 17424 17585 17915 19176 19295). In miliario Hispano imperatoris Maximini GERMANVS scriptum est pro *Germanicus* et TRISVNICIAE (quod ex ь litterae forma illa paene cursiva explicui); deinde in numeris dignitatis imperatoriae erratum est (CIL II 4731). Eius generis errores etiam in aliis titulis imperatorum et in miliaribus potissimum provincialibus non admodum rari sunt; sed ex parte tantum quadratariis, maiore ex parte eis, qui textum composuerunt, videntur vitio dandi esse. In saeculi sexti titulo portae urbis in Carthagine nova extructae bis erratum est: SVPERVM PONITVR pro *superimponitur* legitur et CONVEXAQVE factum est ex *convexique* (CIL II 3420, infra n. 785).

Haec multaque alia eiusdem generis in titulis plerumque malae litteraturae obvia (vt FOPVM pro EORVM in urbano CIL VI 13016; INFIBIX pro INFELIX in alio urbano CIL VI 18588; SOROP et POSVERVM in Albano CIL IX 3948) levidensia sunt et ex litterarum similitudine explicantur. In Ferrariensi quodam satis vetusto MENTOI pro MENTOR scriptum est, quia spatium in lapide deficiebat (CIL V 2396). Graviora haec sunt. In titulo aliquo Ferrariensi FESTIO · PAPIRI legitur pro FESTI · Q · PAPIRI (CIL V 2417); in Misenensi QVAD pro *Claud(ia tribu)* (CIL X 3681); in Florentino *L. Flavii Secularis* pro praefecto cohortis primae equitatae civium Romanorum ita CIVAE ROMAN et paulo inferius pro cohorte voluntaria Campanorum VOLVPTARIA, item PANONIA pro *Pannonia* leguntur (CIL VI 3520). Peiora etiam sunt quae in titulo urbano equitis singularis leguntur RALPVRNIA pro *Kalpurnia*, SIIVILIANVS LQ pro equite, FEOL† pro *fecit* (CIL VI 3275; descripsit titulum Henzenus). In titulo quodam urbano villae Ludovisiae saeculi puto tertii litteris malis scripto AFROAI|SCVT est pro AFRODISIVS; in alio urbano SVE NEMERENTI pro *sue venemerenti* (CIL VI 3570); in Veronensi litteris admodum rudibus scripto satis multa eius generis menda admisit quadratarius (CIL V 3808); in Mogontiacensi saeculi primi AVGVTA pro *Augusta* scriptum est (Bramb. 1163 ex ectypo meo); denique in Coloniensi saeculi primi veterani alicuius legionis vigesimae multa confusa sunt (v. annal. Bonnens. LXXII 1882 p. 59 ss. tab. II). Versum integrum omisit quadratarius in titulo ex Aquis Mattiacis musei Wiesbadensis (Bramb. 1517). Exempla haec sufficiant. In his igitur omnibus similibusque lapidarios officio neglegenter functos textum traditum ex parte male intellexisse apparet.

II

TITVLI PRORSVS CORRVPTI

Raro tantum accidit ut lapidarii textum prorsus pessum dederint. Exemplum luculentum talis corruptelae praebet titulus sepulcralis Tarraconensis saeculi tertii fere exeuntis quartive a me descriptus, qui adhuc ineditus est. Similes sunt Thevestinus (CIL VIII 1966) et Arelatensis ab Hirschfeldio descriptus (CIL XII 915), quem concepisse videtur sub finem saeculi primi alterove ineunte homo plebeius et ineptus, incidisse autem quadratarius plane rudis. Apertum igitur est lapidarios illos provinciales pleraque eorum, quae incidenda acceperant, non intellexisse.

III

TITVLI IMPERFECTI

Interdum quae minus intellexerant lapidarii imperfecta reliquerunt. In titulo musei Vaticani litteris optimis saeculi primi scripto (altae sunt versu primo m. 0,080) Tiburtino *P. Staedii T. l(iberti) Primi mag(istri) Herc(ulis) et Aug(usti)* verba extant haec clara et perspicua VFNVIFIAΓ | AFRICANI, fortasse pro *Venuleiae Africani*. In urbano aliquo PIVOCATVS legitur pro REVOCATVS (CIL VI 9938). In Apulensi Daciae post versus tres bene incisos sequuntur septem indicati tantummodo et vacui (CIL III 996). Titulus Sestinensis *L. Voluseni Clementis* a Bormanno descriptus versus duos habet relictos prorsus imperfectos (comment. in hon. Mommseni p. 440). Idem observatur in ara rotunda Beneventana (CIL IX 1901). In titulo Locris reperto spatia litteris exarandis vacua relicta sunt (CIL X 30). In basi magna Salernitana *Arrii Mecii Gracchi v(iri) c(larissimi)* cet. quae legere non potuit quadratarius spatio relicto omisit (CIL X 520). Aetatis fere eiusdem, saeculi puto quarti quintive, est titulus Caralibus in Sardinia extans, qui item relictus est imperfectus (CIL X 7572). Quod agri Brixiani quidam spatio nullo relicto in ET vocabulum desinit inde fortasse excusatur, quod titulus alter in alio lapide incisus verba quaedam adiecit memoriamque ad finem perduxit (CIL V 4097). Clarissimum aeris imperfecti exemplum est lex Vipascensis (infra n. 806), cuius aversa pars textum continet a caelatore non satis recte sculptum ideoque abiectum[4].

---

[1]) Eius generis exempla Seydelius composuit dissertationis s. s. p. 19.

[2]) Cum eodem Seydelio l. s. s. p. 41 ss.

[3]) Exempla eius generis vitiorum Marinius collegit Arv. p. XL.

[4]) Cf. Ephem. epigr. III p. 166.

IV
VITIA CORRECTA

Non desunt exempla scripturae pravae a lapicida ipso correctae. In elogio iam Scipionis eius, qui filius fuit maior natus Africani maioris (CIL I 33 = VI 1288 PLME tab. XXXIX *F*) versiculum primum *quei apice insigne Dialis flaminis gesistei* fuit quidem qui contenderet postea adiectum esse; sed hoc parum semper mihi visum est probabile esse, quanquam non nego diversitatem quandam scripturae esse huius a reliquis versiculis tituli. In titulo satis vetusto urbano aediculae alicuius Herculis vocabulum ultimum, quod fuit FECIT, ab ipso quadratario postea erasum est, ut loco eius ponerentur verba FACIVNDVM CVRAVIT (Ephem. epigr. IV p. 263 n. 734). In *laudatione Murdiae* Augusto imperante scripta v. 14 in. CONSTITIT vocabulum correctum est ex CONSTSTIT (CIL VI 10230). Notum est in titulo *columnae Duilianae* (infra n. 91) olim NAVEBVS scriptum fuisse, deinde emendatum NAVEBOS; errorem autem illum simulatae vetustatis proditorem lapidarius tectorio inducto videtur celavisse. Similiter in alio quodam titulo urbano sepulcrali saeculi septimi exeuntis CVPEINNIA errore sculptum erat pro CVPIENNIA; emendavit lapicida scripsitque CVPĖNNIA, I littera item tectorio obducta (CIL I 1051). In titulo litteris ex aere incrustatis scripto Pompeiano lapidarius prava calce tegenda, novas quasdam litterae V particulas, ut inde M fieret, addendas curavit (CIL X 838 cf. add. p. 968). In elogio *Eucharidis Liciniae*, quod Romae est in villa Altieria (CIL I 1009 = VI 1096 v. 3) ex OCVLE factum est OCVLO (PLME tab. LXXXI). In titulo sepulcrali urbano saeculi primi, qui in museo Capitolino est, *A. Vitellii* cuiusdam *A. l(iberti) Salvii* BV̇DE scriptum, sed emendatum est in BVLE. Satis frequentia sunt in titulis reliquis urbanis eiusmodi vitia quadratarii in lapide correcta (v. CIL VI 12261, infra n. 400; adde infra n. 1163 et CIL VI 15854 18633); adde Ostiensem, ubi ADFESCTVS scriptum fuit pro ADFECTVS (CIL XIV 936). Titulus Campanus aetatis Augustae litteris optimis *N. Epidii N. f(ilii) Falerna* (CIL X 4124) P·F litteras habuit prave positas pro N·F; est in lapide N. In Mantuano saeculi primi (CIL V 4069) in vocabulo CAEPIONIS N littera prave ita И scripta erat; quam correxit quadratarius indeque effecit formam ⋈. In Salonitano (CIL III 2127 *a*) ex pravo HOROS emendatum est HORAS. In Concordiensi (CIL V 1919) verba quaedam addita, alia a lapidario emendata postea correcta sunt. Similia observantur in decreto Petelino (infra n. 1080), in titulo Venafrano (CIL X 4915), in Gallico ex Augusto vico a. 176 (CIL XII 2391), in Norico (CIL III 5447), in Africanis (CIL VIII 2482 8433); in *miliario Iuliani* Beneventano ex DONO factum est *bono* (CIL IX 5997 = X 6925, infra n. 759). In carmine sepulcrali Africano haec extant MANIBVS VTIACEANT: scilicet quadratarius MANEANT dare debuerat litterasque errore additas punctis infra positis delendas esse indicavit (CIL VIII 1523; infra n. 1142). Singulari quodam artificio in titulo urbano sepulcrali pro C·FELICITATI, quod incisum erat, *Corneliae* nomen lapicida postea intercalavit Felicitatis cognomini (CIL VI 16272). Numeros correctos habes in titulo Africano infra proposito (n. 673).

Ubi litteras scalpere inceperat lapidarius loco non suo, puta nimis alto vel humili, delevit vel delere sane studuit pravas. Vidi hoc factum in titulo musei Bonnensis ex Castris Veteribus procedente, ubi S vocabuli quod est SACRVM dupliciter scripta est (Bramb. 215); idem observatur in Africano aliquo Isidi sacro, ubi deae nomen initio bis positum erat (CIL VIII 2631). Vide praeterea phalerae titulos infra propositos (n. 938).

Atque in his quidem exemplis aliisque eius generis non paucis ut vitii correctionem celarent lapidarii non multum videntur curavisse. Saepe fortasse tectorio inducto vitium, quod nunc patet, olim tectum erat; ut observatum est in columna Duiliana aliisque titulis. Satis incuriose vitium correctum observavi a lapidario ita, ut versum integrum male sculptum linea transversa per media omnia eius vocabula transducta induceret; factum est id in titulo aliquo urbano apud Fabrettium (p. 121 VIII). Interdum ita emendavit lectionem lapidarius, ut elementum pravum prorsus deleret, deleti loco spatium vacuum litura expletum relinqueret. Ut in titulo Polae reperto IM▒AM PIII∹, i. e. *imam p(edes) (tres quadrantem)* scriptum est (CIL V 8146). Si memoriae damnatae nomina imperatorum delenda erant, adhuc calce hic illic obductas videmus litteras; ut in titulis urbanis *Severi Alexandri* (CIL VI 3785 add. p. 844) et *Elagabali* (CIL VI 3839 add. p. 852), idem hic illic in tabellis columbariorum urbanorum (ut CIL VI 6472 al.) factum est.

Apparet igitur artem lapidariorum Romanorum eadem prorsus qua reliquas artes antiquas exercitatam esse in universum sollertia et cura diuque conservatam constantia mirabili: tam pauca ea sunt quae indicavi vitia a lapidariis commissa in tanta inscriptionum multitudine nobis servata. Ne in inscriptionibus quidem parietariis Pompeianis, quamvis festinanter scriptis maximam partem et ab hominibus minime peritis, multi insunt scribendi errores; ut docet elenchus eorum volumini CIL quarto insertus (p. 266).

CAPVT NONVM
SCRIPTVRA CVRSIVA

I
LITTERAE GRAPHIO SCRIPTAE

Iustum quadratarii officium postquam quatenus fieri potuit descripsimus, alterum iam est titulorum genus considerandum, cuius scriptura quanquam in lapidibus frequenter adhibita formis et ipsa perquam variis, tamen proprie lapidaria dici nequit.

Etenim etiamsi vitiis non prorsus carent, ut modo vidimus, tamen in universum inscriptiones, quae delineatae antea pictaeve aut sculptae sunt in lapidibus aut incisae in aere, ipsa illa artis via ac ratione a communi scribendi pingendive usu admodum diversae sunt. In magno autem usu, quo cuiusvis generis inscriptiones fuerunt apud Romanos iam inde a septimo fere urbis saeculo exeunte, quem usum saeculis deinde aerae nostrae primo altero tertio procedentibus semper in maius augeri videmus, fieri omnino non potuit, quin praeter opificium quadratariorum

plenum et perfectum alia praeterea invaluerit titulorum in lapide aereve aliisve in materiis inscribendorum consuetudo celerior, minus curiosa, quotidianae stilis in pugillaribus scribendi vel calamo in papyris membranisve exarandi similior. Ut in voluminibus interdum cursiva adhibita est quam dicimus scriptura ceris potius conveniens loco eius, quam litterariam breviter appellavimus, ita etiam magnae illius artis lapidariae compendiaria inventa est.

Atque potuerunt sane tituli stilis graphiisve paullo maioribus eodem fere ut in ceris modo exarari, siquidem materia mollior hoc patiebatur. Scribere hoc non minus erat, quam quod fiebat in materia solita minore quaeque loco moveri poterat: saepe in titulis parietariis Pompeianis scribendi vocabulum ab eis usurpatum est, qui titulos in parietibus exaraverunt [1]. Scripturam quam cursivam dicimus quaeque propria non est monumentorum, tamen in monumentis aliquot adhibitam esse supra iam observavi. Cursivae autem vel paene cursivae scripturae formas, si in lapide, i. e. malleo et scalpro adhibitis, exarabantur, paullo diversas evasisse ab eis, quae in calce vel in argilla aut in metallis scribebantur, manifestum est. Neque curamus discrimina illa in materia posita; a lapidaria enim scriptura cursivae quotquot genera statueris differunt omnia. Sed etiam monumentalis scripturae litterae interdum graphio scriptae inveniuntur in calce operis tectorii aut in materia argillacea aut metallica. Scilicet quod in iusta arte distinguitur duplex opificium, primum delineandi pingendive, deinde scalpendi, id brevitatis celeritatisve causa in unum incidendi coaluit. Eius igitur usus exempla accuratius hoc loco contemplanda et in genera varia discernenda sunt.

II

GRAPHIO SCRIPTA IN MATERIA VARIA

in opere tectorio

Ut in calce non admodum dura scariphatae extant inscriptiones parietariae urbanae et Pompeianae Latinae Graecae Oscae aliorumque quorundam oppidorum, quae ab otiosis potissimum conscribillatae sunt arte nulla [2]), ita in columbariis urbanis tituli, ut postea a lapicida in solitis tabellis marmoreis inciderentur, in opere tectorio albo rubrove, in quo interdum tessellae vel tabellae ansatae pictae sunt, graphio exarabantur (CIL VI 4889*a* 5050—5061 6836—6848 6912 7433—7441 7842—7844 8059—8062). Antiquum eius usus exemplum titulus sepulcralis est *Medellae Dasmi filiae* anno u. 687 Canusii in tectorio sepulcri inscriptus litteris ad cursivam formam prope accedentibus (CIL I 597 = IX 390 PLME tab. II *E* = LXX *I*). Puteolis in tectorio sepulcri, cuius cippus et sellae duae inscriptae supersunt, scariphata est inscriptio execratoria litteris plane cursivis (CIL X 2641). Accedunt autem etiam alia. Romae in excubitorii cohortis septimae vigilum parietibus multi extant tituli graphio exarati litteris aut plane cursivis aut ad cursivam formam prope accedentibus (CIL VI 2998—3091; imago unius n. 3061 addita est). Graphio incisa quaedam in tectorio parietum interiorum aquaeductus Bononiensis ad ipsam eius operis structuram videntur pertinere (CIL XI 739 *a*—*z*). In pariete scripti sunt praeterea litteris lapidariis vel paene lapidariis titulus Polensis unus hodie Tergeste in museo servatus (CIL V 8183 p. 1019), Lusitanus unus (CIL II 11), Britannici duo (CIL VII 72*a* 162 quorum alter non intellegitur), Helveticus (Inscr. Helv. 341 1), Carthaginiensis (CIL VIII 1123).

Atque hae quidem inscriptiones omnes in calce iam dura graphiis vel aliis instrumentis acutis exaratae sunt.

in argilla

In materia argillacea vel cretacea duplici modo litterae scribi potuerunt. Aut enim in argilla nondum cocta stilis puto ligneis aliquanto latioribus, vel etiam digitis tantum (ut in tegulis) litterae exarabantur, aut in materia cocta, quae saepe durior est quam calx operis tectorii lapidesque multi, stilis acutissimis vel cultris acubusve incidebantur. Atque propter ipsum opificium illae quidem aliquanto rotundiores esse solent et pictis calamove exaratis similiores, hae angulatae magis et graciliores minusque regulares. In argilla adhuc molli scriptus est litteris satis magnis et profundis titulus putei antiquissimi in monte Esquilino reperti *ego C(aios) Antonios;* itemque supellectilis Sextiorum tituli atque Saturno sacer et litterae singulares in arulis sepulcralibus extantes ibidem repertae [3]). Non absimili ratione videntur inscriptae esse columnae stelaeve ex terra cocta factae laminaeque fictiles titulis Oscis, quae Capuae prodierunt (Zvetaieff n. 32—39). Etiam in lucernis, quae gladiatorum imaginibus ornatae sunt, nomina eorum adscripta sunt non raro ante cocturam [4]). Praeterea in recentioris aetatis supellectile cretacea extant eius generis sive inscriptiones sive litterae singulares aut monogrammata exarata ante cocturam, quibus deinde ab eis, qui vascula variis rebus repleta venum dabant tituli picti, ab eis qui emebant aut item picti aut graphio exarati addebantur.

In argilla iam cocta quidem sed nondum prorsus dura stilo fortasse osseo ligneove exarata est, ut affirmant qui examinarunt, inscriptio antiquissima vasculi triplicis in urbe reperti, sed fortasse ex Sabinorum regionibus eo delati, quam post Dresselium aliosque accurate tractavit H. Iordan [5]); sacra est, quidquid de singulis vocabulis adhuc obscuris iudicaveris, sine dubio Iovi Saturno divis. Scriptura sinistrorsum procedens quanquam non cursiva (neque tantae vetustatis cursivam omnino adhuc novimus), tamen neglegenter exarata est nullaque arte; quaedam litterae perperam positae vel minus perspicue scriptae inter scribendum emendatae sunt.

In argilla iam cocta et interdum perquam dura incisae sunt inscriptiones non paucae omni aetate. Antiquissimae eius generis sepulcrales illae sunt sive sententiae (velut *Sotae sum noli me tangere* et similes) sive nomina simplicia in lucernis ollisque exarata, quae Romae in monte Esquilino repertae sunt [6]); nonnullae earum bello Hannibalico videntur anteriores esse. Non minus vetustus est titulus scariphatus in pede vasculi ex argilla Italica facti, quod Ardeae prodiit; *ego K(aiso) Anaios* inscriptum est similiter atque in puteo illo in Esquilino reperto (CIL X 8336 1). Alia eius generis latent fortasse adhuc in museis Italicis; nec desunt eiusdem generis Osca (Zvetaieff n. 6 23 26 54 55 61 133 136). Vetusta est olla cretacea Hadriana, cui stilo inscriptus est titulus fortasse votivus (CIL I 1543 = IX 5027). Ad septimum urbis saeculum referuntur probabiliter qui antiquissimis illis aetate proximi sunt tituli in ollis cinerariis exarati Romae ad S. Caesarii detectis (CIL I 882—1005 1539 1539*a*—*d* = VI 8211—8397); litterarum formae ad cursivas proxime accedunt. Contra lapidariis similiores habent aliae quaedam ollae cinerariae recentioris aetatis, quarum tamen tituli et ipsi graphio exarati sunt, veluti urbana (CIL VI 10249), Atestina (CIL V 2780), Britannicae duae (CIL VII 19 94). Tesserae rotundae coctiles quaedam, veluti urbana cum pantomimi nomine (CIL VI 10115 cf. CIL V 7753) similiter videntur inscriptae esse. Litteris paene cursivis inscriptum est vasculum *deae Sunuxsalis* Novaesii repertum, quod servat museum Berolinense (annal. Bonnens. LIII LIV a. 1873 p. 310). Multa eius generis olim extitisse, sed periisse probabile est.

in tegulis

In tegulis adhuc mollibus aut iam coctis varii argumenti inscriptiones exaratae sunt artificio paene nullo, litteris aut cursivis omnino aut

---

[1]) Vide CIL IV indicis p. 246.

[2]) Collectas illas licet perlustrare in voluminis CIL IV parte altera et in ephemeride epigr. vol. I p. 49 ss. 177 ss.

[3]) Edita illa sunt omnia ab Henrico Dressel annal. instit. archaeol. LI a. 1879 p. 291 ss. tab. R 7—29 LII a. 1880 p. 296 ss. tab. R 1—12. Vide etiam Henrici Iordan *krit. Beiträge zur Geschichte der lat. Sprache* (Berol. a. 1879) p. 157 ss.

[4]) Exempla aliquot idem Dresselius protulit *bullett. dell' instit. archeol.* a. 1873 p. 146.

[5]) In Hermae vol. XVI 1881 p. 225—260, ubi adiecta est imago.

[6]) Editae et ipsae ab Henrico Dressel in annalibus instit. archaeol. LII a. 1880 p. 265 ss.

proxime ad cursivam formam accedentibus. Exempla eius generis antiquissima tegulae sunt sepulcrales in Etruriae quibusdam locis, Latine vero inscriptae, una cum Etruscis repertae (CIL I 1347 1350 1352 1354—1356 1358—1365 1367 et edita *bullett. dell' inst. arch.* a. 1882 p. 137). Sepulcralis item videtur esse titulus vetustus inscriptus tegulae Boviani in Samnio repertae, qui tamen non satis intellegitur (CIL IX 2794 = I 1274), quocum comparentur tituli aliquot generis varii tegulis inscripti Osci (Zvetaieff n. 26 45 132 147—152 161 162). Sepulcralis recentior est Truentinus tegulae inscriptus (CIL IX 5165). Romae reperta est tegula 'bipedalis litteris in argilla molli exaratis' Graecis, quae titulum Latinum efficiunt (CIL VI 16621). Deorum nominibus insignitae sunt tegulae, litteris nisi fallor monumentalibus, *Iovis Cyrit* (?) et *Iovis Quirini* Superaquanae (CIL IX 3303), *Salutis Aug(ustae) Salviensis* in Urbe Salvia repertae (CIL IX 5530), *deae Mefitidis*, si modo genuina est, Campana (CIL X 3811). Praeter tegulas deinde non raras, quibus *versiculi Vergiliani* inscripti sunt ab otiosis animi causa sive ut scribendi artem exercerent, ut Hispalensis (CIL II 4967 31), Concordiensis a. 66 (in actis acad. Rom. Lynceorum VI a. 1882 p. 245 indeque repetita ab H. Iordan quaest. orthogr. Lat. Regimontii a. 1882 p. 4), aliae, tegulae saepe adhibitae sunt pro pugillaribus. Ita *Custos P. Vacci Vituli ser(vus)* saeculo primo ineunte acceptum aliquod perscripsit in tegula reperta Bucae in Frentanis (CIL IX 6312). Tegula in Dacia reperta epistulam continet (CIL III 1635 4), Cremonensis nomina aliquot (CIL V 4105), Clastidiensis acta quaedam (CIL V 7356), Belbensis devotionem, ut videtur (CIL V 7542). Similis praeterea generis tegulae inscriptae prodierunt ex locis variis Italiae (CIL V 8110 176-180 394 395), Helvetiae (Inscr. Helv. 347 1-4), Daciae (CIL III p. 962 ss. XXVII 1-24), Pannoniae (Ephem. epigr. II p. 434 n. 925—929 IV p. 159 n. 554—557), Britanniae (CIL VII 1255—1261; nova nuper accessit inscripta *Calvi filia* ✱, i. e. *denarium*), Galliae et Germaniae (Bramb. 18—21 110—114 507—509 1397; adde a C. Zangemeistero editas in annal. Bonnens. LXVII a. 1879 p. 73 ss. tab. VI). Eae titulos continent partim ad figulorum opificium spectantes partim varii argumenti alios. Sunt autem tituli illi aut graphio inscripti in argillam adhuc udam ante cocturam aut cultro incisi in coctam.

in signaculis oculariorum

Cultro acutissimo vel acu scriptae videntur litterae minutissimae observatae in signaculis aliquot medicorum oculariorum, quae solent esse ex lapide serpentino [1]).

in vasculis

In amphoris denique doliis patellis lucernis argillaceis litterae aut numeri vocabulave singula non raro scariphata sunt, similiter ut in vasculis Graecis, scripta illa litteris plerumque cursivis aut semicursivis (CIL II 4968 35 4974 1-56; III 6008 29; V 8111 4 8115 109 151 165; VII 1332 1-6 1336 1025 1053 1166 1337 49 1338 1-36; Inscr. Helv. 352 33 100 118 alia).

III

GRAPHIO SCRIPTA IN METALLIS

Ut argilla, ita etiam metalla, nisi nimis dura erant, pro scribendi materia usurpata sunt.

in argento

Varia eius generis monumenta argentea servat museum Neapolitanum Pompeiana potissimum Herculanensiaque (CIL X 8071 3 5 6-8 10 14 16 20-22). In lamella argentea in Britannia reperta consecratio vel devotio inscripta est litteris tenuibus et fugientibus (CIL VII 80). In pyxide argentea Sisciensi nomen possessoris legitur ita scriptum (CIL III 6334). Similia praeterea scariphata sunt in vasculis argenteis prope Bernay in Gallia repertis (*Bullett. dell' instit. archeol.* a. 1830 p. 107 110). Multa, quae non intelleguntur omnia, extant in patellis novem argenteis musei Taurinensis (CIL V 8122 1-9, infra n. 918); item in vasculis argenteis quibusdam Helveticis (Inscr. Helv. 242*a*—*c* 343 3).

In cochleari aliquo argenteo Smyrnae servato versiculos duos Graecum et Latinum inscriptos esse formis litterarum cursivis et paene uncialibus supra (p. XXXVIII) observavi. Nomina virorum, fortasse possessorum, in vasculis stanneis Britannicis quibusdam scariphata sunt (CIL VII 1270*a*—*f*). Inprimis autem quae in argento potorio escario inscribi solebant nomina fabrorum pondera et similia nisi punctim scripta sunt (ut supra vidimus), litteris gracillimis et saepe paene cursivis solent scariphata esse. Eius formae sunt quae in vasculis musei Neapolitani (CIL X 8071 9 12 13 15 17-19), in disco argenteo imperatoris Theodosii Hispano (CIL II 483), in patella argentea Sisciensi (CIL III 6330), in lance argentea Corstopitensi (CIL VII 1286), in supellectile denique argentea Hildeshemiensi leguntur [2]).

in aere

In aenea tabella ita inscripta est devotio Puteolana (CIL I 820 = X 1604). Nomina graphio inscripta habent arma aenea, cassides, ut incertae originis in musei Monacensi servata (CIL I 1493), Romana musei Gregoriani (CIL VI 2904), galeae in Pannonia repertae (Ephem. epigr. IV p. 179 n. 641 642), umbones Britannici (CIL VII 495 570) Thorsbergensis [3]), Dacicus (CIL III 1640 2); de quibus aliquando accuratius egi [4]). Etiam tabella aenea votiva reperta in Gallia *deae Icovellaunae* (infra n. 903) scripta est litteris paene cursivis.

in plumbo

Quod plumbum prae reliquis metallis devotionibus et obsecrationibus inservierit, non tam ex peculiari quadam superstitione quam ex facili et commodo eius metalli in scribendo usu explicandum puto [5]). Unde in lamellis plumbeis inscriptae sunt devotiones Graecae [6]), responsa oraculi Dodonaei [7]), devotiones Oscae (Zvetaieff n. 49 et 50) et Latinae urbanae (CIL I 818 819 = VI 140 141, item ab I. B. de Rossi edita *Bullett. dell' inst. archeol.* a. 1880 p. 6 ss.), Arretina (Hermes IV 1869 p. 282 ss.), Septempedana (CIL IX 5575), Salernitana (CIL X 511), Cumana (CIL X 8214), Campana (CIL X 3824, cf. annal. Bonn. LXVII a. 1879 p. 35), Minturnensis (CIL X 8249), Aquensis Britannica (Hermes XV 1880 p. 588 ss., quam infra repetivi n. 947), Brigantii in Norico reperta (annal. Bonn. LXXIV a. 1882 p. 181 s.). Eiusdem generis est tabella plumbea litteris sinistrorsum procedentibus scripta in Etruria reperta [8]). Sed plumbi usus ad inscribendum frequens omnino videtur fuisse casuque vel potius propterea quod facile pessum dantur exempla titulorum plumbeorum rara sunt. Antiquissimum quod habemus exemplum, *Plauti Specii* lamina donario alicui Minervae oblato olim inserta Florentina (CIL I 191 PLME tab. II *C*), litteras habet incisas et satis rudes. Ollae plumbeae Puteolis repertae titulos continent sepulcrales annis 740 et 743 inscriptos (CIL I p. 210 = X 1935—1940). Sepulcrales sunt tabellae plumbeae repertae in Gallia (*Bullet. épigr. de la Gaule* III 1883 p. 99) et apud Batavos prope *Vechten*, servata in museo Traiectino, scriptura paene cursiva retroversum *Smertuccus Amaionis f(ilius)* inscripta (Bramb. 57). Tabella

[1]) Vide C. Zangemeisteri enarrationem in Hermae vol. II 1867 p. 313; adde sigillum Britannicum ephem. epigr. III p. 147; collecta illa habes in opere A. Héron de Villefosse et H. Thédenat *cachets d'oculistes Romains* I Parisiis 1882 8.

[2]) Infra n. 939 940.

[3]) Apud Conr. Engelhardt *Thorsbjerg Mosefund* cet. (Havniae 1863 tab. 8 n. 11).

[4]) In commentationibus archaeologicis et epigraphicis Austriacis vol. II a. 1878 p. 105 ss.

[5]) Cf. G. Bapst *l'orfévrerie d'étain dans l'antiquité Rev. archéol.* XLIII 1882 p. 9 ss. 226 ss. et ser. tertia I 1883 p. 100 ss., inprimis p. 104.

[6]) Cf. C. Wachsmuth mus. Rhen. XVIII 1863 p. 560 ss.

[7]) Composita in Carapani opere *Dodone et ses ruines* 2 voll. Parisiis 1878 4.; inde H. R. Pomtow annal. philol. a. 1883 p. 305 ss.

[8]) Lanzi *saggio di lingua Etrusca* II tab. XVI; inde Massmann lib. aurar. p. 48.

plumbea titulo sepulcrali inscripta in Sardinia dicitur reperta esse (*Rev. archéol.* XLIV a. 1882 p. 317, item *Bullet. épigr. de la Gaule* II 1882 p. 310).

In operculis quoque rotundis urnarum ex plumbo factis tituli sepulcrales inscribebantur, ut Puteolanus utrimque repetitus a. 749 (CIL X 2381) aliique Campani Pompeiani Puteolani (CIL X 8074 2 3 7) et Gallicus (*Rev. archéol.* ser. tertia II a. 1883 p. 129 et *Bullet. épigr. de la Gaule* III 1883 p. 99). Nomina sola sepultorum, ut videtur, refert lamina plumbea apud Marsos Marruvio reperta, quam servat museum Berolinense (CIL IX 3728 infra n. 946). Prope Cordubam lamina plumbea reperta est, in qua certo quodam anno et die aliquis *alvari locum se occupavisse* indicat (CIL II 2242). Tabellas quasdam plumbeas aereis similes in urbe repertas, ut videtur, quibus servi fugitivi notabantur (v. infra p. 313), R. Fabretti memorat (p. 522 XXV ss.): videntur habuisse litteras graphio scriptis simillimas. Graphio inscriptum denique est vasculi vitrei operculum plumbeum repertum in Pannonia (CIL III 6012); etiam tabella plumbea in Mauretania Sitifensi reperta et servata in museo Parisino videtur sepulcralis esse (CIL VIII 8731).

In massis marmoreis interdum insertae sunt laminae parvae plumbeae litteris inscriptae[1]); litterae ad cursivas formas vergunt.

Aliae extant tabellae plumbeae, veluti utrimque inscripta nominibus hisce *Felix Petroni* et *Camerinus* Perusina (*Bullett. dell' inst. archeol.* a. 1879 p. 171) — litterae eius satis antiquae monumentalibus similiores sunt —, de quarum usu non constat. Globuli plumbei Africani (CIL VIII 10484 1-6) quali scripturae genere inscripti sint non adnotaverunt editores. In hisce fere omnibus, quatenus iudicare possum de visu vel ex imaginibus fidelibus, scriptura non proprie cursiva est, sed monumentali similior, quamvis stilo acuto in materiam mollem leviter incisa; ut exempla demonstrant infra proposita (n. 946 947). Reliqua plumbea, quae inscripta sunt litteris prominentibus supra commemoravimus (p. 326).

Atque similes etiam formas devotio quaedam deo Nodonti oblata Britannica exhibet, quae scripta est litteris inversis in lamella stannea (CIL VII 140; cf. infra n. 943 944). in stanno

Denique etiam in tabellis vitreis rotundis, in quibus acclamationes gladiatoriae solent inscriptae esse, graphio scariphata addita sunt nomina et vocabula solita *pie zeses* (CIL VI 10070 10186). in vitro

---

CAPVT DECIMVM

SCRIPTVRA VVLGARIS

I

LITTERAE SCALPRO SCARIPHATAE

Quae composuimus in eis quae praecedunt observationibus calci argillae metallis graphio aliove instrumento acuto inscripta, materia ipsa favente atque eo fere ducente cursivae scripturae aut aequalia aut similia evasisse consentaneum est; praesertim cum litteris illa utantur non maioribus fere quam eae sunt, quae in ceris inscribi solebant. Sed etiam quae maioribus litteris in lapidibus insculpebantur ab eis hominibus, qui iustam scalpendi artem aut ignorabant aut propter festinationem paupertatemve neglegebant, scribendi in pugillaribus consuetudinem non raro quasi sponte imitantur. Ita extitit propria quaedam scriptura lapidaria sive cursiva sive, ut fortasse aptius appellanda est, vulgaris, cuius in titulis quibusdam antiquioribus vestigia iam Ritschelius agnovit[2]). Multo autem frequentiora eius exempla, ut exspectaveris, aetatis imperatoriae inscriptiones praebent.

Differt autem scriptura illa epigraphica vulgaris ea potissimum ratione a vere monumentali sive quadrata sive lapidaria, quod insculpta est, ut ipsa eius elementa docent, forma nulla antea in lapide sive delineata sive picta, sed scalpro solo adhibito ita, ut statim litterae inciderentur et deinde paullo profundius exararentur; scalpro igitur scariphata dici potest. Unde accidit, ut formae litterarum ita scriptarum non raro similes evaserint in titulis quamvis aetatis recentioris scripturae angulatae antiquissimae, quae litteras rotundas partesque litterarum curvas nondum satis eleganter effingere potuit; ut supra monui (p. XXIII).

Lapidariae igitur scripturae vulgaris, sive cursivae proprie dicendae sive semicursivae, exempla quae extant inde a primo fere aerae nostrae saeculo ineunte hoc loco accuratius consideranda sunt; antiquiora, quae paucissima sunt numero, iuxta memorabuntur. Pertinebat autem scribendi sculpendique haec neglegentia ad paene omnia titulorum genera atque in eis potissimum titulis cernitur, qui extra lapidariorum officinas sculpti sunt varias ob causas. Deinde non integri interdum ita scripti sunt tituli, sed partes tantum eorum, dedicationum notae in lateribus inscriptae, additamenta postea adiecta, cum lapides iam locis suis collocati essent; denique casu vel neglegentia singulae hic illic tantum litterae vulgares formas habent. Ceterum monendum est, non satis certo et perspicuo dicendi genere eos saepius uti, qui titulos eius modi aut graphio scriptos esse dicerent aut litteris cursivis aut non satis alte incisis aut malis omnino vel pravis pessimisve; unde incerta huius generis multa sciens omisi. Proprie graphio in marmoribus lapidibusve aliis scribi non potuisse patet: quae ita appellantur non malleo scalproque neque iusto omnino opificio facta sunt, sed, ut dixi, scalpellis ipsis statim exarata. Ad vere graphio scripta praeter titulos aliquot sepulcrales, de quibus infra dicetur suo loco, proxime for-

[1]) Vide Bruzzae commentarium *ann. dell' instit. archeol.* XLII a. 1870 p. 115 s.

[2]) PLME p. 111, opusc. IV p. 511 687 725.

tasse accedunt, quae Romae in fori Romani marmoribus nonnullis exstant, scariphata ab otiosis, aetate fortasse labente pleraque (ut CIL VI 248 3820); etiam in lapide Tiburtino quaedam eius generis scariphata sunt, tabellae lusoriae aliaque id genus ab Henrico Iordan collecta[1]). Puteolis tabula reperta est ex marmore, cui stilo aliquo duriore nomina aliquot inscripta sunt eadem, qua in tectorio, ratione (CIL X 3297*a*). Similes videntur esse tituli aliquot Graeci Latinique privati argumenti, qui Nemarae in Arabia extant *autour du fort gravés à la pointe sur des pierres de toutes formes* (CIL III 6029—6033). Ea, ut alia proprie graphio scripta, ab hoc opere, ut par est, seclusimus. Reliqua vero, quae huc pertinent, singillatim nunc iam persequemur.

II

TITVLI LAPICIDINARVM MASSARVMQVE LAPIDEARVM

Consentaneum est, tumultuariam scalpendi operam atque vulgare scribendi genus in eis potissimum deprehendi titulis, qui aut privato cuidam usui destinati erant aut ita comparati, ut postea lapidibus in usum proprium sive publicum sive privatum conversis vel delerentur vel laterent. Eius generis tituli aliquot sunt in ipsis lapicidinis vetustis reperti. In lapicidinis enim vetustis loca singula, unde ab operariis certo tempore vel ad certum aliquod opus lapides excidebantur, solebant signari titulis quibusdam, quos magna ex parte non satis intellegi non est quod mireris. Lapidarii enim, qui titulos illos incidebant, quanquam lapides caedere docti tamen artem quadratariam non satis callebant; deinde quae incidebant non certas epigraphiae leges sequebantur, cum posteritati non essent destinata, sed ex operarum usu potius derivata sunt. Itaque tituli illi aut leviter tantum incisi et graphio scariphatis similes aut, si quando maiore modulo et magis profunde insculpti sunt, opificio debentur peculiari. Solent enim in illis litterae incidi punctis magnis et rudibus iuxta collocatis, quae litterarum formas sequuntur, sed vix certis inter se coniuncta sunt lineis; si magna conferre licet minimis, litterarum in aere punctatarum, de quibus infra dicetur, artificii admonent. Eius modi a militibus aliisve operariis Romanis relictae sunt opificii memoriae non paucae; potissimum in Britannia (CIL VII 305—307 502 576 863 871 872 912 913 921 948); duae earum infra repraesentatae sunt (n. 1185 1186). In aliis regionibus tituli eius generis rarius observati sunt; comparentur qui in saxo Vallis Ossolae (CIL V 6649 6650), in Hispaniae locis quibusdam (CIL II 2003 4421), in Aegypto (CIL III 26), in Antilibano (CIL III 135), prope Byblon Syriae (CIL III 180*a*—*o*) extant. His similes interdum sunt cippi terminales privatae potissimum originis, ut Hispanus (CIL II 5065).

His vero lapicidinarum titulis proxime accedunt tituli non in ipsis lapicidinarum rupibus, sed in lapidum massis inscripti fortasse antequam ex lapicidinis exierunt aut sane antequam collocati sunt in operibus tectonicis. Antiquissima habemus eius generis signa Romae in lapidibus muri Serviani servata, quae utrum litterae Romanae sint (certo non Etruscae) an notae a litteris diversae hic non diiudico. Tractaverunt eas Henricus Iordan[2]) et Aloysius Bruzza[3]); ex parte profunde incisae sunt et accurate, ex parte leviter et graphio scariphatis similes. Idem similes notas memoravit a me observatas in muris Tarraconensibus[4]), in Pompeianis a multis[5]), in Cumanis, in vallo Hadriani Britannico (CIL VII 536), in templo *Iovis Statoris* urbano et in Tiburtino *Castoris*[6]). Inscriptiones illae omnes, quamvis inter se diversae, rudi opificio incisae sunt. Adnumerandi deinde eis sunt tituli marmorum emporii urbani ab Aloysio Bruzza editi et explicati[7]), aut picti tantum (ut supra dixi p. XXVIII) aut scalpro incisi festinanter (infra n. 1160); in columnis duabus ad litus Caprense iacentibus inscripti (CIL X 6808), item quae in massis marmoris Lunensis ad sepulcrum aliquod Faliscum adhibitis lecta sunt a Rud. Lanciani[8]). His accedunt tituli urbanis emporii Tiberini plane similes Docimii in Phrygia detecti[9]). In monumentis aliquot urbanis marmoreis, veluti in basibus statuarum, notae vel numeri eius generis 'litteris pravis' vel 'pessimis' in lateribus sculpti supersunt (e. c. in titulis a. 747 et 741 CIL VI 385 386 al.). Nomina lapicidarum eodem fere modo in muro interiore portae q. d. nigrae Treverensis insculpta sunt et infra a me repetita (n. 1182)[10]); similia quaedam reperta sunt in Germania (infra n. 1183 1184) et Gallia, veluti quae Parisiis servantur in museo Cluniacensi (ad amphitheatrum ex parte pertinentia, v. infra p. XLIX) et in museis quibusdam provincialibus.

III

TITVLI RVPI INCISI

Cum lapicidinarum marmorumque titulis deinde comparandi sunt qui in viva rupe incisi extant, quanquam non omnes rudi opera facti sunt. Tamen materiae durities aut loci incommoditas non raro effecerunt, ut litterae titulorum eiusmodi evaserint graphio scriptis similes. Idem in Graecis aliquot titulis observatum est, veluti in insulae Aenariae aliquo[11]).

Operae pretium visum est eius generis titulos quotquot mihi innotuerint hic componere, quanquam quo litteraturae genere utantur singuli ubique indicare nequeo; raro enim rettulerunt de ea quibus titulos illos contigit videre, quod difficile est in multis, neque ectypa eorum facile comparantur.

Antiquissimus fortasse huius ordinis titulus est aetatis fere Sullanae ad Pescinam supra ingressum cryptae alicuius rupi incisae extans et ipse in viva rupe sculptus sepulcralis *N. Vibidai V(ibii) f(ilii) Barbonis* (CIL I 625 = IX 3771 PLME tab. LXXXV*B*); litterae eius in universum quidem cursivae non sunt sed lapidariae, nonnullae tamen tam neglegenter incisae (ut C R), ut cursivis plane similes evaserint. Litteris deinde vetustis in tabella ansata ad tullios Tiburtinos rupi incisus est titulus hic *Damocra Cottae L. s(ervus) hoc opus f(ecit)* (CIL I 1123) et iuxta ad aquaeductum veterem verba haec lepida *cape me tua sum* (Marini *iscriz. Albane* p. 182); de scripturae genere nihil adnotatur. Non magis constat quali scriptura fuerint tituli *Sex. Iulii*

[1]) In sylloge inscriptionum fori Romani Ephem. epigr. III p. 279 n. 41—46 82*a* 167 178 182 203).

[2]) Hermes VII 1873 p. 482ss., forma urbis p. 10, *Topographie der Stadt Rom im Alterthum* vol. I 2 (Berol. a. 1878) p. 259ss.

[3]) In annalibus instit. archaeol. XLVIII a. 1876 p. 72ss. cum tabb. *I—L*.

[4]) Hermes I 1866 p. 88.

[5]) Cf. IN 6307 post n. 75; CIL X 8349—8361.

[6]) P. Rosa *relazione al ministro* a. 1873 p. 54.

[7]) In annalibus instit. archaeol. XLII a. 1870 p. 107ss. (*tab. d'agg. G*).

[8]) *Bullett. dell' inst. archeol.* a. 1870 p. 42.

[9]) CIL III 356 Ephem. epigr. IV p. 34 V p. 47 n. 100—124.

[10]) V. acta acad. Berol. menstrua a. 1864 p. 94ss. et Bramb. p. 357.

[11]) Apud Mommsenum *die unterital. Dialekte* p. 197.

Sex. l(iberti) Menopili a. 710 aliique in Epiro ad antrum maritimum rupi incisi a nautis in Neptuni Castorumque honorem (CIL I 623 = III 582; CIGr 1824—1827); nam a descriptoribus tantum vetustis, veluti a Cyriaco, servati sunt. Idem cadit in titulum *Iovi* sacrum, qui incisus fuit in rupe quadam prope Veroli oppidum, anni ille 751[1]).

Sacri praeterea extant rupi incisi aetatis minus vetustae prope Vitolanum *Silvani* saeculi fortasse alterius, cum additamento vero a. 236 (CIL IX 2125); *Dianae* et *Silvani* Tarracinenses (CIL X 6300 6308); deorum incertorum Arelatenses (CIL XII 979—981); dedicatio *Mithriaca* prope Albam Helvorum extans (CIL XII 2706). Varii deinde eiusdem generis sunt in Hispania (CIL II 416 738 2525 3093*a*—*c*), Aquinci (CIL III 3365), Viruni (CIL III 4941), in spelaeo vetusto prope Veronam servati (CIL V 3318), ad sacellum *Silvani* spectantes prope Philippos Macedoniae situm (CIL III 633) et *Dianae* sacer ibidem extans (CIL III 636), in Germania (Bramb. 844), prope Milev Africae (CIL VIII 8241). Eos omnes aut ipse vidi affabre sculptos esse in rupe laevigata, marginibus interdum circumdatos, aut ita se habere accipimus a testibus oculatis; litterae quanquam non optimae attamen quadratae esse dicuntur.

Summa cum elegantia incisa dicitur esse *inscriptio* magna *honoraria* Ferentini in rupe ad viam publicam saeculi circiter secundi (CIL X 5853).

Qui ad vias publicas privatasque spectant tituli non pauci rupi incisi, veluti qui prope Nursiam (CIL IX 4541) et in Valle Ossolae (CIL V 6649) extant et prope lacum Lemanum in tabella ansata rupi incisi (CIL XII 2555 et 2556), Hispani deinde (CIL II 2886 3039 = 5095 3167), Syriaci (CIL III 199—201 206 207), prope Amastrin Ponti extans (CIL III 321 = Ephem. epigr. V p. 40, 86), viae Egnatiae Macedonicus (CIL III 710), Moesiaci duo Tiberii (CIL III 1698) et Traiani notus ille in porta ferrea q. d. ad Danuvii ripam extans (CIL III 1699), item numeri rupi incisi ad designandum quanta altitudine excisa fuerit Tarracinae (CIL X 6849), titulus denique terminalis Circeiensis (CIL X 6430), ei omnes lapidarias litterarum formas exhibent plerumque optimas.

Sepulcrales deinde tituli rupibus prope sepulcra incisi, ut vetustus ille Pescinensis, aliquot servati sunt. Is quem vidi eius generis titulus Hispanus (CIL II 1600) satis curiose sculptus est; reliqui, veluti Tarracinensis (CIL X 6351), Antinas (CIL IX 3845), Aequiculanus (CIL IX 4125), Caralitani, epigrammata illa Latina et Graeca in monumento *Atiliae Pomptillae* (CIL X 7563—7578) aliusque (CIL X 7719), denique Africani nonnulli (CIL VIII 6345 6346 6347 6349 6350 8379 9769—9774), quatenus servati sunt — multi enim eius generis intemperie perierunt —, videntur et ipsi opificio deberi a solito quadratariorum non multum diverso. Usque ad ultimam aetatem consuetudo illa rupium sculpendarum mansit: prope Segusteronem in Gallia Narbonensi insigne eius generis monumentum extat ad viam publicam pertinens saeculi quinti ineuntis (CIL XII 1524). Labentis aetatis videntur esse notae incertae in rupibus prope Syracusas observatae (CIL X 7139). Itaque tituli rupi incisi utrumque scripturae genus, vulgare et quadratum, exhibent.

IV
TITVLI SACRI

Antiquissima inscriptio votiva 'litteris vetustis leviter incisis' scripta, quae proprie huc pertineat, Superaequana videtur haec esse *Sex. Vibius Sex. (filius)* | *Carus Her(culi) d(onum) d(at) l(ubens) m(erito)* (CIL IX 3302). Non proprie votivus, sed tamen aliqua ratione cum sacris coniunctus videtur esse titulus antiquissimus agri Falerni terminalis; eius quoque litterae, potissimum A II R S, ad vulgaris scripturae sive neglegentiam sive libertatem proxime accedunt, ut docet imago photographa addita (CIL X 4719). Etiam inter reliquos remotae antiquitatis titulos non nulli minus profunde incisi sunt, quanquam formis litterarum quadratis. Monumenta enim quae proprie dicuntur nomenque hoc merentur, i. e. arte tectonica facta, raro, ut expectaveris, vulgari illo scribendi genere utuntur. Tamen neglegenter incisa non pauca extant monumenta votiva a plebe potissimum rustica dedicata, iuvante interdum lapidis natura molliore. Ita 'graphio scripta' dicitur esse in lapide tofaceo dedicatio *Minervae* facta in agro Veronensi (CIL V 3908), item 'litteris cursivis' scripta *ara Nympharum* Comensis (CIL V 5224). Saepe deinde ita scriptae sunt arulae vel bases perparvae, usui illae domestico destinatae, quae locis suis facile moveri possent; in his, ut supra monui, ipse scripturae modulus exiguus ad formas sive cursivas sive actuarias sponte ducebat. Eius generis sunt arulae urbanae deorum variorum (CIL VI 178 249 259 279 347 353 380 391 392 393 430 437 488 558 601 676 775 904 905 917 950 aliae), Hispanae (CIL II 337 363 763 1109 1164 3359 4078 4079), aliarum regionum; item sepulcrales aliquot cippi minimi (ut IN 7030). Sed etiam inscriptiones votivae paullo maiores eodem non raro utuntur scribendi genere paene cursivo, veluti urbanae duae Iovis (CIL VI 289 290 infra n. 1153) et Herculis (CIL VI 300), Augustae Bagiennorum reperta (CIL V 7716), Lambaesitana (CIL VIII 2651). Exhibui eius generis exempla aliquot infra urbana saeculorum secundi et tertii (n. 1153—1159), Germanicum (n. 1180), Hispanum (n. 1187). Dedicationes deinde deorum in viva rupe incisae, quarum supra iam mentionem fecimus, vel in sanctuariis olim prostantes originem non raro ut ita dicam plebeiam vulgari scriptura indicant. Inter antiquiora eius generis exempla numerandi sunt tituli statuae Memnonis inscripti magna ex parte (CIL III 30 ss.), quorum unus (CIL III 31) e Letronnii opere in Massmanni librum pervenit (p. 43, δ littera pro *D* conspicuus); ego imagines eorum fideles a Ricardo Lepsio in opere suo Aegyptio prolatas cum ectypis ab eodem mecum communicatis comparare potui. His similia sunt in pyramidibus Aegyptiis (CIL III 21), in templo Isidis, quod Philis est (CIL III 74 79—81), in specu inscripta in insula Pholegandro (CIL III 489), Hispanica quaedam (CIL II 2395 3093 3718—3724), Gallica (ut inter Arelate et Tarusconem reperta CIL XII 979—981), Africana (CIL VIII 5504—5520 5880 6267—6302), alia. Tituli igitur sacri satis numerosi litteris vulgaribus scripti sunt.

V
TITVLI PROFANI VARII

Ut sacri illi, quos modo memoravimus, tituli, ita etiam profanorum genera quaedam ita comparata sunt, ut artem quadratariorum aut per se aspernarentur aut propter incuriam paullatim desererent.

Pertinent huc inprimis actorum in lapide incisorum genera quaedam. Nam quae in fastis magistratuum calendariis laterculis matriculisque vel militaribus vel collegiorum ad textum augendum addenda erant temporibus procedentibus, cum non in officina quadratarii, sed eo ipso plerumque loco, quo monumenta illa servabantur, insculperentur, multa eorum ad vulgaris scripturae formas proxime accedunt. Satis antiquum eius consuetudinis exemplum praebet laterculum militare aetatis

[1]) R. Lanciani *Bullett. dell' inst. archeol.* a. 1870 p. 43.

Augustae Coptitanum, in quo auctaria a fabris minus peritis exarata esse audio, quanquam litterarum formis nondum plane cursivis (Ephem. epigr. V p. 5 adn. 15). Fastorum calendariorum actorum Arvalicorum quae huc pertinent infra adnotavi (p. 416; cf. n. 1018 1022—1030 1080 1129).

Deinde in columnis miliariis cum solerent iuxta titulos primarios aetate potissimum labente inscribi nomina imperatorum subsequentium, tituli illi postea adiecti in columnis plerumque stantibus, non loco suo motis et denuo in officinam lapidariam reportatis, litteratura interdum utuntur neglegenti, prava, leviter tantum veluti currenti scalpro incisa. Exempla quae extant plurima titulorum eius modi singillatim recensere opus non est; quaedam infra inter aetatis imperatorum illorum documenta exhibuimus (n. 700 701; cf. etiam n. 514 542—545). Antiquissimum fortasse scripturae vulgaris exemplum lapis est ad viam Aemiliam prope Mutinam repertus, 'forma parallelepipedica paullulum rotundata', ita *C. Antoni M. Tuli co(n)s(ulibus)* inscriptus a. 691 (CIL I 599 = XI 843 PLME tab. LXXXVI *A*); utrum miliarius sit necne non definio, nam interpretationis est incertae, ut Bormannus adnotavit.

Notum est, in theatris amphitheatris circis ad Graecum exemplum nomina eorum ordinum magistratuum collegiorum hominum singulorum inscribi solita esse, quibus ibi spectandi ius erat. Luculenta titulorum illius generis exempla exhibent amphitheatrum Flavium (CIL VI 1796*d* et p. 857 1-82 97-100; imagines titulorum eorum aliquot dedi in annal. instit. archaeol. a. 1856 tab. XII), Veronense (CIL V 3455—3458), Ariminense (CIL XI 432), Polense (CIL V 86 qui pictis simillimi sunt), Caralitanum (CIL X 7608—7610), fortasse Tauromenitanum (CIL X 6996), Syracusanum (CIL X 7130 1-22), Gallica Arelatense (CIL XII 714 1-12), Nemausense (CIL XII 3316—3321), Lugudunense (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 467 IV), Arausionense (*Annali dell' inst. arch.* XXXI a. 1859 p. 129), Parisinum (R. Mowat *Bullet. épigr. de la Gaule* I 1881 p. 184 ss. II 1882 p. 49 ss.), Treverense (Bramb. 771), Hispana Tarraconense (CIL II 4280), Italicense (CIL II 5102—5116), Africana Hadrumetinum (CIL VIII 66), Lambaesitanum (CIL VIII 3293), Caesareense (CIL VIII 9417—9419), Kairouanense (*Bullet. épigr. de la Gaule* III 1883 p. 144), alia.

Ex his qui antiquitus sculpti sunt tituli, cum aedificia illa extruerentur, litterarum formas habent monumentales optimas; qui postea propter mutationes rerum publicarum additi sunt in loco iique praecipue, qui antiquioribus bis pluriensve deletis superscripti sunt, a neglegentiore ad pravam pessimamque scripturam vulgarem descendunt.

Qui a militum numeris in castrorum murorumve structura positi sunt tituli mensuras operis ab ipsis confecti indicantes plerumque scriptura illa neglegenti utuntur, utpote ab ipsis militibus, qui operam lapidariam praestiterant, incisi. Frequentissima eius generis exempla praebent muri castellaque Britannica (CIL VII 109—117 143—151 172 173 213 214 227 228 242 312 331 365 366 401—403 448 449 460—468 474—476 484 487—491 alia) et Germanica, veluti Mogontiacum (Bramb. 978 1044 1051 1062 1084—1086 1093—1095 1102—1105 1119 1286 1287 1308 1309 1366 1367) aliaque castra (Bramb. 57 1554 1610 1625 1729 1749 2020); praeterea quaedam eius generis reperta sunt in Arabia (CIL III 110—114). Apposui infra eius generis titulum Germanicum unum (n. 1181). Hi igitur tituli quanquam posteris memoriam operis tradituri tamen ad monumentorum iustorum artem et dignitatem vix accedunt.

Latissime, ut expectaveris, rudis illius litteraturae usus patebat in titulis sepulcralibus. In columbariis saeculi primi urbanis non in opere tectorio tantum, ut supra vidimus, sed in marmoreis tabellis non nullis tituli extant integri stilis acutis scripti (ut CIL VI 4936*a* 4946 10150). Etiam aevi christiani tituli in coemeteriis subterraneis reperti non pauci instrumentis graphio similibus scripti sunt[1]). Sed etiam reliqui tituli sepulcrales quanquam in lapidibus magnis extantes tamen interdum prope accedunt ad vulgaris scripturae neglegentiam. 'Litteris parum accuratis', sed vetustis, 'punctis triangularibus' scriptus est titulus in valle Velini superiore repertus in lapide ingenti hoc tantum nomen *Sex. Staatius Sex. f(ilius)* continens (CIL IX 4642); alius Interocrinus item satis vetustus dicitur 'litteris pessimis' scriptus esse (CIL IX 4647). Inter columbariorum deinde urbanorum saeculi primi titulos multi scalpro quidem sculpti sunt, sed neglegenter, litteris male formatis parumque alte incisis in tabellis marmoreis (CIL VI 5344 5353 6257 6311 6686 6700 6744 6944 6963 7093 18711*a* 19596 alii). Solet in titulis illis cum litterarum pravitate coniuncta esse sermonis barbaries; ut docet exemplum inter alia hoc: *Olus Hirtius Bubalus loca dedet donavit Hirtiae Ciratae, ne qui velet inter bellare ea; Olus Aceronius* (CIL VI 7093). Aetate aliquanto recentiore, i. e. saeculo fere tertio, tituli sepulcrales non pauci litteris illis scripti sunt quas dicunt cursivis, veluti *Pupi Torquatiani* ille urbanus palaeographis ex Marinii tabula notus (Arv. I p. 263; inde Massmannus p. 51); infra eius exhibui partem (n. 1169) una cum aliis similibus. Multo meliore litteratura, quanquam et ipsa titulis graphio scriptis non prorsus dissimili, scriptus est titulus item urbanus *Q. Terentii Prisciani* (apud Fabrettium p. 235, 619), quem ex Buonarottio et Boldettio (v. supra p. XV adn. 1) item sumpserunt palaeographi (ut Massmannus p. 42). In reliquis Italiae regionibus tituli sepulcrales easdem similesve formas exhibentes vix multo rariores sunt. Scriptus est ita v. c. musei Taurinensis unus (CIL V 7110); fragmentum eiusdem generis servatur *Cividale* in museo (CIL V 8647). In Hispania inter Hispalenses potissimum et Italicenses non nulli similes sunt, quanquam paullo minus neglegenter scripti (CIL II 1140 1141 1142 1145 1152 1155 5039 5040 1202 1209 1237), item paullo vetustiores aliquot Illiberritani (Ephem. epigr. I 1872 p. 184 n. 293*ab*). Prorsus barbare scripti sunt tituli non pauci in septentrionalibus Hispaniae regionibus reperti, in agro Legionensi potissimum et Asturicensi (CIL II 2696 Ephem. epigr. III p. 43 n. 28 29 p. 193 n. 148—159 IV p. 18 ss. n. 24 25). Denique Africanae quoque originis aliquot novi (CIL VIII 182 280—285 4786 7327 9005—9007 9010; CIL III 744 = VIII 10971). Ut plebeii rusticique, ita etiam milites, peregrinae maxime originis, titulos sepulcrales reliquerunt litteratura vulgari scriptos. Vetustus eius generis videtur esse Atticus, quem non vidi, centurionis alicuius *Cn. Pompeii Magni* (CIL III 6541*a* p. 1059): litterarum formae aliquot uncialibus similes sunt. Inter urbanos militares non pauci eius generis sunt (etiam *medici* alicuius titulus similis est CIL VI 9592), quos non memoro; graphio exaratus dicitur esse unus *praetoriani* alicuius ad viam Nomentanam repertus (CIL VI 2507); saeculi tertii unum infra exhibui (n. 1170) ibique etiam (p. 416) alios memoravi. Praeterea huc pertinent Syriaci tres (CIL III 123 151 152), Attici (ut CIL III 586), Thessalonicensis (Ephem. epigr. V p. 76 n. 208). Hi omnes litterarum formas habent ex parte graecissantes, ut Δ pro D, alias.

Haec fere sunt exempla titulorum integrorum, qui litteris vulgaribus scripti sunt, non iusto opificio factis.

---

[1]) Exempla videsis apud Rossium *Roma sotterranea* II tab. XXIX—XXXIV, alia.

CAPVT VNDECIMVM

SCRIPTVRA DIVERSA IVXTA VSVRPATA

Ut in actis miliariis spectaculorum titulis supra vidimus (p. XLVIII), ita etiam in reliquis titulis additamenta quaedam interdum facta sunt, quando singula vocabula aut casu omissa erant a quadratariis aut propter honores dignitatesque postea acceptas ab eis, ad quos tituli spectant, quae inserenda erant post titulos absolutos. Ita v. c. proconsulis Africae honos adiectus est extra ordinem sed ab eodem quadratario in titulo *Rubreni Proculi* Atinate (CIL X 5058); in *Aelii Diogenis* libertini hominis titulo *tribus Sergia* libertatis index postea interposita est versiculis tituli Pisani (CIL XI 1451); in alio Pisano *coheres* vocabulum postea additum est in fine (CIL XI 1462); in Lugudunensi *nautam Rhodanicum* postea se ipse nominari voluit is qui in honorem nautarum illorum tabulam marmoream dedicaverat (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 392 V). Multa eius generis a titulorum descriptoribus accuratis observata addi poterunt. Tamen cavendum est, ne quaecunque diverse scripta cernimus in lapidibus permultis ex eis tantum quas modo exposuimus similibusve causis originem capere potuisse credamus. Consulto enim interdum quadratarii diversa litteratura usi sunt. Fugere hoc non potuit titulorum Latinorum editores: Scipio Maffeius rem observavit[1]) atque post eum Hagenbuchius, qui solet in minutiis illis versari[2]); saepius Marinius de eadem re aliique monuerunt[3]). Exempla permulta collegi; ea tantum proferam, quae ad artem lapidariorum e scriptura diversa rectius aestimandam faciunt quaeque ipse in lapidibus vidi aut ectypis probare possum. Lapides inscripti quotidie fere prodeuntes ex solo vetusto urbis Italiae aliarum regionum multa similia afferent.

I

SCRIPTVRA MONVMENTALIS ET ACTVARIA CONIVNCTAE

Consulto interdum iuxta monumentalem actuaria quam diximus scriptura adhibita est, praesertim quando in titulis sacris honorariisve acta et latercula addita sunt. Exempla sint praeter ea, quae infra posui (n. 238 384 578), tituli urbani a. 101 (CIL VI 2184) a. 176 (CIL VI 860) a. 198 (CIL VI 1052), Calamensis musei Parisini (CIL VIII 5367), Boeckingensis musei Stuttgartensis (Bramb. 1592); in hoc ultimo primus tantum versus in summo margine arae additus est litteris parvis, id quod alibi quoque factum saepius licet observare. Exempla eius generis infra attuli inter acta (n. 1042 1048 1052 1054 1071 1085 1096 1109). Deinde dedicationum tempora non raro in lateribus monumentorum ita addi solent litteris litterariis minoribus, ut in urbana a. 218 (CIL VI 367), in Africana a. 197 (CIL VIII 8937) multisque aliis, quorum aliquot infra exhibui (n. 730 964). Etiam in sepulcralibus quibusdam saeculi primi titulis urbanis eadem observata est diversitas (cf. CIL VI 4226 et *Foliae* cuiusdam *Saturninae* titulus nondum in CIL editus). Paullo recentior est musei Vaticani sepulcralis *Caniniae Eparchiae* (CIL VI 14347); in hoc contra usum communem minor scriptura, quae litteraria est, maiorem praecedit. Contrarium saepius observatur.

II

SCRIPTVRA MONVMENTALIS ET VVLGARIS CONIVNCTAE

Saepius addita quaedam sunt in titulis postquam illi perfecti erant litteris monumentalibus quidem et ipsis, sed tamen paullo diversis, ad pictarum formam interdum magis accedentibus aut in universum deterioribus. Notum est vocabulorum eorum, quae consulto deleta sunt, locum obtinere solere alia postmodo addita; ea scriptura quoque plerumque differunt a vetustioribus. Idem in multa illa cadit, quae in fastis laterculisque varii generis postmodo addita esse iam observavimus. In miliariis aliquot vetustis numeri passuum postea adiecti sunt scriptura non eadem (CIL I 535 536 540). Antiquum additamenti exemplum praebet titulus Bovianensis *L. Marii Nasonis* (CIL IX 2786), in quo versus priores duo scripti sunt 'litteris pulcherrimis maximisque', reliqui duo 'minoribus et leviter incisis a manu diversa'. Praeterea *ara Silvano* a servo quodam Hadriani Augusti Romae dedicata postea a servo Caracallae restituta (CIL VI 619) certissimum eius generis exemplum est: duo scripturae genera clare distinguuntur. In *ara Herculis* defensoris urbana item consulis qui eam dedicavit a. 193 nomina *M. Silius Messalla* postea addita sunt manifesto (CIL VI 306 infra n. 479). Altera est ara item *Silvani* urbana, in qua ad dei nomen postea adiectum est dedicantis saeculo tertio (CIL VI 654); in tertia quadam nomen dedicantis postea additum est scriptura diversa (CIL VI 605). In *basi* urbana *Fortunae Iuvenianae* saeculi puto tertii additum est saeculo fortasse quinto litteris plane diversis *Lampadiana* vocabulum (CIL VI 189).

Tituli inprimis sepulcrales eius modi additamenta habent tempore quidem non multum diverso addita, sed alio opificio: in urbanis potissimum illa tam sunt frequentia, ut enumerare a me observata omnia supersedeam. Exempla autem sint tituli urbani hi: *Musici Ti. Caesaris Augusti servi*, cui additum est infra nomen defuncti alterius (CIL VI 5197); ara *L. Volusi Heraclae* musei Lateranensis elegantissima, cuius tres versus ultimi postea additi sunt in litura (CIL VI 7368); alia eiusdem generis exhibui infra (n. 497 1040). Luculentum deinde exemplum praebet titulus Ostiensis *Lucilii Gamalae* (Ephem. epigr. III p. 323;

---

[1]) In arte critica lapidaria p. 166 167.

[2]) Apud Orellium II p. 366.

[3]) *Iscrizioni Albane* p. 24, Arv. p. 29 33 125 187 237 246.

infra n. 1080). E reliquis nominasse sufficiat urbana (CIL VI 398 9053 10278 10458 11365 14027 15221 15267 15846 18304 18428; *Bullettino municipale* a. 1874 p. 17 tab. I 1; Henzen 7314; quattuor aliorum in CIL VI nondum editorum ectypa servo), Histoniense (CIL IX 2860), Beneventanum (CIL X 1641), Pompeianum (CIL X 1048), Puteolanum (CIL X 2946), Campanum (CIL X 2814), Formianum (CIL X 6071), Brixianum (CIL V 4278), Augustanum Bagiennorum (CIL V 7706 ubi male vituperatur editor prior; nam CAM tribus nomen litteris minimis, sed perspicuis scriptum clare in ectypo legitur), Noreianum (CIL III 5063), Salonitana (CIL III 2001 2617), Foroliviense (CIL XI 600), Vasiense (CIL XII 1375), Africana (CIL VIII 919 9358 9378). Supra vidimus (p. XXX), interdum ad *dis manibus* formulam in officina lapicidae factam postea demum ab emptore adiecta esse defunctorum nomina. Ita non raro etiam ollarum indicatio in margine postea adiecta est (CIL VI 5728), vitae anni, formulae, ut *h(ic) s(itus) e(st)* aliae, item postea adscriptae sunt. Illud quoque huc facit, quod in tabellis columbariorum et in aliis titulis sepulcralibus (ut in Brixianis CIL V 4483 4682) spatia a lapicidis vacua relicta sunt, in quibus quae postea addenda viderentur insculpi possent. Similiter in titulis christianis Hispanis interdum aerae Hispanae numerus rotundus tantum adscriptus est, ut postea mortis annus mensis dies adderentur, quod tamen deinde neglegi solebat (Inscr. Hisp. christ. praef. p. VI).

Additamenta denique interdum aperte proficiscuntur non ab eodem a quo reliqua sculpta sunt quadratario, sed graphio potius scripta et cursivae scripturae similia sunt. Praeter ea quae infra attuli eius diversitatis specimina (n. 259 312 316 317 322 486 488 497 674 737 767) haec memoro exempla. In basi *Silvani* urbana ad nomen dei antiquius litteris incertis addita sunt nomina eius qui eam restituit saeculo fortasse secundo (CIL VI 605). In basi *Victoriae* Taviae in Liguria reperta in fine nomen aliquod additum est litteris cursivis (CIL V 7809). In titulo Carthaginiensi *divo Claudio* posito postea additum est a christiano fortasse homine litteris malis *vivas in deo* (CIL VIII 1015). Multa eius quoque generis in sepulcralibus observantur: ita in cippo ex lapide Tiburtino musei Vaticani *M. Vergilii* alicuius *Athicti* additum est litteris cursivis *M(arci) Athic(ti) don(u)m.* Item in tabella musei Kircheriani ad vocabula *dis M(anibus) Iuliae Proculae* haec adiecta sunt litteris cursivis *et Iuli Glyceri.* Etiam in tabellis aereis quaedam postea adiecta discernimus, ut in Taurinensi infra proposita (n. 913). Alia eius generis (veluti CIL VI 13061) omitto. Itaque in talibus additamenta insculpta videntur esse postmodo ab eis ipsis, qui titulos posuerunt ponendosve curaverunt.

III

SCRIPTVRA EIVSDEM QVADRATARII DIVERSA

Ab eodem sine dubio lapidario eodemque tempore insculptae sunt bases tres Puteolanae, *Dusari* deo Nabataeorum sacrae (CIL X 1556), tamen nec mensurae nec formae prorsus concordant; apparet igitur quadratarium litteras, etiamsi voluisse putandus est, non potuisse prorsus aequabiliter sculpere. Ara quadrata agri Mediolaniensis utrimque inscripta est titulo fere eodem, ab altera vero parte litteris rudibus et parvis, ab altera quadratis iustis (CIL V 5661). Idem observatur in titulo Arelatensi veterani alicuius legionis XX (CIL XII 679). Videtur in his exemplis quadratarius primum textum festinanter in lapidem coniecisse currenti scalpro (unde litterarum formae evaserunt paene cursivae), deinde repetivisse secundum artis praecepta; nam cur postea addita sint exempla peiora, causa nulla cogitari potest. Duo habemus eiusdem tituli urbani exempla; indicatur locus aliquis ad collegium *tabernaculariorum* domus Augustae pertinens (CIL VI 9053 9053*a*): alterum exemplum insculptum est litteris malis, alterum eleganter, sed singula quaedam vocabula rustice scripta sunt, ut *cot* pro *quod.*

Duo extant eiusdem hominis, si Marinio credimus, tituli Ostienses sepulcrales, alter a matre positus litteris malis scriptus, alter bonis; in hoc homo ille *Telesforianus* dicitur, in altero *Telesporianus* (Arv. p. 30 CIL XIV 1208). Itaque etiam quae aut ab eodem quadratario profecta sunt aut tempore saltem eodem in eisdem titulis inscripta, tamen cum sculpta sint non eadem arte, admodum diversa extiterunt. Eius diversitatis, quae interdum non primo statim obtutu detegitur, si accuratius investigabitur, a descriptoribus bene oculatis puto aliquanto plura proferri posse exempla, quam mihi praesto sunt.

IV

TITVLI IN LAPIDVM IAM INSCRIPTORVM LATERIBVS SCVLPTI

Aliud deinde est, quod hoc loco videtur tangendum esse, quod lapicidae interdum lapidibus iam inscriptis ita denuo usi sunt, ut novos in alio eorundem lapidum latere titulos insculperent. Marmor, cui lex Puteolana insculpta est (CIL I 577 = X 1781 PLME tab. LXVI infra n. 1072), ab altero latere titulum habuit plane diversum (CIL X 1793). Castulone in Hispania titulus vetustus extat sermone Iberico inscriptus, cui postea a tergo insculptus est alter titulus saeculi primi (CIL II 3302 infra n. 39 40). In cippo *Petronii Cintulli filii* Novariensi (CIL V 6604 infra n. 171) saeculo secundo tertiove a tergo insculptus est alter (CIL V 6605). Vercellis est basis *Vespasiani,* cui ab altera parte litteris peioribus postea adiecta est dedicatio *deo Marti Conservatori* (CIL V 6652). Haec exempla sufficiant. Multae denique tabulae potissimum marmoreae titulis sacris honorariis sepulcralibus inscriptae aetate recentiore denuo adhibitae sunt ad titulos novos in aversa parte incidendos; coemeteria maxime suburbana christianorum frequentia eius parsimoniae exempla praebent.

V

TITVLI RECENTIORES VETVSTIS SVPERPOSITI

Simili, non eadem ratione interdum accidit, ut lapicidae spreta inscriptione aliqua vetustiore in lapide exarata eundem denuo adhiberent ad novam eodem, quo vetus erat, loco insuper insculpendam. Rara sane eius modi exempla sunt nec recte puto a viris doctis non nullis inscriptiones illae cum libris manu scriptis palimpsestis comparatae sunt[1]). Non enim illud dico, quod notissimum est et supra iam a

[1]) Ios. Klein annal. Bonnens. LV LVI 1875 p. 217 ss.

me memoratum (p. XLIII), scalpro interdum titulos sive integros sive ex parte deletos esse, ut novi in eodem lapide inciderentur; quod in titulis principum damnatae memoriae, in miliariis, interdum etiam in titulis sacris honorariis sepulcralibus privatorum accidit tam Graecis quam Latinis atque in minoribus quoque monumentis quibusdam observatum est: in glandibus enim missilibus interdum denuo novi tituli dicuntur impressi esse vetustioribus non prorsus deletis, si modo genuinae illae sunt[1]). Id quod aliqua ratione comparari potest cum codicibus bis terve scriptis. Sed in lapidibus titulo vetustiore non deleto novi, ut dixi, superimponebantur. Acclamationes christianae ita interdum additae sunt titulis paganis; neque vero ita, ut titulus vetustior periret. Contra v. c. in anaglypho urbano Gratiarum musei Capitolini titulo vetustiori (CIL VI 166) superimposita et interposita sunt verba haec '*Bonifati vivas sacerdus*' et alia quaedam similia. Concordiae lapis sepulcralis inventus est saeculi puto alterius tertiive; in ipsa eius facie et iuxta eius litteras supersunt litterae aliquot ex titulo antiquiore transverse collocatae (CIL V 1948). Aquileiae in lapidis facie inscripta transverse litteris exilioribus et deterioribus dedicatio nova addita est (CIL V 8247). Idem fere observatur in titulo parvo sepulcrali urbano, quem in museo Capitolino vidi (CIL VI 15267): scriptus est 'litteris pessimis', i. e. scriptura vulgari. Denique supra titulum burgi alicuius speculatorii in Numidia a Caracalla conditi addita sunt vocabula haec: '*† bis posuit Caletamera in te(m)pore suo*' (CIL VIII 2494). Eius igitur generis additamentorum litteratura a vetustiore probe discernenda est.

VI

TITVLI AETATE RECENTI INSTAVRATI

Sed singularia haec additamenta nullo negotio plerumque distinguuntur nec facile decipient peritos. Difficilius agnoscitur quod non raro ductus lapicidae vetustate obscurati aut aliam ob causam evanidi scalpro recentiore denuo exsculpti sunt, ut clariores et magis profundi evaderent. Non de eis titulis loquor, qui antiqua quidem aetate, sed non ea, quam prae se ferunt quae in eis leguntur, insculpti sunt; quod inter liberae rei publicae titulos de donariis *M. Fulvi Nobilioris* CIL VI 1307), *L. Mummii* (CIL I 541 = VI 331), de terminali quodam urbano (CIL I 609 = VI 1234*b*), de Alatrinate (CIL I 1166), de dedicatione Furfensi (CIL I 603), de lege Puteolana (CIL X 1781) aliisque quibusdam creditur[2]). De aetatis imperatoriae aliquot eius modi titulis infra dicetur. Sed recenti manu adfecti sunt miliarii potissimum non pauci, ut Cordubenses (CIL II 4701 4712), Bracarenses (CIL II 4749 4750 4752 4753 4756 4761 4765), Veronensis (CIL V 8050); tum varii generis tituli hi, quos breviter enoto (CIL II 1189; CIL III 1553 3327 in quo versus inde a sexto omnes a recenti manu scalpro omnino pessum dati sunt, quod adnotare omiserunt editores, CIL III 4036 4817; CIL V 3348; CIL VII 964; Bramb. 230 400 1525 1575 1614). Vix huc pertinet, quod interdum novicia quaedam addita sunt ad supplendos titulos non integros, velut in Germanico infra proposito nomen Tiberii (n. 198), in urbanis sepulcralibus quibusdam (CIL VI 9952 et in carmine *L. Luccei M. f(ilii) Nepotis*, ubi initio [*qu*]*um* suppletum est in lapide prave, Meyer anthol. n. 1167): magis enim hoc pertinet ad titulos vetustos recenti tempore in lapidibus repetitos aut omnino ad falsos.

Haec quae exposui omnia a multis quidem singillatim observata, sed nondum quantum scio composita et enarrata, in lapidariorum antiquorum opificio in universum aestimando non sunt neglegenda.

CAPVT DVODECIMVM

DE SCRIPTVRAE EPIGRAPHICAE FORMIS SINGVLIS

Postquam capitibus praecedentibus satis expositum est de ratione, qua scriptura epigraphica inlata sit in varias materias ad inscribendum adhibitas, iam singillatim percensendae sunt litterarum formae epigraphicae, contignationes sive nexus sive ligaturae, signa numeralia, litterae singulares sive compendiorum breviationumve notae, notae prosodicae sive apices, puncta, versuum vocabulorumque distinctio, scripturae universae et versuum singulorum collocatio et mensurae. Ea enim omnia cum ad titulorum rationem palaeographicam recte aestimandam faciant, necessario in hac sylloge tractanda erant. Sunt autem illa eius generis, ut neque facile continuam enarrationem admittant nec tamen apte in indicis formam redigi possint, qualem Ritschelius enarrationi suae palaeographicae adiecit. Syllogae enim eius, quae non omnia exempla exhibet, qua re hanc meam a Ritscheliana maxime differre supra (p. XVII XXI) expositum est, siquis indicem proponet, particulam tantum exiguam earum rerum proferet, quae ad palaeographiam epigraphicam universam noscendam spectant. Contra, id quod infra in singulorum capitum praefationibus fecimus, praeter exempla in hac sylloge proposita reliqua testimonia omnia, quotquot reperiri potuerunt, respicienda erant. Unde in eis quae sequuntur viam ingredi visum est quasi mediam inter indicem et enarrationem, ita ut primum littera-

---

1) Dixit de eis Th. Bergkius in annal. Bonnens. LV LVI 1875 p. 7; sed cf. nunc CIL IX p. 631 ss.

2) Vide Ritschelii PLME enarr. p. 40 47 77, opusc. IV p. 340.

rum singularum formae ex alphabeti ordine enumerentur et illustrentur, deinde reliqua quae huc pertinent eo fere, quem modo supra indicavi, ordine adiciantur.

Potueram relicto ordine alphabetico litteras, quarum formae cognationis vinculo quodam artiore coniunctae sunt, B et R, C et G, E et F, I et L, M et N una tractare; sed legentium commoditati magis visum est consultum esse, si ordinem alphabeticum in indicibus consuetum sequerer.

De titulorum christianorum scriptura plene agere nolui eis de causis, quas supra (p. XXI et infra p. 237) exposui. Quaedam tamen inde delibare visum est in singularum litterarum recensu, in quibus secutus sum, ut par est, ea quae Rossius de titulis urbanis, Le Blant de Gallicis (*Manuel d'épigraphie chrétienne* p. 41 s.), ipse de Hispanis (Inscr. Hisp. christ. praef. p. XIII indices p. 116) et Britannicis (Inscr. Brit. christ. praef. p. XIX indices p. 98) adnotavimus.

I.

FORMAE LITTERARVM

De litterarum formis universis haec praemittenda sunt vel potius addenda eis, quae supra e scalpendi artificio et ex materiae monumentorum actorumque indole iam derivavimus (p. XXXIII ss.).

Scriptura monumentalis propria tam in lapide sculpta quam in aere incisa cum ad regulam facta esse soleat, elementa quoque singula litterarum habet rectilinea, cornua non magna, formam in universum quadratam, aequabilem, siccam. Aetatum discrimina posita sunt in profunditate incisionis, in gracilitate formarum, in cura universa, quam impenderunt quadratarii.

Scriptura actuaria cum semper aliqua ratione calami libertatem imitetur, ita etiam mutationes subiit maiores in universo litterarum habitu singulisque earum formis. Exiguo eius modulo adiuvante particulae quaedam litterarum, lineae obliquae litterarum A M N, lineolae transversae A E F H I T curvatae, caudae L Q R longius extensae, B contra et R litterarum capita minora facta sunt. Omnis denique scriptura epigraphica a quarto fere saeculo exeunte huic actuariae similis evasit.

Scriptura vulgaris lapidaria, quam dixi, in universum quidem unius cuiusque aetatis proprietates sequitur, i. e. saeculo primo lata est et profunda, aetate procedente magis gracilis et fugitiva, sed nonnullas et ipsa formas singulares (ut A II I' G K) semper fere adhibuit atque quatenus sinebant materiae indoles opificiique festinatio necessitudinem vetustam et ingenitam cum scriptura proprie cursiva servavit.

De universa scripturae titulorum actorumve indole iudicandum esse non ex singularum litterarum formis, sed ex omnium, deinde ex earundem magnitudine collocatione aequabilitate, e versuum dispositione, ex interpunctione reliquisque proprietatibus per se quidem patet, sed saepe neglegitur.

Haec tenenda sunt in diiudicandis singularum litterarum differentiis et vicissitudinibus, ad quas enarrandas nunc progredimur.

In litterarum proprietatibus describendis difficultatem e re ipsa et e vocabulorum propriorum inopia ortam ita studuimus vincere, ut capita et pedes, dextram laevamque ab intuente partem, versus, hastas lineas cornua (quae Ritschelio sunt 'extremitates litterarum partim sinuatae partim angulatae cacuminataeque et tanquam securiclatae' opusc. IV p. 511) reliqua eius generis adhiberemus eadem constanter significatione. Ita perspicuitati putavimus consultum esse, quam crebra praeterea exempla desumpta ex imaginibus infra propositis adiuvabunt.

1. A

Iam liberae rei publicae temporibus e Graecae litterae forma archetypa tres potissimum derivatae sunt varietates primariae (v. Ritschelii opusc. IV p. 702 ss. 709 713), iuxta quas secundariae praeterea enatae sunt multiplices quidem, sed, ut ubique observabimus in hisce litterarum transformationibus, ad formam simplicem vetustam omnes referendae certa lege immutatam. Primariae varietates sunt A linea transversa recta et continua, Λ linea transversa carens, A linea transversa soluta. Atque hae tres formae in universum propriae sunt prima scripturae monumentali, altera actuariae, tertia vulgari. Varietates secundariae tam hic quam in reliquis litteris ad certa scripturae genera referri nequeunt.

In A monumentali propria linea transversa recta et continua aetate optima mediam litterae altitudinem secat, inferiore solet paullo altius posita esse. Specimina praebent cuiusvis aetatis exempla supra proposita. Discrimen faciunt cornua in capite aut nulla omnino, ut in titulis antiquioribus, aut magis minusve expressa (ut in n. 194), quae cum universo hoc cornuum ubique expressorum artificio a saeculo fere altero ineunte frequentiora fiunt, aut sinistrorsum tantum extensa (ut in n. 252 331 341 al.). Sunt autem discrimina illa non aetatis, sed artificii, neque constanter observantur ne in eisdem quidem titulis; utramque formam, et cornibus superioribus carentem et cornuatam sinistrorsum Hadriani titulus Puteolanus habet (n. 337). Raro tantum cornu dextrorsum vertitur, ut in titulo Germanico saeculi alterius (n. 400). Singularis formae est cornu sinistrorsum versum in titulo magno urbano a. circiter 460 (n. 727). Peculiare etiam est A litterae cornu duplex similiaque reliquarum litterarum in titulo urbano *columnae Antoninianae* (n. 294): cum litterae ex aere incrustatae essent, forma earum non integra servata est (v. supra p. XXXIII). Graecae vero, non Latinae consuetudinis videtur esse cornu in capite litterae duplex, ortum e duabus lineis obliquis supra angulum extensis Ⱥ (cf. Ritschelii opusc. IV p. 707 *A*); forma haec in titulis Rhodiensibus Graecis saeculi alterius exeuntis observata est (G. Hirschfeld *Zeitschr. für die österreich. Gymnasien* a. 1882 p. 172). Sed inde fere ab aetate Diocletiani cornua superiora interdum in lineam unam rectam diriguntur (ut etiam in M et N litteris) Ā (v. n. 552 593 595); nam quod eadem forma iam extat in titulis quibusdam Britannicis saeculi secundi fere exeuntis (n. 420 1186), id rusticitati potius tribuendum est. Similiter explicandum, quod semel, quantum scio, A littera H potius formam habere dicitur in titulo Africano, quem non vidi (CIL VIII 6213).

Formae ut ita dicam normalis exempla Germanica tabula Munierii prima componit.

E pingendi deinde libertate A litterae forma has potissimum mutationes perpessa est. In scriptura picta tenui hastarum obliquarum altera, secunda potissimum sive dextra, sinistrorsum supra angulum extenditur ƛ (ut in n. 9 46 47 48 58 59 60 65 74 79 90 98 99 102 105 115 135 151 152 160 167 185 et inde a saeculo altero frequenter). Aetate labente cornu superius curvatur ƛ (ut in titulo Africano n. 327 CIL VIII 8491) una cum M littera similiter formata. Inde interdum similitudo oritur R et A litterarum, quam observavit Marinius (Arv. p. XXXIX 681; vide etiam infra n. 484). In titulo Hispano aliquo in formula voti R fortasse pro A posita est (CIL II 1112).

Raro in eadem scriptura picta prior hasta obliqua supra angulum extenditur dextrorsum Ʌ; exempla eius formae, quae fortasse casui magis quam consilio originem debent, observavi in titulis nonnullis Pompeianis (infra n. 121—125). Ibi in scripturae quodam genere gracili etiam illud observatur, quod modo e Graeca scriptura enotavimus, in capite litterae cornua duo tenuia iuxta effingi Ⱥ (infra n. 11).

In scriptura picta Hispana potissimum et Africana hasta obliqua prior interdum infra versum extenditur sinistrorsum A (infra n. 438 440 461

678, ubi cum C praecedente coalescit, 699 1106; adde CIL VIII 1140): saeculi alterius et tertii tituli aliquot Cordubenses specimina eius formae praebent conspicua (CIL II 2195 Ephem. epigr. III p. 36 n. 15 a. 238). Raro hasta altera dextrorsum infra versum extensa reperitur A (ut in titulo Africano saeculi primi fere medii CIL VIII 7986). Eadem forma in scriptura actorum inde a saeculo altero observatur interdum, ut in tabula Veleiate (infra n. 804).

Quando hasta prior sinistra cum linea transversa coalescit, quod casu interdum accidit, ut in scriptura angulata tituli alicuius urbani λ (CIL VI 12233), deinde celeritate exarandi saepius factum est, oritur A forma scripturae unciali propria titulorum christianorum et Africanorum infimae aetatis (ut infra n. 796 1146 1147 1150 1151 1152 CIL VIII 992 saeculi sexti). Iuxta communem haec A forma extat in titulo christiano urbano a. 447 (Rossi inscr. urb. christ. I p. 323 n. 741). Scriptura vero elegantissima uncialis hanc A litterae formam servat (infra n. 1148).

In scriptura potissimum actuaria linea transversa, quae non raro prorsus omittitur, interdum oblique collocata est sive dextrorsum A sive sinistrorsum A; ambae hae formae v. c. in tabula Veleiate observantur (n. 804). Sed etiam in scriptura monumentali inde a saeculo fere altero medio haec forma A non admodum rara est; vide titulos Hispanum aetatis Pii (n. 444), Africanum a. 253 (n. 686; adde CIL VIII 5146), urbanos a. 287 (n. 512) et 375 (n. 715), Pannonicum a. 349 (n. 772).

Aliae oriuntur varietates, si linea transversa ultra hastas extenditur. Utrimque extensa est A in picto scribendi genere titulorum Africanorum a. 198 254 260 (n. 677 687 688 cf. CIL VIII 763 896 2236 saeculorum item tertii quartique). Sinistrorsum producta est A fortasse casu in scriptura paene cursiva tituli Africani aetatis Neronianae iuxta formas rotundatas A (n. 234) et in saeculi alterius quibusdam Africanis (n. 460) et tertii (n. 692); item in aere Tolentinate (n. 910); dextrorsum ita, ut ab hasta sinistra divideretur A, in aetatis Commodianae titulo urbano (n. 301), in Africano a. c. 180 (n 1107), in tabulis patronatus saeculi quarti (n. 881 883) et in titulis christianis item Africanis saeculi V eleganter scriptis (ut CIL VIII 791). A plerumque scribitur in edicto Diocletiani (n. 1097).

Denique linea transversa interdum non recta est, sed rupta sive angulata A. Iam liberae reipublicae aetate forma illa in nummis interdum et in titulis adhibita est (v. Ritschelii opusc. IV p. 363 386 703), in titulis Graecis inde fere a saeculo altero a. C. medio (v. Guil. Dittenberger *archaeol. Zeitung* a. 1876 p. 139), in Aegypto inde a saeculo tertio medio (G. Hirschfeld *Zeitschr. für die österr. Gymnasien* a. 1882 p. 168 s.). Extat deinde in scriptura vulgari saeculi alterius, ut in massis marmoris (infra n. 1160), in aris urbanis Silvani (infra n. 1157 iuxta A) et Victoriae a. 226 (CIL VI 267), in titulo sepulcrali suburbano saeculi tertii exeuntis (infra n. 541), in Africano a. 255 (CIL VIII 9041). Sed exempla haec vetustiora rara sunt. Frequentior fit forma illa inde a saeculo quarto exeunte, ubi eam habent tituli urbani (n. 711 739 ita A n. 716 749; in his duobus etiam A forma simplex iuxta usurpata est), Praenestinus a. 386, ubi tamen praescriptio tantum litteris maioribus exarata ea utitur (n. 755), Sulmonensis (CIL IX 3136), Africani (n. 790 792; quibus adde CIL VIII 758 870). Quinto deinde saeculo urbani frequentiores ea utuntur a. 402 (n. 744) a. 410 (n. 746 in quo titulo, qui est Claudiani poetae, Graecae fortasse elegantiae cornua duo superiora debentur, v. infra p. 3 dicta de apicibus litterarum Graecarum) a. 425 (n. 724) a. 443 (n. 723), Puteolanus (CIL X 3344), Salonitanus a. 425 (n. 773), Africani (CIL VIII 2013 9286). In Africa sexto potissimum saeculo usurpabatur (n. 794 795 CIL VIII 949 1434 4354), ita interdum exornata A (n. 795) et A saeculo septimo (CIL VIII 2389) sive A (CIL VIII 2521). Ceterum A forma interdum aut casu videtur orta esse (ut infra n. 1156 1159*d*) aut ex instauratione novicia, ut fortasse in titulo Gallico (CIL XII 2851) saeculi, ut videtur, primi, qua aetate forma illa minus solita erat.

In titulis christianis Gallicis Britannicis Hispanis forma haec sollemnis est; in Hispanis interdum promiscue adhibetur cum A (Inscr. Hisp. christ. n. 33 a. 578).

Rara est linea transversa ita sursum rupta A; quam formam bis exhibitam videmus in titulo urbano a. 414 (n. 721) iuxta A simplicem. Similis aliqua ratione eius est A forma casu fortasse extans in miliario suburbano saeculi quarti ineuntis (infra n. 701) male omnino scripto.

Λ linea transversa carens e neglegentia quadam scribendi orta esse putanda est scripturae vulgari et paene cursivae propria, cuius multa extant testimonia, veluti in titulis urbanis (CIL VI 2163 al.), ex Sena Gallica (CIL I 1043), in sepulcralibus in Graecia et in Oriente repertis (ut CIL III 558 Ephem. epigr. V p. 76 n. 208), in Hispanis (CIL II 1112 1131 al.). Tamen etiam in actorum scriptura minuscula ut libera iam rei publicae aetate in legum tabulis magnis, ita imperatoria quoque usurpata est frequenter, ut in *lege Tappula* (n. 803), in legibus Hispanis (n. 804—809), in tessera a. 74 (n. 1199), in adlocutione Hadriani Lambaesitana (n. 1104). Instrumenta sane aetatis imperatoriae accurate scripta (ut n. 799—802 804 810—812) et diplomata militaria (n. 813 ss. paucis, ut n. 819 a. 71 n. 835 a. 113 n. 836 a. 116 n. 848 a. 154, exceptis) lineam transversam paene constanter conservant. Nam casu tantum accidit vel incuria quadratarii, quod hic illic illa omissa est, ut semel in praescriptione tabulae Veleiatis (infra n. 804), in miliario imperatoris Iuliani Beneventano (infra n. 759). Saepius forma illa observatur in scripturae sive vulgaris sive pictae exemplis urbanis (infra n. 1129 1167 1188), in Misenensi (n. 1177), constanter in musei Parisini titulo sepulcrali *Clementis* alicuius *Caesaris n(ostri) s(ervi)* alioquin accurate scripto (nescio num editus sit), in titulis Gallicis et Germanicis saeculi alterius et tertii (infra n. 1179 1180 1181; Bramb. 569), in eiusdem aetatis Hispanis (ut n. 1187) et Africanis (n. 1108 1109). Contra deest saepius in actis *Arvalium* ab a. fere 62 ad a. 170 (infra n. 992 993 994 1003 1012 1013 1016), in titulo Ostiensi *Gamalae* (n. 1080), denique in christianis neglegenter scriptis (ut n. 1171). Deinde deest linea transversalis in scriptura picta tenui, de qua statim dicetur, ubi vix locus ei relictus est; ut in titulo Puteolano (infra n. 340), in Hispanis nonnullis (infra n. 228 aetatis Claudiae, si modo re vera eius est, n. 1191 saeculi tertii et in CIL II 1163 1378) et Africanis (infra n. 462; CIL VIII 774 aliis).

X lineis obliquis ambabus supra angulum extensis, ita ut X litterae similis fiat, a Marinio observata in titulo *Silvani silvestris* (Arv. p. 513) et semel in actis Arvalium casui magis quam consilio videtur tribuenda esse. Ego nullum certum exemplum eius vidi.

A vel A linea transversa soluta ut vetusta aetate (de qua vide Ritschelii opusc. IV p. 703) ita etiam imperatoria vulgari potissimum scripturae propria fuit (v. Zangemeisteri alphabeta I 3 II 5 III 1 IV 2 3 5). Habent eam acta *Arvalium* aetatis Claudiae (infra n. 987), bases urbanae parvae saeculi alterius et tertii (infra n. 1156 1172 CIL VI 596 a. 161, CIL VI 8420 a. 183, CIL VI 77 saeculi tertii), sed etiam tituli sepulcrales iam primo saeculo (ut *Tiberii Claudii Primi* ille *cullibertai suai* positus CIL VI 15223) et recentiores (infra n. 1165 1169 CIL VI 2319 11966 12645 12646 12729 al.), deinde inscriptiones Italicae praeter vetustam (CIL V 4010 = CIL I 1434) multae inde potissimum a saeculo altero incipiente (ut n. 1137 1173; CIL X 396 CIL V 7110), Gallicae (CIL XII 670 una cum forma solita A 2358 ubi haec forma A adnotatur), Attica saeculi alterius extremi (n. 371), Hispanae (CIL II 1127 1607 1652 1982 3258 3690 3777 3994 4047), Africanae (ut CIL VIII 8116). Lapicidarum notae celeri scalpro factae multa eius praebent specimina, ut Germanicae (infra n. 1182 1184), Parisinae musei Cluniacensis ex amphitheatro, item miliaria incuriose sculpta, ut Castronovanum a. 270 (n. 544), terminus Hispanus (CIL II 5065 in quo haec forma est A), Lactoratensis aetatis Gordiani (n. 607 ubi ita formatur A). Interdum etiam in scriptura elegantiore A est adhibita iuxta Λ, ut in titulo Falerionensi saeculi tertii medii (n. 551).

A similis ei, quam ex cistae Ficoronianae titulo Ritschelius enotavit (opusc. IV p. 720), redit in titulo Gallico semibarbaro (n. 20).

In scriptura parva actuariae simili in forma A litterae curvata linea transversa interdum solvitur, ut in tabella aenea e Gallia proveniente (n. 899).

Hae principales sunt litterae A varietates adhuc observatae.

2. B

B litterae forma pendet a modulo partium curvarum duarum; quarum si superior multo aut minor est quam inferior aut maior, indoles litterae mutatur. Tamen scriptura monumentalis in universum formam eius non multum variavit, si exceperis calendariorum formam artificiose in latitudinem extensam (ut in n. 971 976).

In scriptura picta pars superior sensim minuitur (cf. n. 1188), ut D litterae cum hasta recta longiore similis fiat; quae forma titulis graphio scriptis et scariphatis multis propria est, ut docent Zangemeisteri alphabeta (CIL IV tab. I). Exemplum eius generis, ubi VIBIA visum est VIDIA esse, memoravi infra (p. 118; est CIL V 7171). In hac forma linea curvata interdum ab hasta omnino soluta est ᒷ (ut in Zangemeisteri alphabeto IV 8): in vasculis Procolitiae in Britannia repertis haec est ᒷ (Ephem. epigr. III p. 317 n. 197 198). In unciali scriptura cochlearis argentei Smyrnaei angulis duplicibus ornata est (supra p. XXXVIII). Similis est forma in arula urbana saeculi fortasse primi exeuntis (infra n. 1153) et in carmine sepulcrali musei Neapolitani (n. 1137). Si curva superior deest, B littera D simillima fit; ita D pro B positum adnotavit Marinius in cippo sepulcrali moduli minimi urbano *Q. Iulii Celsi* pueri XII annorum (Arv. p. 130 IN 7030). Eadem forma palaeographis nota erat ex titulis *pupi Torquatiani* (n. 1169) et ex *Q. Terentii Prisciani* Fabrettiano (p. 235, 619), atque praeterea non raro observatur in titulis scriptura vel picta vel vulgari vel paene vulgari exaratis (infra n. 1155 1167), saepe una cum A et G formis. Non pauci titulorum illorum saeculi primi sunt, v. c. aetatis Claudiae (infra n. 1188 et CIL VI 9571) Neronisve (CIL VI 6625) supparisve aetatis (CIL VI 9074 10006 10014 10227 10781 11687 12086 12194 12711 15859 19574 alii, ut *Valeriae Mercurialis* in villa Albania Visconti p. 301, 197); aliquot uncialis scripturae formas (ᕲ Є ꟼ) habent (CIL VI 15185 17041). E reliquis regionibus enotavi haec saeculi secundi tertiive exempla Puteolana (CIL X 2936 2936*a*), Misenense (CIL X 3533), Cumanum (CIL X 3702), ex insula Pandateria saeculi, ut videtur, tertii (CIL X 6785). In eiusdem fere aetatis titulo Theveste in Africa reperto Q inversae (Ꝺ) teste Wilmannsio similis est; ectypum non habui (CIL VIII 2211). Interdum forma illa adhibita est in Hadriani adlocutione Lambaesitana (infra n. 1104 adnot.). In scriptura unciali ad recentissimam usque aetatem in usu mansit (v. infra n. 1147 1150; CIL VIII 9286 a. 495). In titulis christianis Britannicis quater a me observata est (Inscr. Brit. christ. p. 98).

Raro neglegentia quadratarii linea curva B litterae aut superior aut inferior aperta mansit, ita ut forma K vel R litterae non absimilis evaderet (ut Marinius iam observavit Arv. p. 409*b* 681). Ita in ara *Solis Mithrae* musei Vaticani RALONIVS nomen pro BALONIVS scriptum est (CIL VI 741), OR pro OB in titulo sepulcrali urbano (CIL VI 10332).

Etiam H litterae B interdum similis est; ita CLAHARVS pro *clabarius* legitur in titulo rustice scripto saeculi fere quarti urbano (CIL VI 9259).

Forma B litterae angulata B, quam in plumbo interdum videmus propter materiae mollitiem casu ortam, tituli aliquot infimae aetatis Africani habent curiose sculpti, ut Thamugadensis a. 647 (CIL VIII 2389; litterae altae sunt 0,070).

Raro et incuria tantum quadratarii lineae curvae duae non apte coniunguntur: B, quae forma in titulo urbano (infra n. 1157), in Gallico apud Viducasses reperto (aram Thoriniacensem dico a. 238 infra n. 603), in Germanicis quibusdam (ut Bramb. 1057; v. Munierii tabulam XI 10), in tegula Arretina (*Bullett. dell' instit.* a. 1879 p. 166), in *massa plumbi* Britannica a. 59 (n. 1209) observata est.

B altior quam reliquae litterae est in titulo urbano saeculi tertii (infra n. 499 in vocabulo ANNALIB); consuetudo vero illa litteras nonnullas altiores faciendi alioquin ad B non videtur pervenisse.

ꞗ forma hasta supra et infra eminente cum reliquis similibus (E F P R) frequens est in titulis christianis saeculi quinti sextique in Gallia et in Germania repertis (Le Blant *manuel* p. 41).

3. C

C littera quanquam in universum satis constanter scribitur, tamen in minoribus quibusdam rebus, veluti in forma cornuum superioris et inferioris, in latitudine circuli, aliis, variatur. Una cum reliquis litteris rotundis (O G) paene quadrata est aetate vetustiore, i. e. usque ad saeculum alterum fere medium; deinde gracilior fingi solet. Exempla perfecta praebent v. c. tituli Pompeiani (n. 113 114 137 149) aliique multi. Titulorum Germanicorum aliquot composuit Munierius (tab. II). Inde ab aetate Augusti interdum altior fingitur quam ea quae sequitur littera eamque quasi circumdat, praesertim initio versus. Ita ante A E O V maior C scripta est in titulis Gallicis (ut infra n. 190) et Hispanis a. 748/53 et a. 15 (n. 214 220), in Pompeiano a. 23 (n. 127), deinde in Africanis potissimum et Hispanis pictis saeculi alterius (n. 440 457 458 1105; CIL VIII 1140) tertiique (n. 660 662 663 684 699; CIL VIII 9666 aliis) et in Britannicis (ut n. 651) atque etiam in Arelatensi saeculi quarti (n. 775). Interdum etiam in fine versus propter spatii inopiam ut aliae litterae ita O potissimum post C minor ficta ab hac quasi includitur (n. 180 254), item N (n. 62); rarius eandem ob causam ipsa C minore facta est modulo (ut n. 592). Idem etiam in actorum scriptura observatur: e. c. in tabula patronatus a. 27 (n. 867), in tabula Malacitana (n. 808), in Veleiate (n. 804), in diplomate a. 107 (n. 833), in *Appii Caeci* elogio Arretino (n. 967), aliis. In picta scriptura illa, qualis saeculo altero tertioque obtinuit in Hispania potissimum et in Africa, C litterae cornu superius in caudae curvatae longitudinem extenditur (ut in CIL II 1469 2195 V 7171 de quo titulo dixi infra p. 118). Interdum cum A caudata, quae sequitur, in unum quasi coaluit (CIL II 2195); rarius cum O minore insequenti ita iuncta est ϵ, ut in titulo Africano a. 255 (CIL VIII 9041); quod iam ad nexus litterarum pertinet. Vix unquam observata est forma rectiangula ⊏; in titulo quodam ex Gallia Narbonensi saeculi primi fortasse orta est una cum A (ut supra observavi p. LIV) ex instauratione novicia (CIL XII 2851). In titulis Gallicis saeculi sexti et septimi (Le Blant *manuel* p. 41), item in Hispanis (Inscr. Hisp. christ. n. 147) et Britannicis (Inscr. Brit. christ. p. 98) observata est. Cornu inferius solet deesse in scriptura picta (ut in n. 135 430 431 438 439 455 1187 cet.) et actuaria (ut in n. 238 798 800—809 811 813 ss. 867 868 870 ss. 948 ss.). Ea sola scripturae pictae forma, quae penicilli ductus imitatur, cornu inferius sive pedem lineola crassa vel puncto indicat (ut n. 365 1189 1192; vide Zangemeisteri alphabetum II 1). In scriptura cursiva cornua ambo desunt.

Neglegenter interdum C similiter atque G scripta est (ut infra n. 805 1169).

4. D

In D littera latitudo tantum cum altitudine comparata differt; in monumentis vetustioribus littera paene quadrata est. In epistylio magno Avittensi ex Africa a. 137 (CIL VIII 799, cuius ectypum habui non satis bene factum) altitudo latitudinem vix superat (0,195 × 0,180 et 0,170 × 0,170). Exempla optima praebent tituli Pompeiani (n. 113 138) et Taurinensis (n. 172). In scriptura vetustiore cornua interdum desunt; unde O litterae similior fit, ut in titulo Pompeiano saeculi primi (n. 109).

In scriptura picta actuaria cursiva linea curva in caudam sinistrorsum extenditur: Ꝺ, ut in titulo urbano (CIL VI 300), in Puteolano (infra n. 1174), in Italicensi (CIL II 1146), in Africano (n. 1193) saeculi fere tertii. Similiter etiam in christianis quibusdam Africanis saeculorum quinti et sexti formatur (ut infra n. 796; in Tipasensi CIL VIII 9286 et in Thibursicensi Iustini et Sofiae CIL VIII 1434). Inde interdum D ab O angulata aevi recentioris potissimum vix distinguitur, ut in titulo Albensi (CIL IX 3947), propterea quod in scriptura illa D quoque ut O in parte superiore dextra crassior fingi solet (ut in n. 139 365 1188 1189). Ita illud quoque explico, quod D in titulis quibusdam Africanis inverse ita ɑ scripta est, ut in Thevestino, cuius ectypum habui, barbare omnino et concepto et exarato (CIL VIII 2182); item in Arsacalitano teste Wilmannsio (CIL VIII 6213). Eadem forma in titulis christianis Africanis saeculi quinti sextive observata est, ut in Sitifensi (CIL VIII 8635).

Proxima ab his uncialis forma d ꝺ est, quae raro iam invenitur in titulis saeculi alterius tertiive, veluti in sepulcralibus urbanis, qui paene uncialibus litteris scripti sunt, ut supra (p. XXXVIII) observavimus (CIL VI 12086 15185); deinde in titulo illo ex insula Pandateria, qui eius fere aetatis esse creditur (CIL X 6785), in sepulcrali Virunensi, in quo sola d·m formula scripta est litteris uncialibus (CIL III 4910), item in reliquis uncialibus (infra n. 1146 1148 1149 1151 1152). Paullo frequentior forma illa est in titulis christianis urbanis, ut in annorum 296 (Rossi inscr. urb. christ. I p. 26, 21) et 307 (ibid. p. 30, 29), item in Hispanis Gallicis Britannicis; in Hispanis numerus potissimum ita scribitur.

Ð ut nota numeralis est, ita in titulis Gallicis et Germanicis sonum D litterae peculiarem eius linguae putatur indicare similiter atque ϴ Graecum (v. infra n. 35 1101); Ð eius unum infra exhibui exemplum Germanicae originis (n. 941; cf. Bramb. 1317 al.).

In titulis christianis D vergit ad formam supra acutam, paene triangularem Δ: in Gallicis haec forma saeculis quinto ad septimum frequens est atque in Hispanis quoque non raro extat.

5. E

In E littera notum est aetate optima lineas transversas tres parallelas fuisse semper parilisque vel paene parilis longitudinis. Exempla quaedam perfecta praebent tituli Pompeiani Herculanenses Taurinenses (infra n. 112 113 114 149 172 al.); aequales et longissimae sunt lineae transversae in *calendariis* quibusdam (infra n. 971 976). Noviciam formam, in qua media transversa in E et F litteris multo quam reliquae duae brevior fingitur, observata est a Rud. Lanciani in pavimento tessellato urbano (*Bullett. municipale* a. 1872 p. 18 tab. I 2); similem, linea transversa admodum brevi, vidi in ara Alateiviae Bonnensi (Bramb. 197); cf. etiam titulus Veronensis aetatis Augustae (infra n. 156). Etiam exempla E et F litterarum e titulis Germanicis petita apud Munierium (tab. III) lineam transversam mediam non raro paulo breviorem habent, quam reliquas, sed tamen nunquam ad formae noviciae brevitatem deminutam (v. eiusdem *die Paläographie als Wissenschaft* p. 23). Titulus Lambaesitanus 'aetatis infimae' hanc habet formam Ɛ (CIL VIII 2521).

In scriptura picta notum est lineas transversas leniter curvatas sursum directas esse et saepe brevissimas; unde E litterae cum F L I T frequens commutatio orta est a Marinio Ritschelio (opusc. IV p. 708) aliisque saepe observata. Satis vetustum eius exemplum praebet, si vere aetatis Tiberianae est, ut profitetur, titulus Africanus *Romae et Ti. Caesari Augusto* sacer (CIL VIII 685): nisi forte opificio provinciali scripturae forma tribuenda est, putaverim titulum restitutum esse saeculo tertio. Ea enim aetate formae illae E F L I T litterarum paene sollemnes sunt (v. infra n. 472 669 al.).

Variatur deinde ut in reliquis litteris secundum scripturae indolem universam inter formas latas crassasque, qualem vidi v. c. in titulo Mogontiacensi militis saeculo primo tribuendo (Bramb. 1228), altioresque et graciliores, quae frequentissimae sunt.

Diversa E et F litterae forma, altera vetustior cornibus paene carens, altera recentior cornibus angulatis ornata probat fragmentum epistylii Brixianum litteris magnis scriptum constare e particulis duabus male coniunctis (CIL V 4806).

Quod e contrario interdum etiam deorsum directae sunt lineae illae transversae (ꜰ), id quod in liberae rei publicae monumentis aliquot accidit (v. Ritschelii opusc. IV p. 716 s.), eius ego nullum certum vidi exemplum in titulis aetatis imperatoriae.

⊧ et ⊨ hasta supra et infra prominente in titulis christianis Gallicis a saeculo quinto, sed etiam in Hispanis nonnullis saeculi sexti inveniuntur (Inscr. Hisp. christ. n. 155 a. 587).

Formae solutae II et I', non urbanae fortasse sive originis sive consuetudinis (Ritschl opusc. IV p. 388), aetate imperatoria in omnibus fere regionibus quanquam non admodum frequentes, sed tamen usitatae erant. Exempla vetustiora composuit Ritschelius (opusc. IV p. 360); in titulis Italiae inferioris potissimum vetustis satis frequens est (in CIL IX exempla XVI, in X adeo XXXVIII enumerantur). Reperitur praeterea potissimum in scriptura lapidaria vulgari; sed etiam in basi *Silvani* urbana saeculi fere secundi accurate sculpta (CIL VI 618) et in multis titulis sepulcralibus (ut *L. Seii Pilerotis* in museo Vaticano servato), item in Gallicis (infra n. 20 609 a. 280 1179; adde CIL XII 319 1024 al.), Germanicis (infra n. 637 a. 275 1180), Hispanis (n. 40 1187). Exempla Africana (XXIII) enumerata sunt in indice voluminis (CIL VIII p. 1108). Ortae videntur formae illae esse (id quod Ritschelius se explicare posse desperabat, opusc. IV p. 719), I' pro F fortasse ante II pro E, e scribendi ratione compendiosa, qua linea transversa una pro duabus tribusve, eaque non transverse sed oblique primum (I'), deinde aequo ab hasta primaria spatio (I') apponebatur; formas illas re vera in usu fuisse pro F littera infra videbimus. Quam Zangemeisterus proposuit formarum illarum explicationem (CIL IV p. 267 in indice) minus probabilem puto.

E lunata, ϵ, quam inde a saeculo altero exeunte tertiove interdum in usu fuisse iam Lupi observavit (epitaph. Severae mart. p. 151 ss.), fortasse iam antiquior est: nam titulus sepulcralis urbanus *A. Postumii Postumiae lib(erti) Heraclidae rogatoris* a me visus in museo Neapolitano, in quo forma illa quinquies legitur, saeculo alteri ineunti mediove videtur tribuendus esse (CIL VI 9860 cf. 9861 9862). Sed Graecam sequitur consuetudinem, ut alter urbanus item paullo recentior (CIL VI 11691). Exempla vero illa vetustiora rarissima sunt. Redit deinde forma eadem in titulis litteris vulgaribus (veluti in Florentino *Victoriae* infra n. 1173) uncialibusque scriptis una cum ᕲ b d formis eiusdem generis (v. infra n. 1146 1147 1148). Africani quidem tituli litteris minutis vulgaribus scripti eam habent (CIL VIII 9005 cf. 9006 9007 9010); deinde addita extat in fine modulo minore in titulo taurobolii urbano (n. 518). Postremo in christianis titulis aetatis infimae, veluti in bilingui Syracusano saeculi quarti quintive (CIL X 7125), in Concordiensi (infra n. 765), in Africanis saeculi sexti (infra n. 796; CIL VIII 4354) conspicitur; frequens est in titulis christianis Gallicis Germanicis Britannicis inde a saeculo fere sexto. In cursiva scriptura titulorum graphio exaratorum formam illam non raram esse e stilo currenti explicatur (v. Zangemeisteri alphabeta I 10 11 scariphatorum); cf. etiam titulus Thevestinus (CIL VIII 182) tegularumque vasculorumque multi (ut CIL V 2780 4105 alii). Etiam in scriptura picta titulorum Pompeianorum reperitur (v. Zangemeisteri alphabeta II 5).

Casu linea transversa inferior hic illic omissa est a quadratario, ut E in F litterae formam transiret; velut in titulo Ravennate (CIL XI 1) et in Gallico saeculi tertii constanter (infra n. 607). Contra E saepius pro F positam esse infra videbimus.

Incuria tantum quadratarii linea transversa media interdum omittitur (ᴇ), ut in titulo aliquo urbano omnino neglegenter sculpto (CIL VI 15876). Inde illud etiam explico, quod E semel dicitur L litterae formam habere in titulo sepulcrali urbano saeculi secundi tertiive (CIL VI 17383). In titulo aliquo Hispano Pii E lineis transversis superiore et media videtur paene prorsus carere (infra n. 441).

Ut F, ita etiam E, sed multo rarius, initio versus altior facta est; exemplum praebet cum aliarum litterarum longarum tum E litterae eminentis titulus Ostiensis saeculi tertii (infra n. 534).

6. F

F littera easdem in universum mutationes perpessa est atque E. Exempla perfecta aetatis vetustioris hic quoque praebent tituli Pompeiani (infra n. 113 114), fragmentum musei Neapolitani (CIL X 1664), alii.

Notanda primum forma litterae perquam alta, capite parvo, ut in titulo Acerrano (infra n. 10; cf. praeterea n. 17 26 30 36 39); habent hanc formam tituli aliquot saeculi primi Mogontiacenses (Bramb. 914 1201). Deinde forma latior et crassior invaluit, donec quarto fere saeculo tenuis et alta interdum revocata est (ut infra in n. 772).

F linea transversa media brevi rara est (vide quae supra de E simili adnotavi 6. in.); saeculi quarti tantum quintique exempla quaedam eius formae novi (infra n. 719 724 735 776).

Scriptura picta et vulgaris etiam F litterae, ut E, lineas transversas sursum directas habet et curvatas; quae forma (ᶂ) iam antiquitus obtinuit (v. Ritschelii opusc. IV p. 716 s.). Contrariae cum lineis transversis deorsum vergentibus (ꟻ) in titulis aetatis imperatoriae exempla certa me vidisse non memini. Forma altera (ᶂ) in scriptura picta saeculi tertii potissimum frequens est cum similibus E I T litterarum formis (v. infra n. 478 499 537 al.); vulgaris scripturae exempla sunt tituli urbanus (infra n. 1129) et Florentinus (n. 1173). Interdum monumentali scripturae admixta est, ut in titulo Gabino musei Parisini *Bussieniae Iustae* alicuius (nescio ubi edito), in Taurinensi (CIL V 7110), in Hispanis (ut CIL II 1067), in Germanicis (Bramb. 676 1523); duravitque usque ad infimam aetatem, ut demonstrant tituli Africani saeculi quarti (veluti CIL VIII 9416) et Aquincensis saeculi quinti sextive (infra n. 1145). Denique etiam ab actorum scriptura forma haec non prorsus abest; habent eam *fasti sacerdotales* (infra n. 962) et *acta Arvalium* a. 161 et 183 (infra n. 1015 1019).

Interdum in hoc potissimum scripturae genere lineae transversae tam breves sunt, ut propter litterarum gracilitatem F E I L T saepius inter se confundantur; quod supra iam observavimus.

In scriptura picta et cursiva F litterae hasta, similiter atque B H I R T litterarum, infra versum deducitur et curvatur: ʄ. Exempla praebent scripturae vulgaris tituli urbani (infra n. 1168 1169 1174), Misenensis (n. 1176; adde CIL V 5661), Castronovanus (n. 753), Africani (n. 689 1142). Eandem formam etiam scriptura actuaria interdum habet, ut in lege Ursonensi (n. 805), in aere aliquo Britannico (n. 943), in *fastis Arvalicis* (n. 953). Denique non abest a scriptura unciali (v. infra n. 1147 1148) neque a titulorum Britannicorum christianorum infimae aetatis.

Raro inferius cornu F litterae tam latum est, ut F ab E litterae forma vix recedat. Pertinent huc vitia quaedam scripturae, de quibus supra monui (p. XLII): in pacto fiduciae EVNDO scriptum est pro FVNDO errore quadratarii (infra n. 797); similiter peccatum est sub finem decreti Puteolani (n. 1084). In titulo Bonnensi a. 205 EVRNVS EACTVS scriptum est clare pro *furnus factus* (infra n. 620). Saepius idem occurrit vitium inde a saeculo tertio exeunte (vide infra n. 516 665 738 778 781) atque frequens est in titulis Gallicis christianis saeculi quinti (v. Le Blant *manuel* p. 41).

Si lineae transversae duae altera sursum, altera deorsum vergit, quod interdum accidit, K litterae similitudo quaedam oritur; in titulo Germanico musei Mannhemiensis ter Ꝁ pro F legitur (Bramb. 1718).

Interdum linea transversa superior deest, media sursum vergit: ᚴ; eius formae exempla praebent tituli Novariensis (CIL V 6632), e Gallia Narbonensi proveniens (CIL XII 319), in quibus praeterea II forma legitur. Haec quoque forma in tegulis scriptura vulgari scariphatis extat (v. CIL V 8957 p. 1090).

Raro linea transversa media deest: Γ. In Gallia Narbonensi titulus magnus sepulcralis saeculi primi alteriusve formam illam habet (CIL XII 2894). Extat praeterea in patellis argillaceis (ut in CIL VII 1336 427 444).

In vulgaris scripturae titulo uno semel errore quadratarii puto F littera omni linea transversa carens ut I scripta est (infra n. 1165; cf. n. 1184).

Ab his formis (ᚴ Γ) prope abest Iᶦ cum II saepe coniuncta, in titulis scariphatis Pompeianis paene sollemnis (v. Zangemeisteri alphabeta IV 4—10), aliquanto tamen, fortasse casu, minus quam illa frequens. Praeter titulos in calce sive in argilla scariphatos (veluti in vasculo Atestino CIL V 2780, in tegula Cremonensi CIL V 4105), in monumentali scriptura rarius legitur, ut in titulis Italicis (CIL IX exempla habet duo, X quinque; adde CIL V 2096 3029), in Gallicis et Hispanis satis vetustis (infra n. 2031 et CIL II 3689), in Africanis (index CIL VIII p. 1108 tria exempla habet). Ab hac forma paullum differunt vulgaris scripturae hae: ᚴ (CIL X 4410), ᚴ (CIL IX 7874), ᚴ in titulo urbano deae Syriae (Ephem. epigr. IV p. 300 n. 873) et in Hispano (infra n. 1187), Iᶜ in sepulcralibus urbanis (ut infra n. 1163), in vasculis Novaesiensibus (Annal. Bonnens. LIII a. 1873 p. 310), in titulo Nasiensi musei Sangermanensis, aliis.

Forma minuscula novicia f in titulis non videtur extare; semel eam observavi in titulo Britannico christiano satis recenti (Inscr. Brit. christ. n. 35).

De ꟻ inversa pro *filia* usurpata vide quae de compendiis scripturae infra adnotata sunt.

Cum T et P etiam F littera saepius eminet supra reliquas litteras, praesertim initio versuum. Exempla inde fere a saeculo altero medio observata sunt tam in urbe et in Italia (v. infra n. 321 340; CIL V 3171), quam in provinciis (v. n. 400 438 462 1092). Frequentiora fiunt inde a saeculo tertio Romae (infra n. 480 495 498), in Hispania et in Africa (n. 664 683 684 698); deinde quarto Romae (n. 518 in subscriptione ex parte litteris uncialibus scripta, n. 717 719), et in Britannia (n. 780); quinto item in titulis aliquot urbanis (ut n. 735 748). Denique etiam in scriptura actorum iam inde a Neronis aetate forma haec altior interdum adhibita est in *diplomatis militaribus* (n. 814 823 840 846), item in *actis Arvalibus* a. c. 100 (n. 1004), in adlocutione Hadriani Lambaesitana (n. 1104); item in picta gracili (ut in n. 1193).

7. G

Notum est G litteram Latinam ortam esse ex Gamma rotundo sive lunato alphabeti Graeci Chalcidicensis ita, ut linea appicta a C tenui distingueretur. Unde primum eas perpessa est variationes universas, quas in C littera observavimus. Vetustiore aetate paene quadrata est aut circulum integrum aequat. Pisis in Campo sancto fragmentum vidi tituli magni alicuius has litteras solas tres habens G · PI, fortasse imperatoris Pii; ibi mensuras sumere potui invenique G litteram altam et latam esse 0,240. Exempla G litterae similiter formatae non enumero; prorsus ut C littera aetate inferiore magis gracilis fit. Varietas formarum G litterae in linea recta ei appicta sita est; inde tres formae primariae distinguuntur.

G. In scriptura vetustiore monumentali linea illa recta est, ex pede C litterae angulo recto sursum surgens, non infra versum dependens, capite vix ullo; longior in titulis vetustioribus (quos infra enumero), in recentioribus brevior (ut docebunt exempla haec infra collecta n. 375 402 434 454 567 606 675 702). Saeculi primi exempla formam hanc habent paene omnia (v. n. 1 8 16 17 39 41 49 50 52 54 55 59 60 64 70 71 75 77). Splendida inprimis eius specimina praebent monumenta aetatis Augustae Pompeiana et Herculanensia (n. 107 110 113 115 117 118 119 133 145 146 147 148 150 151 152); vix minus bona aliarum Italiae regionum tituli (ut n. 153 160 166 167 176 177 178 179) et provinciarum (n. 188 189 190 194 196 197). Sed etiam saeculo primo medio et exeunte, item secundo ineunte frequentia sunt in titulis urbanis (n. 78 81 86 92 95 96 99 242 245 246 249 250 258 260 273) et suburbanis (veluti n. 101 cf. CIL XIV 329, n. 102 103), in Pompeianis et Herculanensibus (n. 134 137 138) reliquarumque regionum Italiae (n. 180 181 182 183) et provinciarum (n. 198 200 201 209—212 214 215 216 218—221 223—227 311 312 325 331 336—339 341 362 364 366 369 382 387), in Taurinensibus (ut in titulis *Glitii Agricolae* CIL V 6979), in Germanicis (n. 394—397) et Britannicis (n. 416 418), Hispanicis (n. 429), Africanis (n. 454), Atticis (n. 185 365). Atque mansit haec forma quasi genuina et iusta etiam posteriore aetate in usu (v. n. 318 351 356 377 411 412 533 534 538 553 556 578 588 593 602 603 604 613 616 618 625 638 662), praesertim in scriptura magna monumentali (v. n. 465 466 468 546 560 561); sed inde fere a saeculo altero exeunte rarescit.

Raro linea illa recta dextrorsum vergit G, quod in titulo Taurinensi aliquo saeculi primi vidi (CIL V 7030; alta est littera 0,095); rarius ipsa illa linea curvata est G, quod vidi in titulo Hispano (CIL II 1988). In titulo aliquo saeculi fere tertii urbano (nondum in CIL edito) *Q. Medici Aug(usti) lib(erti)* linea haec caudam habet infra versum prolongatam G. Sed haec levidensia sunt.

G. Altera forma G litterae ea est, in qua linea illa cum pede C litterae ita coniungitur, ut nullo angulo et ipsa in curvam formam flectatur. Interdum in pede curvo linea ipsa recta imposita est, sed raro: formae eius exemplum luculentum praebet titulus Salonitanus divi

Nervae (n. 361); similis est in titulo saeculi quarti ineuntis Aeclanensi (n. 757).

Saeculo primo forma illa rotunda rara est. Extat in titulo magno Pompeiano basilicae Augusto dicato in nomine *Diogenis*, cum in *Augusti* nomine rectilinea sit (CIL X 805; G in *Augusto* vocabulo alta est 0,140; in *Diogene* 0,090). Non prorsus rotunda est in Gallicis quibusdam (n. 186 190); clare exhibetur in Africanis, veluti in *regis Ptolemaei* titulo anni circiter 30 (n. 233), et in scriptura gracili picta tituli Rusicadensis Gaio Caesari fere aequalis (CIL VIII 7986); in Vespasiani Pompeiano (n. 335) et in eiusdem aetatis Hispano (n. 426); item in urbano aetatis Domitiani (CIL VI 8798). Frequentior fit saeculo altero tertioque potissimum in titulis litteris minoribus et ad exemplum pictum scriptis, ut in Hispanis a. 117 (n. 426) et aetatis fortasse Hadrianae (n. 437 439). Deinde observatur inde a saeculo altero medio in titulis urbanis (n. 289 314 471) et Hispanis (n. 446 448), in tertii saeculi urbanis (n. 505 506 507 qui est arcus Gallieni titulus) aliisque multis, veluti in Ostiensi musei Vaticani (CIL XIV 62), in Nucerino (CIL X 779), in ara dei Magni magna Misenensi (n. 550), in titulis Hispanis et Africanis (ut in n. 671 681; adde CIL II 1480 5083 CIL VIII 4517 6981), in quibus linea curva saepe artificiose ornata est similiter atque in Puteolano (CIL X 3349), deinde in saeculi quarti et quinti multis, ut in urbanis (n. 704 705 714 qui est pontis Gratiani titulus, 731 737 749), in Savariensi (n. 772), in Africanis (ut n. 786; adde CIL VIII 758). Aetate recentiore etiam in actorum scriptura non deest, ut in aere Tolentinate observatur (n. 910), atque interdum in eodem monumento utraque forma iuxta adhibita est, ut in Cumano (CIL X 3701) et in Mogontiacensi (Bramb. 978).

Semel ratione peculiari G illa rotunda alte supra reliquas litteras elata est in titulo Bracaraugustano fortasse aetatis Pii (n. 446); cf. forma eius in fastis Arvalium in *Cethegus* vocabulo (n. 953).

Ϛ Ϛ Ϛ Ϛ Ϛ. Ad cursivam vulgaremve scripturam ea litterae forma proprie pertinet, cuius linea adiecta infra versum extensa est aut recta via aut dextrorsum, interdum soluta a curva et curvata et ipsa. Observavit eam iam et depinxit Felix Felicianus (Ephem. epigr. I p. 264 tab. II). Frequens est in inscriptionibus scariphatis sive graphio scriptis omnibus iuxta A II I' L formas et in titulis sive picta sive vulgari scriptura sculptis (v. n. 1137 1154 1156 1158 1170 1171 1173 1179 1181 1182 1187 1192), item in uncialis scripturae exemplis epigraphicis (infra n. 1147 1148 1150 1151 1152). Iam in pictis quibusdam antiquioribus extat, ut in urbanis sepulcralibus (CIL VI 9860 10333), in Pompeianis (infra n. 142 et CIL X 1047 1066), in Germanicis musei Bonnensis (n. 202 et Bramb. 473), in Petelino Traiani (CIL X 112), in Hispano aevi Hadriani (CIL II 1068). Inde a saeculo altero exeunte haec quoque forma frequentius usurpatur etiam in scriptura monumentali, ut in pavimenti titulo urbano iam propter E et F formas memorato (R. Lanciani *bullett. municip.* I 1872 p. 18 tab. I 2), maxime vero in tabellis parvis sepulcralibus Hispanis et Africanis (CIL II 1127 5067 al.), in titulo Syriaco (CIL III 152), in Britannico hominis Palmyreni (infra n. 423), rarius in monumentis maioribus maioreque cura incisis, ut in Norico (infra n. 379), in Gallico (n. 610), in Hispanis (n. 440 655 cf. CIL II 1663), in Pannonico (n. 595), aliis. Exempla plura saeculo quarto repeririuntur, ut miliarii suburbani (n. 700), tituli Antiatis Gratiani et collegarum (n. 760), titulorum Concordiensium (n. 766), Salonitani (n. 771), Africani (n. 792 cf. CIL VIII 2013). Accedunt saeculi quarti quintique Sulmonensis (CIL IX 1336), Dalmatinus rupi incisus (CIL III 1894), Africani saeculi sexti (CIL VIII 4354) septimique (CIL VIII 2389).

Formae triplicis in titulis Germanicis exempla Munierii tabulae IV et V illustrant.

Etiam in scriptura actuaria forma illa non infrequens est; est in cippo urbano a. 27 (n. 74), in lege Ursonensi (n. 805) in diplomate a. 71 (n. 819), in tabulis patronatus saeculi primi (n. 863 868 872) alterius (n. 877) quarti (n. 883 884 885 ubi una cum G legitur), in aeribus deinde aliquot minoribus (n. 923 934 942). Magnam eiusdem formae varietatem admiserunt acta lapidi insculpta, veluti *fasti Antiates* (n. 955) et *sacerdotales* (n. 962), *acta Arvalium* ab a. 78 ad a. 183 (n. 995 999 1003 1013 1019), titulus *Gamalae* Ostiensis (n. 1080).

In titulis christianis Gallicis Britannicis Hispanis forma haec paene sollemnis est; in Britannicis praeterea ꞩ recentior extat (Inscr. Brit. christ. p. 98).

Singularis est G litterae forma haec Ͼ in titulo Germanico musei Mannhemiensis scripto litteris rusticis (Bramb. 1718), eiusdem, cuius propter F pro F formam supra mentionem fecimus (p. LVII).

Angulatam formam hanc ≤ habet titulus Veronensis *Aulogenis* alicuius, si re vera G neque alia littera (X vel Z) ibi scribenda fuit (CIL V 3509).

Casu interdum vel incuria linea G litterae tam exigua evasit, ut G a C littera paene non distinguatur, ut in titulo Britannico a. 140 male inciso (n. 419) et in diplomate a. 153 (n. 847), in Africano a. 367 (n. 1111).

Ubi alia littera proxime adiecta est, linea illa interdum omissa est, ut ante A in titulo Hispano saeculi secundi (n. 438). Unde dubitari potest num revera C litteram neque vero G quadratarius incidere aut voluerit aut debuerit in titulo Gallico *Cemelli* (n. 192) et in *Sicnae* Germanico (n. 400), quanquam in utroque certa praeterea C litterae exempla adsint. In titulo vetusto Praenestino sane inter C et G non distinguitur (cf. Hermae vol. XIX 1884 p. 453 s.; sed vide etiam infra n. 353).

8. H

H litterae forma solita latitudine tantum universa et collocatione lineae transversae aliquantum, non multum tamen variat. In scriptura monumentali vetustiore latior est, linea transversa hastas dimidias secat. Exempla huius formae legitimae, quae tamen etiam ad infimam aetatem duravit, infra exhibita sunt (ut in n. 71 93 114 120 137 200 271 273 274 282 320 358 364 468 529 659 699 747 783); etiam infimae aetatis tituli provinciales minime curiose scripti tamen H litteram bene in universum formatam habent (ut n. 764 775 776 777 785). Postea littera tenuior fit, linea transversa loco magis alto ponitur. Formae huius gracilioris exempla frequentiora fere sunt, nisi fallor, in scriptura monumentali vetustiore (ut in n. 36 43 99 121 133 158 253 308 cet.), nec vero deest etiam recentiore aetate (ut in n. 653 706 724 729). Contra latior ut paullo rarior est aetate vetustiore (ut in n. 40 41 160 270 280 cet.), ita frequentissima est inde fere a saeculo altero medio (v. n. 465 519 535 570 571 579 585 608 636 637 643 680 702 718 726 729 731 735 736). In scriptura picta forma tenuis praevalet (ut in n. 323 325 449 456 458 cet.), in actuaria latior est (ut in n. 90 272 801—808 838 ss. 862 894 915 917 923 945 948 ss.). In universum H aliquanto rarius usurpata est quam reliquae litterae. Munierius exempla Germanica perpauca tantum (sex) profert (in tab. VIII 6).

A forma hac solita longeque frequentissima duae recedunt multo minus frequentes, pictae scripturae calamove exaratae et scariphatae propria altera (ut docent Zangemeisteri alphabeta II 2 III 12 IV 4 8—10), altera cursivae sive vulgari (v. Zangemeisteri alphabeta IV 11—14).

H И. Linea transversa citra hastas rectas perducta et oblique posita est, aut oblique posita intra hastas duas; de qua forma iam Marinius verba fecit (Arv. p. 358). Casu fortasse accidit, quod e titulis urbanis nullum eius exemplum enotavi. Actuariae scripturae forma haec potissimum propria est, unde in legibus Hispanis non raro extat (infra n. 805—808; cf. n. 838 895). Habent eam praeterea titulus Gallicus actuarie scriptus saeculo primo (n. 192), Puteolanus a. 133 (n. 340), Pii Hispanus (n. 441), carmen sepulcrale saeculi fere tertii ex Alba Fucente (CIL IX 3968). Non infrequenter deinde in provinciis occurrit, ut in titulis Germanicis saeculi fere tertii (Bramb. 1568 1595), in sacris honorariisque Hispanis (CIL II 1956 1958), item in sepulcralibus Italicensibus (ut in CIL II 1146), in Africanis saeculi alterius tertiique (infra n. 460 687 1107 1142 et CIL VIII 763 8456), in quarti urbano (n. 716).

Interdum hasta prior infra versum deducitur et sinistrorsum curvatur ℋ, ut in titulo Misenensi saeculi alterius fere tertiive (infra n. 1177).

Raro linea transversa rupta est sive angulata H, ut in saeculi quarti exeuntis quintique titulis Africanis (infra n. 790 791); quibuscum conferatur Pannonicus a. 267, in quo haec forma est linea transversa curva H (n. 591). Illa vero forma etiam in titulis christianis saeculi septimi Hispanis redit (Inscr. Hisp. christ. n. 2 a. 632).

H h h h. E forma illa, quam modo tractavimus, tertia facili progressu orta est, in qua altera hasta recta primum paullo brevior facta est quam prior, linea transversa vero aut recta est aut obliqua aut curvata; inde postremo h forma scripturae uncialis (ut in n. 1148 1157) originem cepit, in titulis christianis potissimum saeculi quinti ad septimum Gallicis (Le Blant *manuel* p. 42), Britannicis (Inscr. Brit. christ. p. 98), Hispanis (Inscr. Hisp. christ. n. 119 120 158) frequens. De hac quoque forma in scriptura potissimum cursiva non infrequenti Marinius dixit (Arv. p. 358 681). Extat in titulis sepulcralibus aliquot urbanis inde fere a saeculo secundo, ut in carmine (infra n. 1129), in *Ampliatae* alicuius (infra n. 1165, quam eam ob causam Marinius memorat p. 358) et *Domitiae Edonis* (CIL VI 17009 'litteris pessimis'), deinde in titulo *Ti. Claudii* alicuius *Blasti* medici una cum b (CIL VI 9571, supra p. LV), *T. Aelii Aug(usti) lib(erti) Saturnini* (CIL VI 10791; adde CIL VI 19734); item in Misenensi (infra n. 1176). In titulo Puteolano musei Neapolitani *L. Iuli C. f(ili) Alexandri* alicuius *scr(ibae) aed(ilium) cur(ulium)* forma haec H semel in Eutychis nomine scripta est, reliquae H legitime formatae sunt (CIL X 1723). Alibi quoque inmixta extat formis monumentalibus, ut in ara urbana dei *Mythrae Nabarzis* saeculi tertii (CIL VI 742), in ara Herculis in Sardinia reperta (CIL X 7858), in titulo Gallico a. 241 (infra n. 607), in titulis sepulcralibus Italicensibus (ut in CIL II 1156), in titulo Africano iam a. 120 (CIL VIII 8329; ectypum non vidi, forma illa ter extare dicitur ab editore A. Poulle).

Etiam in scriptura actuaria forma haec H interdum observatur incuriose scripta, ut in legibus Hispanis (n. 805 808), notumque est similes formas extare in papyris Herculanensibus et in Vergilii codicibus antiquioribus Vaticano et Palatino.

Denique in titulo Samothracio a. 124 forma haec est H (Ephem. epigr. IV p. 53 n. 112), non absimilis K litterae; simillima eius in Africano saeculi quarti (n. 792), qualis etiam in codicibus manu scriptis, ut in Plauti Ambrosiano, in Prudentii Parisino, in Sallustii Vaticano observatur. Semel etiam K pro H in titulo Hispano christiano saeculi sexti observata est (Inscr. Hisp. christ. n. 156).

In titulis quibusdam Nemausensibus H dimidiata posita est interdum ibi quoque, ubi non ex compendio coaluit cum praecedente: HONORATVS versum integrum efficit infraque Q · LVCRETIVS HONORatus scripta sunt in altero (CIL XII 2242), in altero CINTIAE HONORATae legitur (CIL XII 3518 cf. n. 3535), teste Hirschfeldio.

Linea transversa omnino caret H, incuria tantum, in titulis urbanis saeculi tertii male scriptis (infra n. 1159 1167).

9. I

De I litterae forma in universum hoc tenendum, in scriptura antiquiore aetatis imperatoriae similiter atque in liberae rei publicae monumentis plurimis eam paene prorsus carere capite et pede (ut in n. 2 23 143 175 176 al.). Deinde capita et pedes adduntur et curvantur (ut in n. 113 114), potissimum in scriptura ex picto exemplo derivata et ornata (ut in n. 135 140 142 187 al.). In scriptura accurata monumentali omnium saeculorum I facile distinguitur a T et L litteris; in picta vero gracili et in vulgari, ut multi observaverunt (veluti Marinius Arv. p. 409 678, Ritschelius opusc. IV p. 5 cet.), saepe earum simillima est (v. infra n. 272 797 1158 al.).

I longa Notum est inde fere ab aetate Sullana, ut Ritschelius recte primus observavit (opusc. IV p. 355 ss.), pro *ei* antiquiore I supra reliquas litteras eminente vocalem productam significatam esse. De hoc usu, quatenus duraverit, cum ad grammaticam potius pertineat, quam ad palaeographiam, hic non quaerimus [1]). Illud autem e titulorum actorumque inde fere ab Augusti aetate consuetudine apparet, praeter I productae significationem non raro I longam adhibitam esse eadem fere ratione, ut reliquas litteras longas (T et F potissimum) initio vocabulorum versuumque. Vocalis producta saepissime ex antiquo fortasse usu in *divus* vocabulo I longa indicatur (ut in n. 1 52 54 78 bis 103 150 152 163 177 179 186 187 210 215 219 242 249 264 265, ubi nullum aliud praeterea exemplum I longae est praeter duo in DIvI, 320 349). Alia exempla similia praebent tituli infra propositi I longae radicum productarum (n. 51 80 344 354 388 393 434 699 800 964 1113 1114 1117 1125) vel suffixorum (n. 47 51 140 144 157 183 187 290 949*a* 1114 1125). Genetivus singularis in *i*, ut in *divi* vocabulo saepe (n. 52 54 78 152 179 187 210 215 242 264 265 814 1090 1099) ita scribitur tam simplex, ut in *Germanici* vocabulo (n. 102 103 135 144 192 308 348 387 408 948*d* 1100), quam contractus, ut in *geni* (n. 29 192 302 310 699 833 1076). Sed etiam *i* duplex genetivi I longam admittit, ut in IVLII (n. 78 98 294 304 471 488 501 733 1077 1078; cf. IIs n. 1099). Dativus tertiae in *i* in *Caesari* vocabulo frequenter I longam habet (n. 78 116 152 212 214 215 455 1099 1190); sed aliorum quoque vocabulorum exempla non desunt (n. 103 161 211 215 221 291 388 495 868 948*a* 1122 1128). Dativus vel ablativus pluralis rarius ita scribitur (GRATIs n. 138 COMITIIs n. 808 REPENTINIs n. 1033 LIBERIs n. 1099 et saepius n. 1100 MEIs n. 1125 HIs n. 1135); item dativus singularis (SENATVI n. 1099), accusativus pluralis tertiae (ut SAECVLARIs n. 1037). Verum est, saepe imperatoris vocabulum ab I longa incipere tam in titulis (v. n. 52 54 55 212 213 300 302 331 387 404 432 441 453 456 462 465 472 476 502 503 506 525 530 538 553 561 567 571 588 662 683 664 677 678 682 684; *imperi* vocabulum quoque ita scribitur n. 684) quam in actis (n. 810 818 819 825 833 836 839 840 841 851 855 856 859 860 872 1077); sed vix hoc cum Schmitzio (*Beiträge zur lat. Sprach- und Literaturkunde* p. 92) et Ritschelio (opusc. IV p. 570) 'e reverentiae sensu quodam imperatoris personae atque maiestati debitae' derivandum censeo; in exemplis enim longe plurimis (viginti et quattuor eorum quae in hoc volumine proposita sunt) ab imperatoris vocabulo tituli incipiunt, in multis versus (in novem superiorum); raro in medio textu ab I longa hoc vocabulum incipit (in tribus superiorum). Graphicam igitur tantum, ut breviter dicam, I litterae longitudinem esse apparet, ut in *in* (n. 65 430 534 808 1129 1131) et *item* (n. 808) vocabulis; ut graphica potius est, ubi semivocalem casu indicat, ut in *iussu* vocabulo (n. 126; similia sunt n. 393 488 526 681 735 876 970 1076 1131). In actis I longa in universum non tam frequens videtur esse quam in titulis. De usu *monumenti Ancyrani* (n. 1090) dixit Mommsenus (p. 190[2]). Exempla vocalis productae praebent praeterea *fasti* et *triumphi Capitolini* (n. 948 949), *acta Arvalium* a. 78 (n. 995), inscriptiones Narbonenses (n. 1099 1100) et Samothracia (n. 1092). In *isdem consulibus* formula frequens est ab a. 87 ad a. 155 (n. 1000 1001 1008 1012; cf. *idem* n. 1080). Sed potest ibi etiam pro initiali tantum longiore haberi, cuius praeterea extant exempla tam in semivocali (ut in *Iunoni Iovi* n. 985), quam in vocali (ut in *imp.* et *in* n. 994 1001 1014). Inter recentioris usus exempla est *idus* vocabulum cum I longa in *ara Iunonis* urbana a. 218 (n. 964). Adde acta reliqua (ut n. 1076).

Neque ad rem facit, quod I longa interdum ubi ita usurpatur sinistrorsum in cornu curvum extenditur J, ut in vocabulis *iam* (n. 384), *Iovi* in titulo aliquo Puteolano saeculi fere secundi exeuntis (CIL X 1571), *coniunx* in Africano saeculi fere tertii (CIL VIII 9316). Nam eadem I litterae forma supra curva non raro etiam vocalem designat, ut in *Mescinia* (infra n. 140), *Poblici Dionysi* (n. 1175), *dis* (n. 385). In hoc titulo ultimo loco memorato I longae cornu dextrorsum vergit Γ; inde illud explico, quod in scriptura vulgari Γ forma pro I observata est (ut in n. 1161). Neque intra vocales duas I longa necessario semivocalem indicat (ut olim ipse putabam mecumque Schmitzius l. s. s. p. 82); duplex tantum *i*, ut in lege Malacitana, hanc vim videtur habuisse secundum nota grammaticorum praecepta (Schmitz p. 71 ss.). Casui igitur vel potius communi illi I longae usui graphico etiam illud tribuo, quod EIIVS et EIIVS in lege illa iuxta scribuntur (infra n. 808). Etenim ne deesse quidem I longae exempla pro vocali correpta posita (ut in DIIS n. 156 PIO n. 196 DESTICIO n. 351; CIVICA

---

[1]) Dixit de eo nuper Guil. Weissbrodt Philologi vol. XLIII 1884 p. 444 ss.

in *monumento Ancyrano* VI 17) dudum observatum est; *Octavio* I longa scriptum observavit Bormannus in titulo Fidentino vetusto, quem liberae rei publicae aetatis esse posse pronuntiat (CIL XI 1138). Exempla casu in hoc volumine collecta quanquam usum I longae universum minime exhauriunt, illud tamen videntur satis demonstrare, grammaticam rationem vocalis productae a correpta distinguendae sciungendam omnino esse a graphico I longae usu. Ut illa saeculo fere secundo exeunte putatur cessavisse, ita hic quoque eadem fere aetate maxime rarescit, exemplis aetatis recentioris paucissimis exceptis (ut vICTORI TRITVRRI n. 699 ASTERII n. 733). Scilicet inde a Severi fere aetate I longa interdum variandi tantum gratia adhibita videtur esse, ut in PII a. 191 et a. 198 (n. 471 488), IMPERII a. 238 (n. 501).

Extat altera I longae forma, qua illa non supra reliquas litteras, sed infra versum extenditur, J; quam formam scriptura novicia iotae nomine indicare et pro semivocali adhibere solet. In fine potissimum vocabulorum inde a saeculo altero exeunte videtur usurpari, ut in *Sciti* nomine in titulo Hispano saeculi secundi (n. 440), in *Veri* nomine in titulo Africano a. circiter 166 (n. 459), in *matri* vocabulo tituli item Africani Iuliae Domnae (n. 678), in *coniugi* tituli Norici eiusdem fere aetatis (n. 379), in titulis aliquot sepulcralibus urbanis, ubi *Planj* (n. 1168), *Augustalj* (CIL VI 12869), *Octavj* (*Bullett. municipale* a. 1877 p. 31 n. 48), *Glycerj* (in *Iuliae Proculae* alicuius titulo in museo Kircheriano servato), *mihj* in carmine Africano (n. 1142) ita scribuntur. Sed etiam initio, ut in *isdem* in actis Arvalium a. 155 (n. 1012 1019), et in mediis vocabulis est, ut in *Victorjni* tituli Hispani (CIL II 5067). Omnino haec quoque forma originem habet mere graphicam.

Quod puncta I litterae superimponantur, in universum ab antiqua consuetudine prorsus abhorrere et novicii usus esse creditur; recte. Nam quod Garruccius credidit puncta I litteris in lege Furfonensi addita antiqua esse, id nunc iam refutatum est; novicia enim sunt sine dubio (v. CIL IX 3513 = CIL I 603). Deinde dubito de punctis quamvis triangularibus iam a Zaccaria observatis in titulo Dalmatino saeculi fortasse primi (CIL III 3027); ea quoque ab instauratoribus novicio tempore addita esse possunt. De titulo Corano (Mur. 1041, 1), cuius Mommsenus mentionem fecit in adnotatione ad Dalmatinum modo memoratum expecto peritorum iudicia. Sed deprehendi puncta supra I litteram vetusta sine dubio in titulo christiano saeculi fere septimi Lusitano (inscr. Hisp. christ. n. 10) et in Hispano Carthaginiensi *Mauricii imperatoris* a. 589 (infra n. 785). Unde cum aliis scribendi usibus noviciis hic quoque saeculo fere quinto sextove originem cepisse videtur fortasse in Hispania.

Titulis christianis Britannicis peculiaris est I iacens, de qua dixi in praefatione Inscr. Brit. christ. (p. XV; v. indicem p. 98).

10. K

K litterae forma paene immutata mansit inde a liberae rei publicae temporibus (vide de ea Ritschelium opusc. IV p. 717 720). Notum est, lineas transversas hastae adhaerentes aetate antiquiore perquam exiguas fingi (ut in n. 31 238 261 263 283 1063, in *tesseris* aetatis Augustae n. 1196 1197 1198; addo e multis aliis exemplis haec Brixiana CIL V 4224 4295) et rectas. Inde a saeculo altero fere exeunte in picta potissimum scriptura maiores fiunt (ut in n. 343 485); sed illa quoque aetate, cum linea superior longior fieri soleat, inferioris tamen lineae brevitas mansit, ut docent specimina infra proposita saeculi alterius exeuntis (n. 1084), a. 197 (n. 532), a. 215 (n. 549), a. 224 (n. 602) saeculique tertii quartique (n. 510 521 698 758 1161). Eadem in actorum scriptura forma obtinuit, ut in *tabula patronatus* a. 5 (n. 866), in *decreto* a. 68 (n. 801), in *tabula patronatus* a. 101 (n. 873), in *massis plumbi* Britannicis (ut in n. 1209 a. 59) aliisque multis eius generis monumentis (cf. n. 1080 1089 1099). Paene perfecta formae antiquioris specimina praebent *triumphi Capitolini* (n. 949) et *calendarium Arvalium* (n. 970).

Interdum spatio aliquo lineae transversae ab hasta seiunctae sunt, ut in *tabula patronatus* a. 152 (n. 874).

Denique etiam haec littera supra reliquas elata est, ut in *lege Tappula* (n. 803) et in *tabula patronatus* a. 55 (n. 870), in ara Narbonensi (n. 1099). K litterae usus cum in kalendarum fere vocabulo unico constiterit aetate posteriore, exempla eius rarissima sunt; pro *c* littera usurpari non prorsus desita est in titulis sepulcralibus graecissantibus, ut in Veronensi (CIL V 3555).

IC. Forma rarior litterae, quae quasi composita est ex hasta I litterae et C, extat in vasculo vetusto Caleno (*Annali dell' inst.* a. 1884 p. 16 tab. *B* 3) et in titulo tegulae alicuius Arretinae (*Bullett. dell' inst.* a. 1879 p. 166).

11. L

L litterae tres sunt formae primariae, scripturae monumentali, actuariae, vulgari in universum propriae.

L rectilinea et rectiangula (nam angulatae vetustae nulla extare exempla aetate imperatoria nisi mero casu orta certissimum est) monumentalis scripturae propria eo tantum variat, quod ad primi fere saeculi finem linea transversa non admodum brevis est, quanquam plerumque dimidia fere parte aut duabus tertiis brevior quam hasta. Formae quadratae vel quadratae proximae pauca tantum exempla extant in scriptura vetustiore admodum lata et crassa (ut in n. 24 25 45 191) aut ubi spatium suppetebat, ut in titulo *arcus Titi* (n. 245 cf. n. 253 294 376 595 598 602). Deinde magis brevis fit, praesertim in scriptura picta (v. infra p. 428 s.), verbi causa in titulo Cordubensi saeculi alterius (Ephem. epigr. III p. 37 n. 16) et in infra propositis aliquot (n. 1188 1189 1190 1191; cf. praeterea n. 449), ita ut ab I littera (interdum etiam a T et E) vix distinguatur; quod post Marinium (Arv. p. XXXIX 678 692) saepe observatum est. In titulis quibusdam I et L prorsus nequeunt distingui (ut in CIL VI 598· V 2931 ubi utrum IOCIS an LOCIS legendum sit disputatur). L litterae cum pede brevissimo exempla quaedam extant aetatis vetustioris, i. e. Augustae fere, ut in titulo Perusino a Ritschelio (PLME enarr. p. 67) proposito: sed ibi forma haec spatii angustia excusatur. Frequentia eius sunt exempla inde a saeculo altero, ubi etiam in actorum scriptura saepe occurrit; ut in tabula Veleiate (n. 804), in tabula patronatus a. 158 (n. 875), aliis.

A saeculo altero exeunte linea transversa similiter ut in E curvatur et paullulum sursum flectitur Ŀ; nam casu tantum singulari iam antiquiore aetate haec forma extat (Ritschl opusc. IV p. 720). Primum forma haec in scriptura actuaria vetustiore usurpata est (ut in n. 74 90 135 384, deinde in n. 799—801 803 804), in diplomatis militaribus paene omnibus et tabulis patronatus (ut in n. 916 aliis), deinde etiam in actis multis lapidi insculptis. In picta iam admodum brevis est (ut in n. 140—142 187 192 193 222 228), item in vulgari (ut in n. 451 452). Forma haec brevis curvata a saeculo fere altero medio videtur paene sollemnis esse; unde etiam in scriptura magna monumentali saeculi tertii quartique extat (ut in n. 465 466 468 507 527 532—535 546 561 676 702). Infra curvatae Ŀ exempla recentissima praebent tituli Africanus aetatis Diocletianae (n. 693 ubi semel tantum iuxta L extat), Ocriculanus a. 341 (n. 754), Concordienses saeculi quarti (ut n. 766), Africanus aetatis infimae (CIL VIII 2521). Peculiaris est scripturae uncialis forma haec ʟ (infra n. 1147).

Non admodum raro, quanquam non tam frequenter, quam I littera, initio potissimum L longior fingitur; exempla praebent vetustiora tituli Aenonensis a. 37 (n. 179), Tergestinus aetatis Claudiae (n. 183), Hispanus saeculi alterius (CIL II 1437 ubi L est similiter ut I formata), recentiora deinde initio potissimum versus urbanus Septimii Severi (n. 471), urbanus item saeculi quarti (n. 734 736), scripturae pictae (n. 1189) et actuariae vasculum Hispanum (n. 907), *fasti* a. 80 (n. 958), *triumphi Capitolini* (n. 949), adlocutio Hadriani Lambaesitana (n. 1104), alia (ut n. 958). Rarior in mediis vocabulis L longior est, ut in basi urbana Nicomachi Flaviani a. 431 (n. 747).

Singulari quodam artificio aut casui ⊥ forma originem debet in titulo Crotonensi saeculi secundi tertiive (CIL X 107, ubi ⊥OLLIANAE legitur). Eadem forma ⊥ in Gallia Narbonensi pro L duplici posita est (CIL XII 1921); pro simplici non raro in titulis Gallicis christianis saeculi sexti et septimi (Le Blant *manuel* p. 42). Ⲥ pro L semel observatum est in titulo Africano saeculi sexti exeuntis (CIL VIII 4354).

Ŀ. In scriptura ornata monumentorum aetatis inferioris cornu lineae transversae curvatur aut in s parvae figuram extenditur. Antiquissimum exemplum eius formae, sed nondum plene excultae, quantum scio praebet titulus Aquileiensis a. 165 (infra n. 366). Leniter curvatur in titulo Britannico hominis Palmyreni (n. 423). A saeculo tertio deinde ineunte forma illa saepius observatur, ut in eius fere aetatis Falerionensi (n. 551), in Africanis circiter a. 200 (CIL VIII 4510) et in elegantissimo e regno Severi Alexandri (n. 681, cf. etiam n. 1110 et CIL VIII 2530 4517), in Polensi *Maximiani* (n. 563), in Norico a. 310 (n. 770), in Constantini Africano a. 315 (n. 786). Accedunt quae hic non proposui exempla tituli sepulcralis militis legionis II Parthicae urbani (CIL VI 3404), in carmine Brigetione reperto (CIL III 4346), in titulo Augustano (CIL III 5815) aliisque eiusdem regionis, in Cirtensi *Carini* (CIL VIII 7002). Non absimilis forma est in tegula Aquincensi saeculi fortasse quinti (n. 774).

Hae sunt formae L litterae in scriptura monumentali propria adhibitae.

Ⱡ. In scriptura cursiva et actuaria non raro linea transversa longior infra versum deducitur et curvatur. Iam scariphata in parietibus Pompeiorum eius formae exempla praebent non pauca (v. Zangemeisteri alphabetum IV 5). Saeculo secundo tertioque non minus frequentia sunt, v. c. in titulis scariphatis excubitorii cohortis VII vigilum urbani (CIL VI 2998—3091). Inde in secundi tertiique titulos irrepserunt. Ita L illa legitur, ubi spatium cogebat, iam in Hispano aetatis Traianae scripto litteris pictis gracilibus (infra n. 430), deinde in Samothracio a. 124 (Ephem. epigr. IV p. 53 n. 112), in titulo Gallico saeculi secundi exeuntis initio versus cum hasta longa et curvata (n. 391); item in Britannico aetatis fere eiusdem (n. 421); in urbanis deinde sive suburbanis parvis et neglegenter sculptis saeculi tertii (infra n. 543 545 et in CIL VI 730 741) et sepulcralibus (ut infra n. 1129 1137 1140 1161 1170 CIL VI 2457 et similibus), in laterculo *collegii Silvani* (CIL VI 647), in agri Mediolaniensis ara 'litteris rudibus' scripta (CIL V 5661), in Germanico a. 246 (n. 1102), et in aliis scripturae vulgaris exemplis una cum C et U formis (ut infra n. 1181), in titulis Hispanis (n. 660) et Africanis saeculi tertii (infra n. 678 683, adde CIL VIII 791 919 1016 2035 5370, ubi etiam L legitur, 8116 9005—9010), in miliario Castronovano a. 305 (n. 753), in Tergestinis saeculi quarti (n. 753 762), in diptychis saeculi sexti (n. 1200 1201); etiam in actorum (n. 1032) et in aerum scriptura parva (n. 942 944). Interdum linea leniter curvata paene nullo angulo infra hastam descendit, ut in Hispano a. 216 (n. 660) et in urbano a. 241 (n. 504). Eleganter in titulo Gallico linea infra versum deducitur in caudam Q litterae similem (infra n. 604).

Etiam in titulis christianis Gallicis Britannicis Hispanis L litterae cauda non raro infra versum descendit.

Ƙ. Propria scripturae scariphatae et vulgaris tertia L litterae forma est, cuius hasta paullo infra versum extenditur, linea autem transversa altius incipit (v. Ritschelii opusc. IV p. 716), interdum spatio aliquo ab hasta seiuncta Ƙ (v. Zangemeisteri alphabeta IV 3 11—14 et tegulam Cremonensem CIL V 4105 vasculaque Novaesensia annal. Bonnens. LIII 1873 p. 310). Eius iam satis vetusta habemus exempla in titulis e Gallia cisalpina antiquis (CIL V 4010 = CIL I 1434) sive barbaris (infra n. 20) et in Hispanis e Baleari maiore (CIL II 3689); deinde in urbanis aetatis Claudiae (ut CIL VI 15223). Saeculo deinde altero tertioque frequentius scripturae monumentali admiscetur, ut in titulo urbano (infra n. 1165), in Brixiano (infra n. 1178), in Albensi (CIL IX 3947), in miliario Severi Raetico (CIL III 5982), in titulo Britannico a. 221 (infra n. 648), in sepulcralibus saeculi tertii Dacicis (CIL III 835 1223) Gallicis (ut CIL XII 2358) Germanicis (ut Bramb. 1778) Africanis (ut infra n. 1107). Etiam in actorum scriptura casu magis quam consilio forma illa extat, ut in lege Ursonensi (n. 805), in tabulis patronatus saeculi quarti (n. 882), in aeribus quibusdam minoribus (n. 904 919 931 937).

In primis vero tituli Africani L eius generis formam habent eleganter pictam ⅄. Antiquissima eius exempla videntur praebere tituli Carthaginienses duo *Hadriani* alter (CIL VIII 1146) et *Iunonis* musei nunc Vindobonensis (CIL VIII 1140) scripti litteris simillimis. Subsequuntur Salditanus a. 197 minus eleganter scriptus (infra n. 674) et saeculi tertii quartique complures (n. 684 688 698 699; adde CIL VIII 5146); eiusdem fere aetatis christianus putandus est Caesareensis (CIL VIII 9589; scriptus est litteris nitidissimis, altis 0,068).

Artificiose interdum linea transversa curvata est Ŀ, ut in titulo Gallico dei Sucelli (infra n. 610) et in urbanis quibusdam sepulcralibus (infra n. 1162 1163).

12. M

De genuina et vetusta huius litterae forma post ea quae Ritschelius primus fere docuit (v. opusc. IV p. 333 ss. 700 718 726) nulla dubitatio est. Quanquam enim iam vetusta aetate forma rectilinea eaque, in qua angulus hastarum duarum mediarum infra non perductus est usque ad versum, in quo pedes stant, hic illic occurrunt sive casu sive incuria sive ex opificio imperfecto ortae, tamen genuina forma tam liberae rei publicae temporibus quam saeculis aerae nostrae prioribus (ut in tessera a. 733 infra n. 1194) sola quaeque exemplis innumerabilibus probetur ea est, in qua hastae omnes oblique positae sunt angulusque medius ad infimum versum perducitur M. Variat autem forma illa, ut iam liberae rei publicae aetate, ita postea quoque in eis, quae in reliquis quoque litteris varie effinguntur: in latitudine universa litterae totius, in pedum capitumque forma, in maiore minoreve crassitudine hastarum singularum. Scripturae vero genera monumentalis actuariae vulgaris in M litterae forma vix differunt.

Cum A litterae hasta altera supra caput sinistrorsum producta M quoque forma similis (M) in actuaria vulgarique scriptura saepe adhibita est. Cursivae vetustae forma rarior ex hastis quattuor solutis constans (IIII) prorsus deest, nisi fallor, aetate imperatoria; si exceperis scariphata Pompeiana. Uncialis rotunda m in monumenta raro inrepsit. Infimae aetatis actuaria m et ipsa rarissima est etiam in aetatis infimae monumentis.

M. Exempla aetatis imperatoriae ineuntis latissima sunt, ut liberae rei publicae (cf. n. 1 14 15 23 24 33 39 45 48 al.); exempla artis vetustioris perfecta hic quoque praebent monumenta aliquot Pompeiana et Herculanensia infra proposita (n. 112—114 137 143) multaque alia servata in museis urbanis et Neapolitano (ut CIL X 1444 1445 1449 1476 alia). In fragmento aliquo sive Pompeiano sive Herculanensi (CIL X 1664), quod metiri potui, M alta est 0,220 eademque infra latitudine, i. e. prorsus quadrata; sed supra intra angulos angustior est centimetris quattuor quam infra (0,218). Atque in his exemplis vetustioribus capita in angulos acutos exeunt, nullo cornu vel lineola transversa additis, simili ratione, qua in N littera angulum priorem acutum esse videbimus. Servant hanc formam praeter titulos Italicos etiam provinciarum saeculi primi plerique, veluti Germanici (ut Bramb. 40 155 249 473 478) Gallici Hispani Africani (ut CIL VIII 875). Sed etiam aetate inferiore forma haec vetusta et genuina minime obsoleta fuit; cf. e. c. Mutinensis a. 260 (n. 561) et tituli Germanici (Bramb. 257 1024 1564 1581 1588 1712 al.), Britannici (CIL VII 704 1092), Africani (infra n. 451 452 464 al.). Imitantur eam, quanquam non satis perite, tituli arcus Constantiniani (infra n. 702) et in columna Phocae inscriptus (n. 729). Verum est, obliquam hastarum positionem interdum vix metiendo posse probari, sed tamen discernitur in universo linearum ductu habituque totius litterae (ut in n. 10 205). Capita angulata, plerumque sinistrorsum versa, adduntur ex scripturae pictae exemplo, una cum similibus reliquarum litterarum ornamentis item iam inde fere a primo saeculo tam in formis latioribus et crassis quam in longiusculis tenuioribusque. Capita ambo accuratissime lineis transversis ornata exhibet exemplum aetatis Traianae elegantissimum urbanum (n. 257). Iam inde a saeculo altero medio et exeunte in scriptura lata observantur titulorum Hispani (n. 437) et Africanorum (CIL VIII 6965 6981 6982 7030), Germanici (n. 400), Britannici (n. 420), Pannonici (n. 568; cf. CIL III 3313 3376), deinde saeculo tertio in altiore titulorum urbani (n. 475), Gallici (n. 611), Hispani (n. 661), Africani (ut CIL VIII 51 772 773). Aetate potissimum Diocletiana forma illa capitibus ornata frequens est, ut in urbano (n. 516), in Puteolano (n. 552), in Pannonico

(n. 593), in Tomitano (n. 598), in Africano (n. 692 cf. CIL VIII 758 al.).

Cum reliqua scriptura etiam M inde a saeculo fere altero medio admodum alta et tenuis fingitur (cf. titulus Mummianus CIL XI 1051 = CIL I 545), potissimum in titulis Hispanis et Africanis (ut in n. 430 432 460 462 662 663 669 683 698).

M. Formae rectilineae exempla antiquissima in nummis leguntur, ubi ex spatii inopia orta sunt; dixit de formis illis M. Bahrfeldt (*Zeitschr. für Numismatik* IV 1876 p. 279 et V 1877 p. 39). Casu magis quam consilio rectilinea est in titulo Tolosano (n. 36), cuius scripturam Graecae magis quam Romanae artis esse infra dixi (p. 4). Nulla deinde imagines meae M rectilineae exempla praebent (neque alia praeterea me observavisse memini) ante saeculum primum medium, ubi in titulo aliquo Germanico (n. 201) saepius repetita est occurritque etiam semel in Atestino saeculi primi (CIL V 2666, cuius ectypum mihi dedit Hector Pais). Exempla Germanica complura Munierii tabulae (VI et VII) praebent. Sed quanquam in titulis Germanicis potissimum forma illa postea videtur frequentior multo esse quam alibi, tamen ne ibi quidem ante saeculi secundi exitum saepius observatur, ut in titulis Mogontiacensibus (Bramb. 956 1019 1026) aliisque Germanicis (Bramb. 294 338 373 475 922 1054 1601 1693 1711 1786 1835, annal. Bonnens. XLVII 1869 p. 160). In urbanis paucis aut male (ut infra n. 302) aut Graeco more scriptis (n. 305) extat, praesertim saeculo tertio exeunte (ut in n. 516). Paene rectilinea est in urbanis (n. 300 474 489 492), in Ostiensi aetatis Severianae (n. 529), in Mediolaniensi (n. 553), in Hispanis (n. 438 440 455), in Britannico a. 191 (CIL VII 341), in Africanis (CIL VIII 794 2634 2733 4510 5146 5331 8436 9798). In universum autem in titulis Africanis forma obliqua longe frequentissima est, rectilinea rara atque in male scriptis fere tantum obvia. Interdum iuxta formam solitam obliquam semel incuria tantum rectilinea sculpta est, ut in Misenensi (n. 550) et in Germanicis (n. 409 410 616), in Hispanis (n. 444 462 661). Tertio quartoque saeculo etiam alibi frequentior fit, ut in Dalmatinis (CIL III 1938 2123) Noricis Pannonicis Dacicis (ut n. 576 et Ephem. epigr. II p. 383 n. 701, ubi hastae adeo deorsum convergunt; infra n. 571 581 582), Africanis (n. 676 679 680 cf. CIL VIII 4517 et infra p. 228). Inde a saeculo tertio medio fere et exeunte forma rectilinea frequentia obliquam paene aequat, potissimum in Germania et in Gallia (ut in n. 603), ita ut exempla singula infra proposita enumerare supersedeam; unde formae rectilineae etiam in aetatis Diocletianae inferiorisque titulis inveniuntur, ut in Norico (n. 770), in Africanis (n. 692 695).

Sed tamen tum quoque obliqua in usu mansit fuitque semper forma emendatior et elegantior. Etiam saeculo quarto quintoque, ubi scriptura monumentalis ad actuariae formam propius accedit, obliqua forma non in actis solis praevaluit duravitque usque ad infimam aetatem (v. n. 774 778 781 785 787 793 cf. CIL VIII 879). Inde quae de M litterae forma rectilinea Munierius protulit (*die Palaeographie als Wissenschaft* p. 25) iudicanda sunt. In actis M rectilinea rarissima est atque casui saepe tribuenda; extat v. c. in *fastis Saliorum Palatinorum* a. 179 (n. 961).

M M. Etiam eius varietatis, qua angulus litterae medius infra ad versum non deducitur, exempla quaedam vetusta non deesse notum est. Sed in scriptura monumentali aetatis imperatoriae antiquioris forma haec vitiosa rarissima est. In titulo Tolosano (n. 186) mirae omnino indolis non ubique ad imum versum angulus perducitur, incuria vel inscitia puto scalptoris. Deinde per duo saecula paene integra nulla eius certa vidi exempla in exemplis urbanis Italicisque bonis reliquarumque provinciarum Germania excepta; ut semel infra extat in titulo Augustano a. 290 (n. 596). Vidi eam in musei Bonnensis ara matrum Treverarum (Bramb. 149), quae videtur saeculi secundi esse, item in ara rudi musei Stuttgartensis eiusdem fortasse aetatis (Bramb. 1637). Vidi eam praeterea in ectypo tituli a. 136 Samothracii (CIL III 720), qui Graecam consuetudinem sequitur. Rarissime in scriptura actuaria haec forma est atque, ubi occurrit, casui saepe tribuenda (cf. infra n. 1051). Nam quod in titulo Puteolano rudi saeculi fere tertii iuxta communem semel etiam prava illa forma extat (CIL X 2465), id nullius momenti est. In monumentis demum magnis urbanis aetatis Severianae hic illic observatur, ut in arcus Severi titulo (n. 465), in templi Saturni (n. 469), in sepulcrali (n. 491); tamen multo plura eiusdem aetatis monumenta eleganter sculpta vetustam formam servant, ut tituli Ostiensis (n. 527), Puteolanus (n. 546), Brixianus (n. 554). Habent eam deinde arcus Gallieni titulus (n. 507) et *edictum Diocletiani* (n. 1097). Tum vero aetate infima, i. e. inde a saeculo quarto extremo ineunteque quinto saepius occurrit, ut in urbano sepulcrali (n. 751), in Mantuano (n. 767), in Britannico (n. 781 semel iuxta exempla duo formae vetustioris), in Hispano (n. 785), in Africanis (n. 794 795 cf. CIL VIII 101 102 1019 2013 2521 2530 8932 9154). Apparet testimonia haec tam rara esse, ut praeter aetatem ultimam pro exceptione tantum habenda sint a regula alioquin constanter observata.

Contra in titulis christianis Gallicis Britannicis Hispanis M et M formae sollemnes sunt.

M. Scripturae actuariae et cursivae ea litterae forma propria est, in qua hastae obliquae altera et quarta supra capita primae et tertiae sinistrorsum producuntur; ut exempla demonstrant infra proposita multa (ut n. 802—809 819 867 868 870 880 885 897 898 899 904 912*b* 932 933). Inde in ea monumenta pervenit, quorum scriptura omnino vulgaris est et actuariam imitatur (v. infra n. 514 544 545 753 1137 1154 1157 1158 1164 1166 1168 1169 1173 1175 1176 1180 1186) aut pictam (n. 365 1187 1192). Quam ob rem non mirum est extare eam iam in pictis antiquioribus Pompeianis (supra n. 140 142) et Herculanensibus (n. 146 148), deinde in Gallicis (n. 187 192), Germanicis (n. 202; adde Bramb. 417 1718 al.), Hispanis (n. 233 425 430 v. 5 432 655 656 663; adde CIL II 1127 1988 al.), urbanis (n. 301 479 487 488 v. 7 506), Italicis (n. 326), Africanis (n. 370 449 456 459 462 674 677 683), Britannico (n. 423).

In actis lapidi insculptis maiore cum cura, praesertim urbanis, M forma communis praevalet; incuriosius sculpta M habent (ut n. 955 956), item calendariis adscripta litteris minusculis, ex actis fratrum Arvalium ea, quae ad scripturam cursivam vergunt.

Saeculo quarto cum A rotundata similis M forma obtinuit, ut in titulo Africano (CIL VIII 8491).

Scriptura picta Africana elegans cum ea A litterae forma, quae hastam priorem infra versum deducit A similem M litterae formam habet M (infra n. 461).

m. De M unciali quae dicitur forma dictum est supra (p. XXXVIII). Exempla infra proposita sunt in capite, quo scripturam uncialem illustravimus (p. 410; v. n. 1148 1149 1151 1152), quibus adde titulos illos, in quibus singula tantum vocabula sive formulae (ut D · M) litteris uncialibus scripta sunt (CIL III 4910 et infra n. 796 CIL VIII 282, ubi tamen ectypum magis M formam monstrat, 606 649 654).

Semel in scriptura unciali pro m haec forma simplicior n legitur (n. 1150); uncialis scriptura elegantissima vero M formam habet (n. 1147).

m (quam formam habet *diptychon* a. 540 infra n. 1201) et m satis frequentes sunt in titulis Britannicis christianis (Inscr. christ. Brit. n. 12 26 162 164 230 233): neque vero inde consequens est formam illam originem inde cepisse (v. praefationem syllogae illius meae p. XX). m etiam in titulis christianis Gallicis aliquotiens extat (Le Blant *manuel* p. 42); in Hispanis vero deest.

M'. Memoro denique M e quinque lineis factam, quam Manii praenomen significare notum est. Liberae illa magis rei publicae aetati propria est; aetate imperatoria paucis tantum exemplis extat (ut n. 2 3 8 1175); in consulum deinde praenomine notando durat (ut in n. 1099 a. 11, n. 873 a. 101, n. 1092 a. 124, n. 1082 a. 152, cf. CIL V 7526). In fastis linea quinta interdum curvatur M' (ut in n. 948), aut spatio interiecto distat a quarta M' (ut in n. 953) habetque praeterea aliquot varietates secundum brevitatem et curvaturam quintae lineae. Quando linea quinta a reliquis soluta apposita aut superposita, ut in titulo aliquo sepulcrali urbano legi dicitur (CIL VI 11152, quem non vidi, vidit et descripsit Henzenus) extatque in scriptura actuaria (ut in n. 953*a*), pro forma cohaerente invaluerit, definire nondum licet propter exiguum exemplorum numerum. Quae vero hodie adhiberi solet forma ex M littera cum sicilico composita simili illo spiritus lenis signo Graeco, omnino novicia est.

13. N

N littera collocationem hastarum obliquam, quam ex origine sive Phoenicia sive Graeca aetate liberae rei publicae retinuit (cf. Ritschelii opusc. IV p. 716 et infra n. 39, ubi formae obliqua et recta iuxta usurpantur), aetate imperatoria amisit hastasque ut reliquae litterae omnino rectas habet. Antiquiore aetate angulus prior capite omnino caret (ut in n. 1 8 15 16 23 27 28 29 32 33 36 41 43 44 113 114 143 231). Tamen eadem iam aetate linea obliqua interdum supra hastae prioris caput aliquantum producitur et in cornu desinit (ut in n. 12 14 22); deinde haec forma ex scripturae pictae indole, in qua penicillus lato ductu a capite ad versum deducebatur, sensim frequentior fit (cf. n. 46 48 49 51 53 59 60 63 81 119 121 140 141 142 166 186 cet.), altera capite carens rarescit et monumentorum tantum optime atque accuratissime fere sculptorum propria manet (cf. n. 86 88 244 245 253 258 265 270 319 396); inde fere a saeculo altero videtur prorsus evanescere. In scriptura tenui picta interdum, sed raro, ut in A et M, hasta prior infra versum deducitur, ut in titulo Hispano a. 198 in ultimo versu, spatio infra vacuo (CIL II 2124); praeterea nullius exempli memini. In scriptura Africana saeculi quarti eleganti angulus inferior interdum cum hasta altera infra versum deducitur Ꞥ (ut in CIL VIII 870), in unciali prioris hastae pes Ꞥ (infra n. 1147).

In latitudine universa N ita fere variat ut M; quadrata vel paene quadrata est in antiquioribus fere titulis (ut in n. 45 48 86 88 113 114 166 172 205 225 246 257 260 264 348 349 361 363 364 372 429), saepius in scriptura actuaria (n. 948 949 952), saepe tenuissima (ut in n. 197 416 418 419 511), praesertim in scriptura picta (ut in n. 430 431 432 441 442 cet. 551 655 660 662 663 669 674 677 683 698) et in actuaria (ut in n. 882), ubi etiam interdum linea obliqua supra hastam priorem sinistrorsum producitur (ut in n. 192 222 292 325 425 436 448 457 458 462 477 et in scriptura actuaria n. 804—808 811 813 819 848 887 903 929 983); raro tam lata ut semel in titulo Raetico (n. 374). Ceterum hanc quoque litteram in latitudine scripturae, ad quam pertinet, universae indolem sequi consentaneum est.

Raro et incuria tantum lapidarii linea obliqua dextrorsum ascendit И; extat forma haec in titulis quibusdam Italicis, ut in Aequiculano praeterea 'optimis litteris' scripto constanter (CIL IX 4139), in Curensi (CIL IX 4990), deinde in quibusdam Africanis male scriptis et satis recentibus (CIL VIII 1083, ubi etiam ƨ legitur pro S, 7866).

Inde a saeculo fere tertio exeunte quartoque hastarum duarum capita interdum altiora finguntur, ita ut N litterae H similis evadat cum linea transversa obliqua (ut in n. 512 et in *edicto Diocletiani* n. 1097); deinde in saeculi sexti christianis una cum M litterae forma rectilinea, in qua hastarum duarum capita multo altiora quam lineae obliquae sunt, haec N litterae forma extat H (ut in n. 795; cf. CIL VIII 101 102 4354). Casui tribuo, quod in titulo sepulcrali urbano 'litteris parum bonis' scripto HICEROS legitur pro *Niceros* (CIL VI 9729).

Eadem forma H litterae similis a saeculo quinto in titulis christianis Gallicis (Le Blant *manuel* p. 42), Britannicis (Inscr. Brit. christ. praef. p. XX), Hispanis (Inscr. Hisp. christ. n. 155 156) extat.

Restat N uncialis forma haec Ꞃ et ipsa rarissima. Habere eam videtur titulus Arelatensis (infra n. 1178); praeterea in urbano christiano a. 330 est (Rossi inscr. urb. christ. p. 37 n. 38).

Denique in titulis quattuor Latinis saeculi, ut putant, primi Clusii repertis ita n pro N scriptum esse audio (nam ipse nec titulos illos vidi nec ectypa): aperte ex imitatione litterae Etruscae И.

14. O

O vetustae infra apertae nullum aetatis imperatoriae exemplum novi. Etiam angulatae ◇ vel quadratae □ vel D litterae similis ▷ (cf. Ritschelii opusc. IV p. 716) nulla certa exempla extant, nisi quae ex materiae indole vel ex incuria quadratarii explicantur (ut in n. 20 946 947). Cum Q et ex parte etiam cum C et G litteris rotundis O id commune habet, quod aetate potissimum vetustiore non raro prorsus quadrata, i. e. tam alta quam lata est (ut in n. 11 12 45 113 114 cet.).

Neque desunt eiusdem formae quadratae exempla recentiora; semel observavi, quod vitio potius tribuo quadratarii, O latiorem (0,190) quam altam (0,165) in titulo Africano epistylii magni Hadriano a. 137 erecti (CIL VIII 799; nisi ectypum fallit). In scriptura per se admodum lata etiam O paullo latiorem quam altam esse non mirum est; in titulo Hispano saeculi alterius exeuntis lata est 0,058 et alta 0,045 (infra n. 437). Satis vero mature tenuior esse solet, quod ita potissimum fit, ut circulus utrimque crassior fingatur quam supra et infra, eo tamen in universum temperamento, ut crassitudo supra dextrorsum, infra sinistrorsum maior sit (O). In scriptura picta hoc maxime apparet (ut in n. 365 1188—1192).

Raro tantum observavi, crassitudinem lineis quasi parallelis utrimque comprehendi (O), ut in aliquo inter titulos Noniorum Herculanenses (CIL X 1434).

In scriptura picta gracili O infra in angulum acutum desinit (ut in n. 1188—1192; in titulis Africanis saeculi tertii infra n. 683 et quarti n. 698 et CIL VIII 758, aliis), praeterea in titulis quibusdam sepulcralibus Italicis, in Pompeiano (CIL X 1047) et Taurinensibus duobus (CIL V 7090 7171 de quo dixi infra p. 118 in fine praefationis). Initia eius formae monstrat etiam scriptura tenuis titulorum Hispanorum (n. 432 438 660) et Africanorum (n. 457 462 674 677 678 683 698 699 790 791); deinde similis est in titulo Britannico saeculi tertii (n. 653) et in urbanis quibusdam (n. 512 513).

In titulis Gallicis christianis saeculi sexti et septimi ◇ forma angulata satis frequens est (Le Blant *manuel* p. 42); in Britannicis et Hispanis desideratur.

Notum est iam vetusta aetate O saepissime minorem esse multo in scriptura epigraphica quam reliquas litteras (v. Ritschelii opusc. IV p. 705). Durabat haec scribendi consuetudo per imperatoriam aetatem universam, maxime post C litteram, quae ipsa rotunda rotundam minorem facile includebat (cf. n. 32 38 180 254 395 407 413 774 1142), sed etiam post alias litteras (ut in n. 128 190 196 263 378 400 407 574 603 605 606 650 651 751 770 782 793 794 944 1095 1142 1180 1182) neque in fine tantum versus (ut in n. 37 198 407 577 637). Frequentissime in nota consulari COS extat inde ab Augusti aetate (ut in n. 51 et in fastis n. 954—956 963) ad saeculum tertium fere extremum (n. 652) nec minus frequenter in monumentis quam in actis, ut in *tabulis patronatus* a. 27 (n. 867) et a. 260 (n. 880 cf. n. 1095).

Ceterum mansit consuetudo eadem ad infimam aetatem: in titulis christianis Gallicis et Hispanis O minor inde a saeculo fere quinto paene sollemnis est, neque deest omnino in Britannicis.

Altior et maior quam reliquae litterae O paene nusquam est; exemplum singulare praebet titulus Gallicus plus uno nomine singularis (infra n. 393).

15. P

Certissimum est, P litterae formam apertam, ortam illam e vetusta Ր et P, per omnia saecula mansisse habendamque esse iustam et genuinam. Exempla eius componere inutile est; formam vetustam praebent v. c. tituli Aquileienses (n. 23 24 176) et Bracarensis (n. 213), perfectam Pompeiani (n. 113 114 119), Herculanensis (n. 143; adde CIL X 1664 et Campanum CIL X 3956), Puteolanus (n. 149). Varietates minores, quae positae sunt in circulo aut maiore aut minore (minor est in scriptura picta, ut in n. 192 202 224, item cum F simili in tituli saeculi primi Mogontiacensi Bramb. n. 1201), in fine circuli aut acuto aut lato, non curo; ex universa enim scripturae indole explicantur neque certae alicuius aetatis propriae sunt. Forma perquam aperta iuxta frequentiorem, quae circuli finem paene usque ad hastam admovet, in usu mansit saeculo secundo, ut in titulo Germanico (Bramb. 399); tertio, ut in urbano (CIL VI 428); quarto, ut in Ostiensi (CIL XIV 418, ubi caudae finis denuo in circulum rotundatur); quinto sextove, ut in Africano (CIL VIII 879, ubi cauda in lineolam adiectam terminatur P). Ex forma perquam aperta etiam cursiva Ր Ր explicatur (v. Zangemeisteri alphabeta IV 12—14 et Ritschelii opusc. IV p. 710), quae in monumenta raro irrepsit, ut in titulum vetustum sepulcralem ex Sena Gallica (CIL I 1043) et in urbanum (CIL VI 15876), distinguenda illa a similibus F litterae formis (supra p. LVII).

Tamen ut iam liberae rei publicae aetate in monumentis paucis, excepta lege Puteolana (infra n. 1072, v. Ritschelii opusc. IV p. 341), in glandibus plumbeis (Ritschl p. 345), in tesseris fortasse non ante Augusti aetatem (Ritschl p. 651) forma clausa observata est, ita minime mirum, aetate quoque imperatoria eam reperiri aut incuria quadratariorum ortam aut ex exemplis male intellectis et imperite repraesentatis. Sed exempla P clausae ubique rarissima sunt nec facile omnino saeculo secundo antiquiora. Accedit quod utrum vere clausae sint an spatio minimo tantum interposito apertae in scriptura minus curiosa interdum vix distinguitur, quod infra (p. 159) adnotavi de titulo urbano Severi et filiorum (CIL VI 1039) et de Britannico (n. 419). Clausa est vel paene clausa in titulo Tolosano, cuius scripturam singularem saepius memoravimus (infra n. 186); deinde in saeculi tertii ineuntis miliario Pannonico (n. 584), in exeuntis sepulcrali urbano (n. 521); in eiusdem aetatis Castronovano (n. 545); in Aquincensi saeculi quinti (n. 774). Vidi P clausam praeterea in titulo urbano imperatoris Philippi (CIL VI 1098), in Ostiensi Mithriaco iuxta apertam (CIL XIV 62), in sepulcralibus urbanis quibusdam (ut in CIL VI 15282 et in *Q. Medici* alicuius *Aug(usti) lib(erti)* male scripto necdum in CIL edito), in Puteolano *Caracallae* (CIL X 1654, ubi ter haec forma repetitur), cum eiusdem imperatoris basis indidem proveniens apertam habeat (CIL X 1653), in saeculi tertii quartique titulis quibusdam Africanis (CIL VIII 758 4510 5331 5363). Parisiis in museo bibliothecae publicae littera P extat ex aere facta nescio ubi reperta (servatur in armario medio numeroque signata est 3857): clausa est, sed affabre facta et saeculi fortasse secundi ineuntis. Minus certa sunt exempla infra proposita Gallica (n. 602 604) et Britannica (n. 420 649 650 651). Num vere clausa fuerit non satis certo diiudicari potest in titulo *arcus Constantiniani*: cava enim tantum litterarum olim ex aere incrustatarum supersunt, quae solent litteris evulsis latiora fieri omninoque mutari (n. 702); clausa aperte est in *columnae Phocae* titulo (n. 729).

Aliquanto frequentiora quam alibi P clausae exempla in Germaniis extant. Exhibui exemplum unum saeculi primi ad finem vergentis (infra n. 400); reliqua saeculi sunt secundi tertiique (ut n. 1181 1183). In epitaphiis magnis militum Mogontiacensium saeculi primi formae vel clausae vel paene clausae apertis aliquotiens admixtae sunt (ut in titulis Bramb. 1057 1158 1167 1169 1171 1180 1212). Saepius et maiore constantia redeunt titulis in saeculi secundi exeuntis tertiique partim neglegenter et rustice scriptis (ut Bramb. 163 762 993 1107 1130 1140 1243 1330 1446 1459 1464 1471 1601 1788 1835 2061), deinde in tegulis legionariis, et in scriptura actuaria minus curata, veluti in *edicto Diocletiani* (n. 1097). Minime autem exempla haec regulam evertunt eam, qua Romani P apertam fingi voluerunt ubique tam in monumentis quam in actis; id quod perperam videtur sibi persuasisse Munierius (p. 20).

In titulis christianis Gallicis et Hispanis P solet clausa esse; in Britannicis aliquotiens infra versum descendit (Inscr. Brit. christ. p. 98). Haec forma cum hasta infra curvata P in scriptura unciali eleganti titulorum Africanorum adhibetur (n. 1147 1148). Sed aperta est; et apertam formam etiam vulgaris scriptura quamvis neglegens solet servare (cf. infra n. 1169).

Formam P litterae cum cornu capitis sinistro admodum longo Marinius (Arv. p. 418) duobus exemplis probavit; ego nullum vidi. Sed in scriptura picta saeculi tertii in Hispania et Africa potissimum usurpata P interdum ita P formata est, similiter atque R; ut in titulo Cordubensi a. 238 (Ephem. epigr. III p. 36 n. 15).

Interdum etiam, similiter ut in T littera, magnus et latus pes hastae additur P, ut in titulo christiano Africano saeculi quarti quintive (CIL VIII 791).

Semel circuli cauda hastam transit in titulo Italico saeculi fere tertii (infra n. 565); sed casu puto.

Rarius multo quam F et T, sed tamen interdum P longior est quam litterae reliquae, praesertim initio versus (ut in n. 389 1143; cf. CIL X 3956); in medio versu, sed primo tituli, ita extat in titulo Hispano (n. 212).

P angulata (v. Ritschelii opusc. IV p. 715) in inscriptionibus aetatis imperatoriae vix extat, nisi ubi materiae indoles quadratarium impedivit (ut in n. 946).

P cum hasta supra eminente scripturae titulorum Galliae christianorum saeculis quinto ad sextum propria est (Le Blant *manuel* p. 41).

16. Q

Q litterae forma vetustior ex origine Graeca (v. Ritschelii opusc. IV p. 536 719, adde vasculum Ardeatinum *Bullett. dell' Inst.* a. 1882 p. 72) caudam rectam retinuit e dextra circuli parte exeuntem nec multum infra versum descendentem (ut in n. 2 23 43 155 866 et in multis aliis titulis saeculi primi). Sed mature, i. e. inde fere a saeculo primo ineunte, cauda similiter atque reliquae litterarum particulae curvata est et longius producta tam in monumentis (ut in n. 9 36 73 118 347 387 393; adde titulos *Scorpi* urbanum aetatis Domitiani CIL VI 10052, *Q. Glitii Agricolae* Taurinenses CIL V 6979, Germanicos Bramb. 435 1228, Africanos CIL VIII 6965 6981 7030, Hispanum CIL II 1064, alios) quam in actis (ut in n. 799 802 819 892 1033 1041). Sed etiam posteriore aetate forma illa usurpabatur, ut in titulo Gallico saeculi tertii (n. 604) et in Puteolano saeculi quarti extremi (n. 761; cf. infra n. 1137). Rarior est cauda brevis vel recta vel paene recta, ut in titulo Hispano aetatis Hadrianae (n. 435), in urbano epistylii magni aetatis Severi (n. 469), in sepulcrali urbano saeculi quarti (n. 552), in Africanis saeculi tertii (n. 680 694), in Salonitano saeculi quinti (n. 425). Brevis, sed curva (cuius formae etiam vetusta exempla sunt, v. Ritschelii opusc. IV p. 701; cf. n. 1036 protome *Q. Hortensii*) est in titulo *arcus Severi* (n. 465), in urbano sacro saeculi tertii (CIL VI 48), in Ostiensi (n. 528), in Salonitano sepulcrali (CIL III 2127*a*), in Germanicis (Bramb. 1130 1728 1738, in his duobus praeterea etiam forma longius caudata est, 2061), Hispanis (ut n. 1192), Africanis (CIL VIII 9041 9062) aetatis eiusdem fere omnibus, in Concordiensi saeculi quarti exeuntis (n. 764), in Gallico saeculi septimi (n. 777).

In scriptura actuaria Q caudas habere solet longiores (ut in n. 1084), etiam aetate recentiore, ut in *actis Arvalium* a. 238 (n. 1032).

Admodum raro cauda curva a circulo paene medio recta regione descendit, ut in titulo urbano *Tranquillinae* (n. 504) similiterque in Hispano picto (n. 1191) et Africano item saeculi tertii litteris pictis nitide scripto (infra n. 1142; cf. CIL VIII 908). Rarius sinistrorsum cauda vergit, ut in urbano saeculi quarti extremi (n. 742); nam casu accidit, ut similis Q evaserit aliquotiens in scriptura actuaria incuriosa legis Ursonensis (n. 805 *c e*). In Africano saeculi sexti a parte sinistra cauda incipit, sed dextrorsum vergit (n. 795).

Rara alioquin est Q forma cum cauda introrsum tantum versa titulorum Galliae christianorum a quinto ad septimum saeculum (Le Blant *manuel* p. 42).

Q. Cursivae scripturae propria est Q infra aperta, cuius cauda cum circuli linea dextra in unam coaluit. Ea in titulos raro irrepsit; sed extat in urbano a. 244 (infra n. 505) et in saeculi item tertii sepulcrali (infra n. 1166), neque vero offendit in scripturae vulgaris testibus epigraphicis (ut n. 1169).

Forma Q aperta etiam in titulis aliquot Hispanis christianis extat (Inscr. Hisp. christ. n. 33 142 165).

q Q. Huic proxima est Q uncialis, cuius linea dextra cum cauda rectilinea est aut recte deorsum descendens aut oblique (v. infra n. 1147 1148). Prioris formae exempla praebent tituli christiani non pauci saeculi quarti quintique urbani (ut apud Rossium inscr. christ. a. 391 n. 879 et *Roma sott.* I tab. XIX 4) et Africani saeculi sexti (ut n. 796); alterius exempla praebent tituli uncialibus litteris scripti (infra n. 1150 et sepulcralis urbanus CIL VI 15185 et Atticus CIL III 558). Uncialis curvata mirae formae est in titulo christiano urbano saeculi quarti (apud Rossium inscr. urb. christ. p. 37 n. 38). Etiam in titulis Britannicis christianis forma haec saepius extat (Inscr. Brit. christ. praef. p. XX), Gallicorum haec q similis est (Le Blant *manuel* p. 41).

Raro Q littera initio versus maior est quam reliquae, ut in tabula patronatus a. 55 (n. 870).

Incuria tantum quadratariorum cauda omnino omissa est, ut Q ab O non distinguatur (v. Marinium Arv. p. 827); exemplum praebent titu-

lus Dacicus saeculi tertii (infra n. 592) et nonnulli Germanici (ut Coloniensis sepulcralis a Brambachio nondum editus, in quo bis OVANDAM [sic] legitur pro *quondam*).

17. R

R litterae proprietas in duabus rebus sita est: primum in partis superioris mensura cum inferioris comparata, similiter atque in B, deinde in caudae vel brevioris vel longioris, vel rectae vel curvae forma et cum parte superiore coniunctione.

Pars superior in scriptura monumentali vetustiore aetatis imperatoriae, ut in liberae rei publicae, ad mediam hastam deducitur circulo amplo (veluti in n. 1 2 3 23 24 25 29 32 33 45 50 61 62 78 112 113 114 208 cet.); lineae eius forma angulata (de qua vide Ritschelii opusc. IV p. 707) nusquam nisi mera incuria adhibita est (ut in titulo barbaro Gallico n. 37). Aetate procedente cum reliquis litterarum formis gracilioribus circulus aliquanto minor fit et paullo supra mediam hastam terminatur (ut in n. 8 12 18 31 39 52 53 143 cet.).

Cauda in titulis antiquioribus prope hastam oritur nullo vel minimo spatio interiecto, atque recta est; interdum, ut in vetustissimis, paullo brevior fingitur (veluti in n. 33 40), aetate posteriore spatio tantum deficiente (ut in titulo Germanico saeculi fere tertii Bramb. 914 v. 1; vide Munierii tab. XI 6) aut propter incuriam (ut in titulo Africano a. 283 CIL VIII 2530 et in Salonitano a. 425 infra n. 773). In universum ubique ad versum descendit (ut in n. 1 2 3 8 18 23 24 39 40 41 45 50 52 61 cet.). Deinde vero cauda leniter curvatur (raro vero ita ut in titulo Tolosano n. 186 et in Britannicis n. 417 418), quod ex pictis exemplis potissimum explico (ut in n. 5 6 9 12 15 16 26 29 32 34 44 46 47 48 49 51 53 54 100 112 113 114 140 cet.). In scriptura picta et vulgari ornata pes caudae lineola addita augetur (ut in titulo Tolosano n. 36) aut infra versum deducitur (ut in titulo Castronovano a. 305 (n. 753) et in scriptura actuaria in rubricae littera, quae est in lege Malacitana (n. 808). Saepius hasta R litterae infra versum deducitur et sinistrorsum curvatur, quod scripturae cursivae proprium est (v. Zangemeisteri alphabeta II 3 4 III 1 4 IV 2 10 11) sed etiam in monumentis occurrit (ut in n. 440 1154 1157 1166 1168 1173 1175; adde titulum urbanum in villa Albania *Valeriae* alicuius *Mercurialis* Visconti p. 301 197, aram Mediolaniensem CIL V 5681, titulum Sardum CIL X 7893 et Hispanum a. 238 Ephem. epigr. III p. 36 n. 15). Rarum est, quod hasta recta descendit et in pedem terminatur infra versum, ut in epistylio Pompeiano in *Frontonis* vocabulo (CIL X 896).

Cauda saepe oritur dextrorsum ab hasta remota ita, ut spatium vacuum relictum sit inter circuli superioris finem et hastam, ut in titulis Brixiano et Aquileiensi vetustis (n. 17 24), in Gallicis (n. 31 36 37) et Hispanis (n. 40), in saeculi tertii monumentis quibusdam, urbano (CIL VI 1071), Eporediensi (n. 559) et Gallico (n. 603), item in Africano magno saeculi secundi (CIL VIII 755), in Coloniensi aliquo litteris magnis scripto saeculo secundo (Bramb. 420 *h*) aliisque quibusdam Germanicis (ut Bramb. 1595, ubi semel extat, bis iuxta adhibita est forma regularis, 1172 al.). Formae eius, in qua cauda in circuli superioris cum hasta coniuncti parte dextra incipit, exempla frequentia sunt (ut n. 29 45 49 50 52 53 cet. 112 113 114; Germanica composita sunt in Munierii tab. IX 1—5, quibus multa addi possunt).

Quae praeterea observari possunt varietates in R litterae formatione, in circuli rotunditate et crassitudine superne aucta in scriptura picta (ut in n. 365 1188 1189 1191 et in urbano saeculi tertii CIL VI 428), in caudae ductu et pede, qui interdum basi addita firmatur (ut in titulo Laudensi saeculi primi n. 168, in urbano saeculi quarti n. 703, in picto aliquo Comensi *C. Maximieni Crescentionis* nondum edito), eas omitto persequi; provincialis potissimum incuriae testimonia multa sunt (ut in Germanicis Bramb. 724 891 1163 1711 1927 al.).

In scriptura vulgari hasta non raro infra versum descendit sinistrorsum flexa, ut in F H B P; vide titulos urbanos (infra n. 1155 1158 1167 1169) et Misenensem (n. 1176). Similiter in scriptura unciali formatur (infra n. 1147 1148 1151 1152).

Casu interdum linea curva comprimitur, ut R similis A litterae fiat (ut in n. 484 1179 1180); de qua forma dixit Marinius (Arv. p. 681), qui etiam R interdum supra apertae et H litterae similis exempla aliquot profert mihi non visa. Si cauda paullo magis quam debet introrsum curvatur, similitudo cum B littera existit, quae observata est in titulo militis urbano saeculi tertii barbare scripto (CIL VI 2638). Interdum, quod in B quoque observavimus (supra p. LV), caudae initium a circulo superiore divisum est et paullo infra ex hasta oritur R; ut in titulo Africano saeculi quarti quintive nitide scripto (CIL VIII 758).

In scriptura cursiva non raro linea curva cum cauda in unam rectam coalescit, ut forma A litterae sine linea transversa similis evadat (v. Zangemeisteri alphabeta III 2 IV 4 10), et ab hasta spatio interiecto separatur (alphab. IV 5—9 12 13). Haec quoque scripturae cursivae forma in titulos aliquotiens se insinuavit vulgariter omnino scriptos (ut n. 1153 1175 1198); eadem forma est in titulis Bellunensi, ut videtur (CIL V 8804 p. 1068), Gallico (CIL XII 2895), Africano (CIL VIII 281).

In titulis Britanniae christianis P- P- Γ formae R litterae extant (Inscr. Brit. christ. p. 98), in Gallicis |R cum hasta eminente supra et infra (Le Blant *manuel* p. 41).

ᴙ sinistrorsum versa omissa hasta (ς) in fine versus pro R extat in titulis Dacicis duobus (CIL III 1640 cf. *archaeol.-epigraph. Mittheilungen aus Oesterreich* I 1877 p. 126 et *epigraph. Nachlese zu* CIL III in actis acad. Vindobonensis a. 1874 p. 399).

Casu P pro R scripta est in titulo sepulcrali Catinensi saeculi secundi tertiive (CIL X 7071).

18. S

Nulla fere littera tanta per saecula omnia constantia efficta est quam S. Nam formae vetustae angulatae ＄ (de qua vide Ritschelii opusc. IV p. 701 720) nulla omnino nisi fallor aetate imperatoria (vetustus enim est titulus Bovianensis CIL IX 2782; cf. etiam S iacens in Falerionensi CIL IX 5462) reperiuntur exempla, excepto titulo plumbo inscripto (n. 946). Etiam Σ graeca quadrilinea, si modo unquam fuit vetusta aetate recepta inter litteras Latinas (v. Ritschelii opusc. IV p. 701), semel tantum observata est in titulo militis urbano barbaro saeculi tertii (CIL VI 2638). Praeterea S littera aequabiliter ita formata est, ut pars superior inferiori aequa sit; raro et casu magis quam consilio superior maior est (ut in n. 18 143 168 176 201 208 239 396 905). Miram in titulis Germanicis multis S litterae aequabilitatem Munierii tabulae (IX X) demonstrant. In scriptura vetustiore littera lata est (ut in n. 33 175 220). Interdum caput aliquantum prostat versus dextram, unde situs totius litterae obliquus fit (ut in n. 172 190 213 246). Forma vero perfecta aequabilis est supra et infra (ut in n. 113 114 149); in scriptura picta vel pictae simili linea curva supra et infra tenuior fit (ut in n. 137 187). Raro pes infra versum descendit (ut iam in n. 67), praesertim in pictura picta gracili ad cursivam vergente (ut in n. 458 514 674); tituli aliquot 'litteris rudibus et pravis' scripti, ut ara Mediolaniensis saepius iam memorata (CIL V 5661), hanc formam habent. Rarius elegantia quadam una cum A infra versum descendente S in titulis aliquot Africanis saeculi secundi exeuntis pede omnino caret (n. 461). In saeculi tertii aliquot urbanis caput cornu longiore ornatum est (n. 488 489).

Raro S altior est quam reliquae litterae, initio potissimum versus, ut in titulo Gallico (n. 384) et in Hispano (CIL II 1437), etiam in actorum scriptura (ut in n. 816 817 868); ubi capitum initia omnia litteris maioribus scribuntur, ut in legibus Salpensana (n. 807) et Malacitana (n. 808), S quoque longiorem esse consentaneum est. Raro etiam medio versu (ut in n. 498 et 657) aut in fine vocabulorum S longa reperitur (ut in n. 192 250 et in titulo Hispano nondum edito, in quo LEVIS legitur).

Iam in scriptura barbara vulgari S admodum tenuis est, ut in titulis Gallicis (n. 31 35 37); item in scriptura gracili picta (ut in n. 365 425 430 431 432 438 462 1189 1190 1192). Inde / illa gracilis hastae simplici obliquae interdum similis ex scriptura cursiva nota (v. Zangemeisteri alphabeta II 3 III 3 IV 8 10 11 12) in titulos vulgaribus litteris scriptos inlata est (ut in n. 1161 1169 1175) et in Africanos

(CIL VIII 4786 7327). Extat haec forma etiam in titulis ad uncialem scripturam vergentibus (ut in Attico CIL III 558 et in urbano CIL VI 12086; v. infra n. 1146).

c Graeca lunata pro s posita est in titulis quibusdam graecissantibus Neapolitano (CIL X 2442) et Siculo (CIL X 7072 cf. 7114). Mero errore NATVC pro *natus* scriptum est in miliario Iuliani (CIL IX 6043).

ſ in titulis christianis Gallicis obvia est (v. Le Blant *inscr. chrét. de la Gaule* n. 467 cf. *Bulletin épigr. de la Gaule* III 1883 p. 31); in Britannicis s infra versum producta, ꞩ angulata, in recentissimis ſ uncialis extant (Inscr. Brit. christ. p. XX et 98); in Hispanis forma communis obtinet interdum altior superne (Inscr. Hisp. christ. n. 169 170).

ƨ. Prona videtur fuisse s litterae forma, id quod hodie quoque in eius usu observare licet, ad collocationem inversam, iam in vetusta ‹ forma obvia (v. Ritschelii opusc. IV p. 716). Habent ƨ inversam titulus barbarus e Gallia cisalpina (n. 20), vetustiores Gnathinus (CIL IX 6174), urbanus (CIL VI 8492), Africanus (CIL VIII 10682); deinde christiani (Rossi *Roma sotterr.* I tab. XXIV et CIL VI 10029). Praeterea consentaneum est in signaculis tegulis (ut CIL III 1628 1629 1-24) massis plumbi (ut infra n. 1207) eam saepius deprehendi; ubi enim scriptura reliqua sinistrorsum versa scribenda erat, s incuria scribentis dextrorsum directa interdum remansit.

19. T

T littera aetate imperatoria eas tantum praebet varietates, quae ex universa scripturae indole consequuntur quasi necessario. Scilicet aetate vetustiore linea transversa non nimis brevis est, recta, cornibus aut carens omnino, aut minusculis tantum instructa (ut in titulis Pompeianis n. 113 114 115 137). In titulo Tolosano (n. 36) atque interdum aetate posteriore cornua haec maiora sunt (ut in n. 244 296 310 470 474 489 492 524 598 602 604 719 773; adde titulum Mogontiacensem saeculi primi Bramb. 1189, cuius T Munierii tabula XI 4 exhibet).

In scriptura picta linea transversa leniter curvatur et interdum sursum ascendit parte dextra iam saeculo primo, ut in titulo Attico aetatis Augustae (n. 185), deinde in saeculi primi Pompeianis et Herculanensibus (n. 135 136 139 141 142 144), Gallicis (n. 187 192 384), Hispano (n. 228), Africanis (n. 232 233). Haec forma scripturae actuariae propria est (v. n. 238 *c* 800—809 813 ss. 867 868 870 873—876 881 882 912 916 929 932 943 948 949 959 966 983 ss.), unde etiam in cursivam transiit (v. Zangemeisteri alphabeta II 3 III 13 IV 1 9). Ubi in eodem monumento scriptura monumentalis et actuaria iuxta adhibitae sunt, etiam utraque T litterae forma extat (ut in n. 238 970). Inde a saeculo altero cum reliquis eiusdem generis formis E F I L frequentior est etiam in titulis, ut in urbanis (n. 290 291 293 317 321 323 326 327 471 472 476 477 478 484 485 486 488 489 490 491 494 495), Italicis (n. 340 342 346), Britannico (n. 419), Hispanis (n. 425 430 431 432 438 440 441 442; adde CIL II 1262 alioquin incuriose scriptum), Africanis (n. 449 458 460 462 463), in Samothracio a. 125 (Ephem. epigr. III p. 53 n. 112); adde vulgares (infra n. 1154 1157 1164 1166 1172 1173 1176 1187). Saeculo tertio quartoque tam frequens est, ut exempla enumerare supersedeam, duravitque haec forma usque ad infimam aetatem, ubi interdum eleganter ornata est (ut in titulo Africano saeculi septimi CIL VIII 2389) et pedem quoque habet latum cornibus additis (ut in Africano christiano saeculi fortasse quinti CIL VIII 791). In scriptura picturam proprie imitante linea transversa admodum brevis est et saepe in caput crassum coartatur (ut in n. 365 1174 1188—92). Ex forma hac picta illud quoque observandum est, quod multi (ut Marinius saepe et Ritschelius opusc. IV p. 708) observaverunt, T interdum lineam transversam habere tam brevem, ut ab I littera vix distinguatur (velut in titulis n. 449 462 505 1036 1158).

Ƭ. Raro linea transversa a sinistra ad dextram descendit; ut antiquitus (v. Ritschelii opusc. IV p. 716), ita posteriore quoque aetate casu magis videtur haec forma orta esse in actis (ut in n. 829 840 841 855 856) et in titulis quibusdam incuriose scriptis (ut in urbano sepulcrali CIL VI 15876).

Ī. Linea transversa casu interdum in scriptura actuaria neglegenti spatio interposito seiuncta est ab hasta (n. 835 861).

Γ. Linea transversa dextrorsum tantum ducta Γ (ut in actis aetatis liberae rei publicae incuria interdum scribitur, v. Ritschelii opusc. IV p. 701, et semel in titulo Trebulano CIL IX 4933 = CIL I 1350 PLME tab. LXXIX *A* v. 6) in titulis aetatis imperatoriae quantum scio non extat.

Ꞁ. Sed extat in titulo sepulcrali Pannonico saeculi secundi tertiive haec forma (*archaeol.-epigraph. Mittheilungen aus Oesterreich* I 1877 p. 159) alibi quantum scio nondum observata.

Saepissime ut spatio parcatur T littera supra praecedentem sequentemque prominet. Inde a saeculo septimo ineunte exempla eius usus quaedam nota sunt (v. Ritschelii opusc. IV p. 94 379); aetate imperatoria frequens est ille usus, ut docent exempla omnium regionum a saeculo primo, quo frequentissima videntur esse (n. 15 29 32 65 70 117 120 124 127 128 135 144 148 157 161 164 177 183 186 194 195 206 210 211 214 215 231 236 246 331 334 1113 1114) — etiam in actis, ut in *Arvalium* a. c. 100 (n. 1004 cf. n. 1084 1099) — ad secundum (n. 330 379 385 404 434 440 456 1105), tertium (n. 536 673 676 678 679 684 687 696 1135), quartum quintumque (n. 719 722 727 750 756 772 779 790 791 1143), ita tamen, ut a tertio fere saeculo rarescere incipiant. Exemplorum praeter in hoc volumine repraesentata copia est tanta, ut singula memorare supersedeam.

ፒ scripturae uncialis forma (v. infra n. 1146) in titulis christianis Britannicis aliquotiens observata est (Inscr. Brit. christ. praef. p. XX); in Hispanis infimae aetatis haec Ͳ extat (Inscr. Hisp. christ. n. 34 128).

20. V

In V litterae forma in universum admodum constanti variatum est in situ anguli, qui in forma iusta et perfecta, qualem exhibent inter alia monumenta Pompeiana (n. 112—115) medius est inter hastarum duarum capita, interdum vero paullo magis dextrorsum cedit (v. Ritschelii opusc. IV p. 717); exempla praebent tituli aliquot Germanici saeculi primi (ut n. 203 et Bramb. 1197). Inde hasta prior longior fit, cuius iam saeculo primo ineunte testimonia habemus ex pictis exemplis explicanda in Sena Gallica repertum (CIL I 1043), Parmense (CIL XI 1102), Pompeianum (n. 129), Hispana (n. 214 866), Gallicum (n. 193 ubi VM ita coniuncta sunt). Recentioris aetatis sunt urbanum saeculi tertii (n. 498) et Gallicum (n. 606). Cum hoc discrimine levidensi sane, sed quod tamen percipiatur, illud cohaeret, quod prior hasta iam antiquitus (ut in n. 114) solet paullo crassior esse quam altera. Etiam in scriptura actuaria forma haec non rara est (ut in n. 805 807 808 *a* v. 2, ubi spatium caudam praelongam esse permittit, 899). Contra spatio deficiente hasta altera brevior est: prior in titulo Pompeiano (n. 139), posterior in Gallico (n. 602, ex qua forma alibi nexus ꞩ ortus est, de quo vide infra).

In titulis Hispanis duobus saeculi tertii hasta altera altior est et curva √ (n. 660 662).

Raro angulo infra pes additur, ut in titulo Germanico saeculi secundi (n. 400), aut cornua duo, ut in urbano saeculi quarti extremi (n. 743).

Y. Angulus interdum altiore loco positus in lineam rectam desinit, ut Y litterae forma existat. Iam in titulo urbano sepulcrali satis vetusto haec forma observata est; ego titulum non vidi (CIL VI 6021): vidi alios saeculi fere secundi (CIL VI 12096 15282) graecissantes, ut graecissant ara Silvani urbana a. 108 (CIL VI 680), tituli militum sepulcrales saeculi fere secundi Aegyptii (infra n. 370 et Ephem. epigr. II p. 288 n. 330), item *Maryllus* forma in titulo urbano saeculi secundi exeuntis (infra n. 305), in aliis *lyntrarius* (CIL VI 9531), et fortasse etiam *contybernali* (CIL VI 11273), *Eytyxianus* (CIL IX 2015), *Fyrmus* (CIL VI 18833 19063), alii.

U. Praeter titulos barbaros (ut CIL III 151) forma V littera infra rotunda, uncialis scripturae propria, extat in titulis incuriose scriptis saeculi alterius exeuntis tertiive urbanis (CIL VI 2457, semel in vocabulo ultimo, CIL VI 12086 15185; CIL VI 17667 'litteris pessimis', quem vidi, in vocabulo AUXILIARIS; adde fragmentum musei Vaticani ineditum ita TABUL·AUDOCTIS inscriptum), in Puteolano (CIL X 2417 septiens, i. e. constanter), in ara Mediolaniensi (CIL V 5661), in titulo Hispano (CIL II 1146 item constanter), in Africanis saeculi tertii quartique (CIL VIII 684 6970 8116). In titulis deinde omnino scriptura unciali scriptis sollemnis est (v. infra n. 1146 1147 1149 1150 1153 et supra p. XXXVIII).

Sed carmina quoque aliquot voluminum scripturam imitantia saeculi quinti forma illa utuntur constanter, ut urbanum fortasse *Vettii Agorii Praetextati* (Ephem. epigr. IV p. 299 n. 866) et Dalmatinum *Principii* alicuius (CIL III 6414 p. 1035).

Ч. In scriptura saeculi quarti exeuntis quintique forma rotunda hasta altera infra lineam deducta ad Y litterae formam accedit. Exempla praebent titulus urbanus *Ragonii Venusti* a. 390 (n. 741) et Africanus *Arpagii* eiusdem fere aetatis (n. 792). Eandem vidi in titulis quibusdam Africanis (CIL VIII 870 9282 qui est a. 351 ad 354); habentque similem, non prorsus aequalem U urbani aliquot christiani annorum 370 ad 375 (Rossi inscr. christ. urb. p. 110 n. 215 225 p. 224 n. 262 p. 285 n. 425). In titulis christianis Gallicis Britannicis Hispanis Ч U U formae iuxta usurpantur (Le Blant *manuel* p. 42 Inscr. Hisp. christ. n. 29 31 100 158 Inscr. Brit. christ. n. 29 106 108 230).

Ⅎ. Litterae Claudianae exempla quae proposui duo (n. 105 135) hic memoranda sunt (cf. CIL IX 4897 5686 5973 CIL X 3105).

21. X

X littera (de numero infra videbimus) non magnas in scriptura epigraphica aetatis imperatoriae varietates perpessa est. Formae vetustae + (quae est in titulo ad lacum Benacum reperto CIL V 4010 = CIL I 1434) nulla supersunt vestigia. Forma vetustior rigida est, angulo in media littera sito, capitibus aut nullis aut exiguis, raro latior et quadrata (ut in n. 75 225 329 378 616 619 762 769), saepius angustior et gracilis (ut in n. 32 37 53 54 88 91 123 146 219 242 244 247 250 288 295 313 382 387 395 396 398 416 429 466 468 539 555 561 611 627 629 702 724 729 734 750 770 774).

Hastae aliquantulum curvantur in scriptura neglegentiore (ut in n. 202 234 278 390 451 452 464 514 542 628 636 730 785 794) et in picta et actuaria (n. 228 292 321 371 425 430 442 449 476 488 498 499 500 537 594 662 671 704 738 775 776 792), cuius curvaturae iam initia percipiuntur in rectilineis quibusdam (ut in n. 48 49 77 138 197 211 212 218 305 434 532 689). Formae vetustioris exempla perfecta praebet titulus *Augusti* urbanus (n. 52), recentioris et elegantioris, in qua hasta prior paullo crassior est quam altera, *Traiani* (n. 265). Haec maior prioris hastae crassitudo etiam in aliis titulis clare conspicitur (ut in n. 274 275 320 331 356 363 408 527 534 602 699 768). In aetatis Diocletianae monumentis quibusdam capita et pedes admodum largi sunt (n. 512 513).

Vitia sunt, quod interdum pedibus infirmis stat (ut in n. 399 400 409 435 700 701), aut supra maior evasit quam infra (n. 421 597 968).

In scriptura actuaria saepe ad quadratam formam magis accedit (ut in n. 450 800 805 813 ss. 865 866 897 898 948 949 984 1169 aliis).

X. In scriptura elegantiore picta altera hasta supra versum producitur et saepe curvatur (ut in n. 142 277 379 380 447 462 478 494 600 630 647 703 1053 1142 1193); in titulis quibusdam Hispanis saeculi tertii forma haec frequens est (ut in CIL II 1146 et Ephem. epigr. III p. 36 n. 15). Huic formae similis est x titulorum christianorum Hispanorum, de qua dixi in praefatione syllogae inscr. Hisp. christ. (p. XIII).

X. In scriptura actuaria hasta altera interdum infra versum deducitur (ut in n. 807).

22. Y

Y littera antiquitus (nam liberae iam rei publicae aetate hic illic Graecam litteram adhibitam esse constat) rectilinea est (ut in n. 5 161 p. 170 521 522); sed mature lineae superiores aliquantum curvantur (ut in n. 114 121 279 305 402 481 497 747 776 777 894).

Admodum parvae sunt lineae transversae, ut Y similis sit T vel I litterae, in titulo urbano subrustice scripto saeculi tertii exeuntis fere (n. 520). In titulo christiano Hispano saeculi sexti haec Ͳ forma est (Inscr. Hisp. christ. n. 115).

Cum T littera illud commune habet Y, quod forma ipsa eo ducebat, ut pars eius superior supra litteras vicinas efferretur. Exempla omnium aetatum Y longae extant numerosa (ut n. 177 192 255 345 439 498 519 680 722 736 775 1129); adde titulos Samothracios (CIL III 720 et infra n. 1092), Nucerinum (CIL X 779), Hispanum Cordubensem nondum editum *Actiae mul(ieris) lib(ertae) Phyrrice*, Africanum (CIL VIII 9041).

Ͱ. Litterae Claudianae quae Y vices facit exemplum unum infra proposui urbanum (n. 93; cf. praeterea CIL IX 5686 CIL X 2895 6638 saepius).

23. Z

Z Graeca quamvis vetustissima tamen ultimis demum rei publicae liberae temporibus denuo, ut notum est, in usum recepta formam unam eandemque paucissimis exceptis servavit ab usus initiis ad ultimam aetatem; ut docent exempla saeculi primi ad quartum infra proposita (n. 450 732 874). Raro et incuria magis quam consulto interdum lineae transversae supra angulum producuntur: Z (ut in tabula patronatus neglegenter scripta a. 65 n. 871); aut Z (ut in n. 1156; idem vidi in titulo sepulcrali *Q. Remmii Ianuarii* alicuius in Villa Albania in *Zete* nomine, apud Marinium *iscr. Alb.* p. 123, 129); rarius hasta media recta est vel paene recta (ut in sepulcrali urbano CIL VI 12953); inde forma ℷ fortasse explicanda, quam habet titulus sepulcralis urbanus musei Neapolitani (CIL VI 15639). In scriptura minus accurata linea superior in altum erigitur (ut in titulo Africano CIL VIII 2505); interdum in scriptura gracili lineae transversae ambae superior et inferior brevissimae sunt (ut in tabula patronatus a. 322 n. 883). In scriptura ornata lineae transversae curvantur Z (ut in titulo Salonitano CIL III 2092).

Ƶ. Interdum hasta media linea transversa tertia secatur; vidi hoc in titulis quibusdam Germanicis saeculi primi (Bramb. 742) et secundi tertiive (Bramb. 452), item in tertii Africano (CIL VIII 9047).

Ƶ. In miliario *Diocletiani* Africano in nomine oppidi Equizeti Z littera hastam habet bis curvatam cum linea transversa (CIL VIII 10430).

Σ. Errore inverse posita est Z littera in titulo Aquincensi saeculi fere tertii (CIL III 6455).

In fine alphabeti Latini illud breviter videtur memorandum esse, a plebe semigraeca urbana aliarumque regionum litteras interdum Graecas admixtas esse Latinis, titulos integros Latinos scriptos esse litteris Graecis et Graecos Latinis. Ita AGAPHTVS est in urbano sepulcrali bilingui saeculi fere secundi (CIL VI 9829), HYAAS in aequali item urbano (CIL VI 12527). Latini sed Graecis litteris scripti sunt tituli urbani sepulcrales aliquot (ut CIL VI 10939 11933 et tegulae magnae CIL VI 16621), Surrentinus saeculi fere tertii (CIL X 719), Veliternus (CIL X 6608), Lusitanus nondum editus, alii. Contra litteris Latinis adscripti sunt titulis urbanis sepulcralibus versiculi Graeci (veluti CIL VI 10889 11695), acclamationes et formulae, veluti *zeses* et similia multis, quos non enumero. Inter bilingues etiam sunt, qui Graecam et Latinam litteraturam in eisdem versibus misceant (ut Poetovionensis CIL III 4075). Litterae Graecae

Haec sufficient de litteris Graecis adhibitis in titulis Latinis; apparet exigui momenti usum fuisse neque unquam admissum, ut consentaneum est, in titulis accurate et perite sculptis. Quod fuerunt qui sibi, non aliis, persuaserint.

II

NEXVS LITTERARVM

Inde fere a saeculo urbis sexto medio in nummorum titulis propter spatii inopiam litterae duae vel plures in unum quasi elementum coniunguntur; ut ᴠᴇ in nummo Venusinorum (CIL I 26, quod videtur exemplum antiquissimum esse), ᴍᴇ *Metel(lus)*, ᴇ·ᴏᴍᴘ *L. Pomp(oni)*, similia (v. indicem eorum in CIL I p. 611). Vetusta aetate nexus illi in titulis omnino non reperiuntur; incipiunt a septimo fere urbis saeculo atque in fine potissimum versuum spatio deficiente adhibentur, ubi etiam litterae reliquis minores non raro effinguntur eandem ob causam. Ita ᴍᴇɪᴠs extat in titulo Falisco (CIL I 1313 PLME tab. LIX *B*), ᴠᴇɴᴇʀ in Bovianensi (CIL IX 2569 = CIL I 1275 PLME tab. LIX *E*), ᴀᴇ in Campano (CIL X 3779 = CIL I 566 PLME tab. LXIII *D*), ᴀᴇᴠᴀ in Beneventano (CIL IX 1837 = CIL I 1220 PLME tab. LXXIX *B*). Alia eius generis in reliquis titulis eiusdem aetatis Campanis, praesertim in cognominibus scribendis, adhibita sunt (CIL X 3778 ss.). Spatii causa etiam litterae aliquot minusculae reliquis adponuntur vel interponuntur, ᴄ potissimum litterae: ᴄ ᴄ ᴄ ᴍ (CIL X 3780); qua de re supra dictum est (p. LV). Non multo latius usus gliscebat aetate Augusti, consistens semper in litteris paucis in fine versuum aut scriptis modulo minimo aut in unum contractis, maxime in urbe et in regionibus suburbanis, quantum quidem adhuc licet iudicare; nam aut fallor, aut nondum satis inde exemplorum observavi. Paullo frequentiores nexus sunt in Italiae inferioris et superioris titulis, in Histria et in Dalmatia, in Hispania; sed tamen saeculis duobus aerae nostrae prioribus in universum rari. Patria fere eorum videntur esse iam illa aetate Galliae et Germaniae; inde a saeculo altero in Pannoniis Dacia Norico, in Britannia, in Africa frequentes sunt atque in titulis christianis ad infimam usque aetatem usurpantur. Scripsit de eis Ioh. Ern. Imman. Walch[1]; apud reliquos scriptores sive palaeographicos sive epigraphicos non multa de eis dicta sunt.

Ratio ligandi in universum ubique aequalis est, utpote e litterarum indole necessario orta: quae praecedit littera modulo iusto aut paullo altior (praesertim hastatae simplices ɪ ʟ ᴛ) recte collocata est dextrorsum, quae sequitur adnectitur modulo minore, interdum sinistrorsum versa, aut superponitur; a litteris rotundis (ᴄ ᴅ ɢ ᴏ ǫ) sequentes minore modulo scriptae includuntur. Omnes nexuum varietates exhauriri et in genera distribui nequeunt; potiora breviter commemorabo.

In saeculi primi titulis fere sepulcralibus tantum vocabula singula nexus habent tam urbanis (ut in tabellis columbariorum CIL VI 11906 11907) quam Italiae inferioris (ut infra n. 10 128 129) atque nomina quaedam propria, ut in Beneventano (CIL IX 1813), in Peltuinate (CIL IX 3459), in Amiterninis (CIL IX 4281 4419), in Tarracinensi (CIL X 6397 ubi unicum *fratres* vocabulum tribus tantum elementis constat). Paucos tantum et simplices litterarum nexus etiam insequentium saeculorum tituli habent, ut Puteolanus (infra n. 345); labente demum aetate cumulantur, ut in terminis Castronovanis (CIL IX 5144), in titulo Gaulitano (CIL X 7506 add. p. 994), aliis. Idem fere valet de titulis per Etruriam et Aemiliam repertis. Rarum est, quod in titulo Pisano sepulcrali saeculi primi *testamenti* vocabulum ita scriptum est ᴛsᴛᴍ (CIL XI 1500). Inter vetustiores sunt Brixianus (infra n. 16), Laudensis *Agrippinae* (infra n. 166 qui in fine versus habet ᴍᴀʀɪ), Atestinus (CIL V 2666 ᴍᴀʀᴄᴇʟʟᴏ item in fine versus), Mantuanus (CIL V 4073), Aquileiensis (infra n. 25), Naronensis (infra n. 177; cf. CIL III 1769 ubi ɪ potissimum cum aliarum litterarum hastis coniuncta est ᴋ ᴛ ʟ ʙ); recentiores sunt Arilicenses (infra n. 565 et CIL V 4020), Nicaeensis (CIL V 7906). In Dalmatia Pannoniis Norico cum tituli vetusti omnino rari sint — Naronenses aliquot modo memoravi —, nexus in recentioribus demum multi reperiuntur; exempla protulimus infra Pannonica (n. 375 381 569 576 582 590; adde CIL III 3591 4458) et Norica (n. 376—379 567 577 579; adde CIL III 5063 5333 5898 al.); adde Dacica (ut CIL III 1322). Inter vetustiora regionum illarum exempla numerandus est titulus *Sex. Iulii Severi* consulis a. 127 Dalmatinus (CIL III 2830). Non admodum frequentes sunt nexus in Hispania; vetustiores quosdam infra dedimus (n. 39 223). Plurimos habet titulus Barcinonensis saeculi secundi in capite testamenti, quod adscriptum est (CIL II 4514); item alter e titulis *Minicii Natalis* versus finem, ubi spatium ad similis argumenti caput non sufficiebat (CIL II 4511); deinde basis Tarraconensis saeculi tertii (CIL II 4121). In longa serie titulorum reliquorum Tarracone positorum in honorem flaminum provinciae nexus non desunt, neque vero admodum cumulantur (CIL II 4188 ss.).

In Gallia contra fortasse non casu tantum iam saeculo primo nexus frequentes inveniuntur (ut in n. 190 193, qui plurimos habet, 194 196; adde CIL XII 1770 1976 2939 al.). Tituli potissimum Burdigalenses satis vetusti (ut sermo brevis, formulae, litterarum forma, nomina peregrina demonstrant) abundant nexibus (v. P. Charles Robert *rev. épigr. de la Gaule* I 1881 p. 149 152 cet.). Etiam saeculo secundo et tertio consuetudo durabat (v. infra n. 383—386 et 603) nec quarto quintoque prorsus exolevit (v. n. 775). Vetustate, vix copia nexuum, Gallicis cedunt tituli Germanici (v. infra n. 198 200 201 206 207 395 396 398; adde v. c. Bramb. 99 257 478 479 483 990 1231 1496), potissimum inde a saeculo secundo exeunte (infra n. 406 407 408 412 413 414 434 613 621 627 631 632 635 636 638 Bramb. 956 multique alii). Non admodum multos nexus tituli Britannici habent a saeculo primo exeunte (infra n. 416) et secundo (n. 421) ad tertium (n. 653). In Africa denique tertio potissimum saeculo nexus frequentissimi sunt (v. infra n. 674 688 et CIL VIII 2345 2346 2347 2353 3694 3698 3727 4120 4187 8462 8489 8807 9041 9079 9106 9109 9142 9666 9796 al.). In antiquioribus nexus varii sunt et interdum significationis obscurae (ut in n. 44).

Nexus vel frequentiores vel rariores breviter enumero, praesertim cum indices voluminum CIL quotquot edita sunt eos non componant, exceptis inscriptionibus parietariis Pompeianis (CIL IV p. 265), in quibus multi eorum, quos infra posui, redeunt; unde videntur quasi communis usus fuisse. Frequenter adhibiti sunt aetate labente in nominum laterculis, ut in Aquincensi (CIL III 3591), propter aequabilitatem scripturae.

Selegi, unde plerosque desumerem, titulos aliquot hoc artificio scriptos paene integros (ut CIL IX 5 44 CIL II 4514 CIL V 4017 4020 CIL VIII varios); in his enim titulis indoles scripturae ligatae universa optime perspicitur. Praeterea quae in huius operis imaginibus reperiuntur adscripsi.

a ᴀᴇ in *actis Arvalium* a. 80 in *maeniani* vocabulo ortus ex emendatione pro *e* n. 996 ᴀᴇ CIL II 4511 4514

ᴀᴍ *am* CIL IX 5144 et passim

ᴍᴀ *ma* infra n. 190 CIL VIII 3694 3727 8462 8807 et passim

ᴍᴀ *ma* Bramb. 1496

ᴍᴀᴛʀ *matri* CIL VIII 9106

ᴍᴀᴍ *maxim* CIL VIII 8807

ᴀɴ *an* infra n. 1195 1209 1211 CIL VIII 8807 et passim

ɴᴀᴇ *nae* CIL VIII 9796

ɴᴀᴛ *nati* CIL VIII 8807

ᴀʀ *ar* CIL II 4514 et passim

ᴀᴛʀ *atri* CIL VIII 9106

ᴀᴛʀ *atur* CIL VIII 8489

[1] Marmor Hispaniae antiquum venationis christianorum Neronianae insigne documentum [i. e. CIL II 231*] Ienae 1750 4. (inde Donat. I p. 99 ss.).

au infra n. 416 1209 Bramb. 1496 et passim
au CIL III 1849
au infra n. 569 681 1211 et passim
aur infra n. 940 et passim
b *bt* CIL VIII 3727
c *ch* infra n. 775 CIL IX 141 CIL XI 1189 et passim
co CIL VIII 8473 (infra n. 688) 9041
cu in titulo Nasiensi musei Sangermanensis *Macco Attilli fili Graecus*
d *ad* CIL III 4472
de CIL V 4017 CIL VIII 9666 et passim
di CIL VIII 9666
nd infra n. 416 CIL II 4514 et passim
do infra n. 1211
dom infra n. 201
e *be* *de* CIL II 4514
me infra n. 201 et passim
em CIL V 4017
mit infra n. 1211
mp infra n. 1211 et passim
ne CIL IX 5144 CIL II 4514 et passim
ent infra n. 201 *ent* CIL II 4511
ep *er* infra n. 613
re CIL II 4514
se CIL V 4017
ve infra n. 1205 CIL V 4017 CIL IX 5144 et passim
h *hry* infra n. 345
th CIL II 4514 et passim
i *ib* infra n. 576 CIL II 4514 et passim
ib infra n. 379
ci Bramb. 434
fi CIL VIII 9142
hi Bramb. 434
li infra n. 375 421 638 681 et passim. In titulo christiano Hispano pro LL ponitur in vocabulo *relliquiae* (Inscr. Hisp. christ. n. 111)
mi infra n. 201 Bramb. 99 et passim
mo infra n. 1177
in CIL IX 5144 CIL VIII 8473 et passim
ian CIL VIII 3727
ni infra n. 190 421 681 960 1209 CIL VIII 8489 et passim
nti CIL IX 5144
niu infra n. 421
ini infra n. 421 CIL VIII 9796
int CIL II 4514
pi CIL VIII 3727
ir infra n. 688 CIL VIII 3727 9796 et passim
ti infra n. 681 1209 CIL VIII 3694 3727 8807 et passim
it CIL VI 8987 (ubi male editum est †)
ite CIL II 4516 CIL VIII 9796 et passim
to CIL VIII 8462
tip Bramb. 99
ui CIL II 4514 CIL VIII 8473
l *al* CIL IX 5144 et passim
ul CIL VIII 9079 et passim
m *ma* CIL IX 1901
mp CIL VII 1111 et passim
um apud Piquentinos Aquileiae et Brixiae CIL V 481 484 811 4400 4410 4430 4484 4488 4489
mnib CIL II 4514
n *nn* infra n. 417 et passim, *nn* infra n. 398
nt infra n. 196 1193 et passim, *nto* infra n. 590
nth infra n. 345
o *of* infra n. 201
ol infra n. 421, *ol* infra n. 194
on infra n. 398, *on* CIL IX 1945
op CIL VII 378 380

or infra n. 173 *or* CIL IX 1813
q *qu* infra n. 398
r *br* infra n. 395
er infra n. 421 CIL II 4514 Bramb. 1496 et passim
er CIL II 1156
or infra n. 407 653 674 973 CIL II 4514 et passim
pr infra n. 603 et passim
pr infra n. 375
rr infra n. 384
tr infra n. 223 567 et passim
tri CIL VIII 3727
t *ta* CIL II 4514 CIL V 4020 CIL VIII 3727 et passim
et infra n. 201 376 378 613 1094 CIL IX 5144 CIL VIII 8807 8462 9079 et passim; *et* n. 1096
et infra n. 379 *te* infra n. 386
te infra n. 386
v [V *vivus viva* prorsus singulare in titulo Parmensi CIL XI 1107*a* qui periit]
um CIL IX 5144 CIL VIII 2345 2347
um CIL II 4514 et passim (v. Marinium Arv. p. 636 qui exempla aliquot profert nexus pro *mu*; sed rara sunt fortasse propter Manii praenominis notam eandem)
nu CIL VIII 2346
ur CIL II 4514 et passim
ru CIL VII 1037 et passim
us infra n. 416 CIL VIII 3698 CIL XII 1976 et passim
us CIL XI 67 87 CIL VIII 2353
us infra n. 381 579 et passim in Pannonia (ut CIL III 6456) et in Norico (dixit de hoc nexu Koppius palaeogr. I p. 218)
ut CIL V 4017 v. etiam infra n. 39
V? infra n. 44

Consentaneum est magnum nexuum numerum extare in signaculis, in amphorarum titulis (ut v. c. CIL V 8112 24 25), in tegulis legionariis (ut v. c. CIL III 1633 1 3214 2-17 al.). In regionibus quibusdam nexus certi in usum sollemnem recepti sunt, ut in programmatis Pompeianis illud OF (*oro vos faciatis*); ita in Colonia Agrippina hic saepius legitur (1/3):



0,216

o(ssa) h(ic) s(ita)

Bramb. 1983 v. 5 ex ectypo cf. 81 363 al.; Bedaii in Norico hic (1/4):



0,108

o(pto) t(erra) s(it) l(evis) t(ibi)

CIL III 5577 v. 13 ex ectypo. Similiter ◎ videtur significare *o(ssa) b(ene quiescant)* in titulo Carthaginiensi (CIL VIII 1043). Aetate ultima inde orta sunt monogrammata nominum potissimum propriorum et formularum e titulis diptychis (ut apud Gorium II p. 110 tab. XVIII al.) instrumentis christianis nota (ut v. c. Ravennatia CIL XI 257 265 279 283 290), ad quorum exemplum postea reges et imperatores Germanici acta subscribere solebant.

III
NVMERI

Numerorum signa a litteris alphabeti non diversa lineola apposita ab illis distingui coepta sunt inde fere a saeculo urbis septimo; antiquiore aetate linea numeros medios secat, postea superposita est. Plerumque, quantum equidem observavi, adverbia numeralia lineis superpositis distinguuntur (cf. n. 585). Tamen semper etiam sine lineolis illis numeri scribebantur. In scriptura actuaria diplomatum (infra n. 813 ss.) lineolae plerumque adduntur. Quae de singulis numeris scribendis observanda visa sunt, infra breviter composui, non omnia enim eius generis notatu digna sunt neque adhuc notata sunt. In indicibus voluminum Corporis inscriptionum I (p. 613) VII (p. 343) VIII (p. 1108) IX (p. 798) X (p. 1169) quaedam quae huc faciant enumerantur; in reliquis perpauca hic illic observata sunt de notis numeralibus. Tamen quae collegimus non inutilia visa sunt quae hic proferantur.

I Lineola superposita (ut in n. 200 362 364 456), interdum curvata (ut in n. 289), in scriptura minus accurata cum hasta coalescit, ut T forma evadat (ut in n. 202 et in CIL III 3352); quod in titulis Germanicis non infrequens esse iam Borghesius observaverat (*oeuvr.* IV p. 197). Inde etiam illud explicandum, quod Ψ Graecae dicitur similis esse in titulo Dalmatino saeculi fere tertii (CIL III 1918).

II Lineae collocatio antiquior (H) ut in titulo Tergestino (infra n. 26) durabat etiam aetate Augusta, ut in Parmensibus (CIL XI 1065), Veleiatibus (CIL XI 1185), Hispanis (infra n. 445 CIL II 1256). Sollemnem eam esse in sestertii nota HS (ut infra n. 320 382 1080) vix est quod moneam; interdum haec ita scribitur IS (infra n. 675). Raro linea media hastis interponitur, ut in H littera (CIL III 58). In numero designando linea plerumque superponitur $\overline{II}$ (ut in n. 89 135 265 298 330 368 405 418 456 457 489 574 575 579 673) etiam in scriptura actuaria, potissimum in iteratione consulatus et in duumvirorum nota (v. n. 805 808 872 891 948 955 1002 1007, ubi etiam II est, 1009 1084 1191 CIL III 5625 cet.; sed cf. n. 1056). Interdum linea curvatur (ut in n. 282 347 660), aut brevis est $\overline{I}$I (ut in n. 557), aut hasta prior altior, linea alteri minori imposita I$\overline{I}$ initio versus, ubi litterae eminentes adhiberi solent (ut in n. 383 cf. II et III). In quarti saeculi instrumento neglegenter scripto prior hasta altior est, linea nulla imposita II (infra n. 887).

III Lineam superpositam habent tituli plerique (ut n. 261 273 312 338 412 466 467 631 675), interdum curvam (ut n. 312). Linea deest raro in titulis saeculi tertii et quarti (n. 512 513 739) et in actis (n. 852 854 855 858 882). Prior hasta altior est III (n. 492 887 1103). Etiam brevis linea interdum imposita est I$\overline{II}$ (n. 261 306). Linea superposita praeterea *trieres* (ut $\overline{III}$ $\overline{V}$ $\overline{VI}$ *quadrieres penteres hexeres*) indicantur in titulis militum classiariorum (CIL X p. 1128). In actis linea saepius deest (ut in n. 990 995 997 1009, ubi $\overline{II}$ est, 1012), sed adest in *fastis Amiterninis* (n. 952).

IV Linea hastas medias secans ut in II raro servata est aetate Augusta, ut in titulo Asidonensi aliquo (CIL II 1315); semel observatum est, lineam transversam adhaerere hastis primae et ultimae solis, ⫞IIF, in titulo saeculi primi Bergomate (CIL V 5139). Raro linea omittitur (ut in n. 12 23 1051 1056 et in n. 75 iuxta $\overline{VIII}$ et $\overline{XXXVIII}$); frequenter superposita est (ut in n. 18 241 305, ubi curva est, 333 387 443 574 575), potissimum in quattuorvirorum nota (ut CIL III 2073 4719 cet.), etiam in actis (n. 873 948 1093; sine linea est in *actis Arvalium* n. 1001 1012 aliisque actis n. 1094 1097). Interdum linea brevis hastis secundae et tertiae solis imposita est I$\overline{II}$I (n. 364 567). Initio versus IIII scribitur (n. 1084). Forma q. d. subtractiva IV scripturae vulgaris olim propria in ollis sepulcreti urbani ad S. Caesarium, quae saeculo septimo tribuendae sunt, cum IIX et XIV legitur (CIL I p. 613). Quam vero rara sit aetate imperatoria universa, adnotatum est ad titulos legionum IIII et XIIII (CIL III p. 1187); etiam in titulis Britannicis IIII deciens sexiens legitur, IV ter (CIL VII p. 343); ita etiam VIIII et XVIIII frequentiores sunt (ut in titulo Veleiate CIL XI 1194). In exemplis infra propositis IV non legitur. In titulis christianis IIII, VIIII, XIIII cet. leguntur frequenter (Inscr. Hisp. christ. p. 115).

V In tabellis ceratis Pompeianis interdum transverse posita est > (Hermes XII p. 131), in titulo Aquileiensi inverse Λ (CIL V 1449 ubi XXΛI legitur). Hastae quinque ponuntur in titulis aliquot Africanis, qui simili numerorum significatione abundant (CIL VIII 8491 10031 cf. add.). Linea superposita est non raro (ut in n. 86 90 364 928 948 951 1210), interdum brevior (ut in n. 429).

VI Linea superposita est frequenter (ut in n. 241 265 354 1178 1211); secat numeros in vetustioribus in seviri nota (ut in n. 168 et in titulis Bononiensibus CIL XI 714 740*a* al.). Prior hasta longior est (V), quod in V littera notavimus, in actis Arvalium a. 101 (n. 1006). Semel V et I in nexum contignatae sunt V́, in titulo Lactoratensi saeculi tertii (infra n. 606). Seviri nota saepe sex hastis scribitur aut aequalibus (ut CIL III 1808 1835 2047 cet.), aut ita, ut quattuor interioribus linea imponatur, I$\overline{IIII}$I (ut in n. 196 440 CIL II 1925 cet.). Etiam sex illas hastas linea secat, ut in titulo saeculi primi Iadestino (CIL III 1769). Rara brevitate seviratus ita VIRATVS scribitur in titulo Hispano (CIL II 3335). Ϛ, sex numeri nota in titulis christianis non rara, extare iam dicitur in titulo aliquo parietario Pompeiano (CIL IV 3043); neque vero videtur certa esse. Cf. ϚII = XII in titulo urbano aetatis Severianae (CIL VI 3404).

VII Linea superposita aut caret (ut in n. 45 242 597 884 1008 1012 1051 1210) aut utitur (ut in n. 331 467), interdum breviore (n. 429), praesertim in septemviri nota (n. 248 275).

VIII Lineam habet superpositam (in n. 75 228 331 673 1181), interdum breviorem (in n. 429); nullam in *actis Arvalium* a. 81 et 99 (n. 996 1000 cf. n. 1098). Forma subtractiva IIX raro legitur (ut infra n. 242 et CIL IX 2881).

IX Formam frequentiorem VIIII esse supra vidimus; lineam solet habere superscriptam (ut in n. 185 363 673 1002, sed deest n. 1011 1097). IX subtractiva rarior est (n. 123 242 425, in titulis Britannnicis semel occurrit).

X—XX De his numeris breviter refero. In sola denarii nota linea transversa medium numerum secat X usu sollemni (v. etiam n. 904). X (n. 12 398 425 450 1099) $\overline{X}$ (n. 16 275 395 948) $\overline{XI}$ (n. 52) $\overline{XII}$ (n. 52 250 259 996) XII (n. 54) $\overline{XIII}$ (n. 321 449 1034 1190) XIII (n. 998 1035) $\overline{XIIII}$ (n. 182; in titulis Britannicis XIIII quinquiens legitur, XIV nusquam) XIIII (n. 873 iuxta $\overline{IIII}$, 998) $\overline{XIV}$ (n. 52) XIIII (v. Marinium Arv. p. 675) $\overline{XV}$ (n. 242 1002 et linea breviore X$\overline{V}$ n. 329) XV (CIL IX 5228 quo de nexu infra diretur) $\overline{XVII}$ (n. 331) XVII (n. 1097) XIIX (CIL III 582 a. 710 = CIL I 623) XVIIII (CIL XI 1194 et in titulo Britannico).

XX—XL $\overline{XXII}$ (n. 616) XXV (n. 398) $\overline{XXV}$ (n. 807 808 etiam in reliquis rubricarum numeris) $\overline{XXVII}$ (n. 1190) XXVII (n. 450) XXIIX (CIL VI 9934 = CIL I 1092) XXX (n. 378) XXXII (n. 996) $\overline{XXXIIII}$ (n. 1099) $\overline{XXXVIII}$ (n. 75) XL (n. 400) XLV (CIL I 1342) VL (CIL VIII 3998) XXXXVI (CIL VII 52); cf. etiam XC (CIL IX 287). Itaque lineae aut adduntur aut omittuntur.

Interdum X litterae hastae superne vel inferne producuntur;

XXX vidi in titulo in bibliotheca Parisina servato *dis Man(ibus) sacr(um) Clemens Caesaris n(ostri) ser(vus) pius vixit ann(os) XXXIII h. s. e.* In regionibus quibusdam x plures non iuxta ponuntur, sed colligantur ita ※ ※ = xxv, ※ = xxx, ※ = xxxv, ※ = xxxx; exempla praebent praeter Pompeianum scariphatum (CIL IV 2158) tituli Italici pauci (CIL IX 178 5112), multi Germanici (ut Bramb. 941 1185 1202 1242 al.) Pannonici (CIL III 3272 4275 4462 4475 al.) Norici (CIL III 5131 5256 5642 5680 al.) Africani (CIL VIII 2798 2799 2801 3098 3573 3575 8815 al.). Formae illae ligatae etiam in titulis Hispaniae christianis extant (Inscr. Hisp. christ. n. 60 82 cet.).

L — C Ex forma Graeca vetustiore ↓, quae et ipsa in titulis nonnullis comparet aetatis Augustae (ut CIL X 39 al., CIL I 1341 CIL IX 2975 = CIL I 1273 CIL X 8067 86*a* 91) vel ⊥ (CIL X 3776 5807 6514 6950), mansit T inversae similis ⊥ (quam lex repetundarum habet CIL I 198 34) eadem aetate et paullo recentiore, i. e. saeculo fere primo et altero, in certarum regionum usu, veluti in miliariis aetatis Tiberianae Hispanicis, item in titulis sepulcralibus Aquileiae Opitergii Patavii (CIL IX 3629 CIL X 6895 7647 8067 13*b* 18 76 86*bc* CIL V 1264 1306 1369 1512 1519 2002 2302 3007 3099), sed etiam in titulis sepulcralibus recentioribus (ut CIL X 7647).

ɫ pro L est in titulo christiano Hispano saeculi sexti (Inscr. Hisp. christ. n. 77).

In titulis Africanis plures x aut iuxta ponuntur (xxxxx et sequentes numeri usque ad nonaginta ita scribuntur CIL VIII p. 1108 cf. Marinius Arv. p. 674; LXXXXII n. 1084) aut minore modulo cum L coniunguntur Lˣˣ, Lˣˣˣ (CIL VIII 3250 3253 9156); hoc etiam in Noricis quibusdam accidit (CIL III 5128 5256 5642) et frequenter in christianis Hispanis (Inscr. Hisp. christ. n. 60 84 86 cet.).

Interdum numeri inverse positi sunt: IIIXXXɪ (CIL VIII 569).

Numeri plures iuxta ponuntur punctis nullis interpositis; exceptiones rarissimae sunt (ut ↓·IX) in titulo Castronovano (CIL I 1341), C·X (CIL VI 1242), XX·V in Africano (CIL VIII 8123).

C — M Θ Graeca vetustissima quae creditur numeri centenarii nota ne in titulo quidem Corano, unico eius teste qui periit, certa est (CIL X 6514 = CIL I 1156), neque unquam Θ iuxta Φ usurpatum comparuit. C constanter usurpatur, ut de columna Duiliana taceam (infra n. 91 v. 13), in senatus consulto de Bacanalibus et in lege repetundarum, in miliariis viae Aemiliae aliisque titulis saeculi sexti, atque deinceps sola in usu mansit (v. c. infra n. 75). Lineola superposita C̄ centenarium et C̄C̄ ducenarium et sic deinceps (v. CIL X 5064 5197) indicare solet (ut infra n. 539); raro ϵ *centum* est (ut infra n. 904).


LL (pro C) interdum scriptum est (CIL X 7762 CIL VIII 9115).

Ordo, quem dicimus breviter subtractivum, in nummis saeculi iam septimi usurpatus (XL XLI XCIII XXC VIC), in numeris maioribus primum videtur adhibitus esse in miliariis viae Aemiliae, in quibus CCLXIIX et CCXXCVI leguntur (CIL I 535 536); CCCX⊥ est in titulo Aletrinate (CIL X 5807 = CIL I 1116), XC in lege Puteolana (CIL X 1781 = CIL I 577 infra n. 1072 v. 1).

Ꟈ cum linea transversa media (de qua iam supra dictum est p. LVI) quingentorum ex denariis saeculi septimi (CIL I 429) nota satis frequens est etiam aetate imperatoria (v. CIL X 39 5074 8285 CIL XI 1151), in inscriptionibus parietariis Pompeianis (CIL IV 1714 1962 2435*a*), in fastis et actis (infra n. 948 949 CIL X 6638 saepius); sed etiam in titulis Britannicis saeculi secundi (CIL VII 1088 1126 1130 1132 1141 1142). Similiter in Pannonicis quibusdam Ꟈ cohortem quingenariam significat (CIL III 3324 3675).

In titulis christianis Hispanis Ɔ forma pro quingentis sollemnis est inde fere a saeculo quinto (Inscr. Hisp. christ. p. 111).

M cet. Φ nota Graeca numeri millenarii vetusta (CIL X 220 4727 5094 5530 6186 6514; supra aperta ⊥ CIL X 39) in titulis quibusdam vix liberae rei publicae Beneventano et Amiternino (CIL IX 2121 4269) extat; aetate inferiore non extat. Plane singularis est ꟿ nota in denario aliquo vetusto (CIL I 416) extans. Sed mansit in usu ∞ forma (CIL IX 3890 4791 5809 cet. et CIL X passim). Cohortes miliariae ita ∞̄ (ut infra n. 585) significantur in titulis Dacicis Pannonicis Britannicis cet. passim aut ⋈ (ut infra n. 573). Inde fortasse N explicanda (pro ⋈) in codicibus Nepotiani (A. Eberhard in Hermae vol. VIII 1883 p. 99). Exemplum hic addo Pompeianum (¼):



0,030

(CIL X 1019 v. 3).

In titulis Britannicis saeculi secundi ∞ frequens est (CIL VII p. 343 in titulis tredecim; ⋈ CIL VII 1031 1135). Inde tertia orta est forma simplicior S iacenti similis ∾, quam habent iam tituli Pompeiani (CIL IV 1264; adde CIL IX 664 3354 CIL X 1885); haec apta fuit scripturae actuariae, ut diplomatum, quae ita solent cohortes miliarias notare (infra n. 845 847 849), aliorumque actorum (ut CIL XI 978).

Milia plura interdum indicata sunt ordine subtractivo: ∞ Ꝺ in titulo Nolano (CIL X 1273). Saepius linea simplici hastis superposita milium numerus significatur, ut in tabulis alimentariis Veleiate (CIL XI 1147) et Ligurum (CIL IX 1455), in testamento Petelino (n. 1080), in titulis Britannicis (CIL VII 1122 ss. v. p. 343), in Africano a. 233 (CIL VIII 9109). Lineae duae transversae initio et in fine adduntur etiam aetate Hadriani (ut in miliariis CIL IX 6072 6075), interdum I curvatae similes, ut in titulo Gallico saeculi primi |XIII| (infra n. 382), in Ostiensi a. 139 |XXI| (infra n. 320).

Quinque milia in vetustioribus nota vetusta Ꝺ et ꟿ (CIL V 2866) indicantur (CIL IX 707 CIL X passim); Ꝧ est in titulo Pompeiano a. 3 (CIL X 817).

Etiam decem, centum, deciens centum milium signa vetusta ex Φ littera duplicata vel triplicata (ↂ CIL I 1199 ↈ in lege repetundarum CIL I 198 48 et in titulo Tiburtino CIL I 1029 ↂ CIL V 4097 XI 1217 ↈ ↂ) orta et deinde dimidiata (ↁ ↇ CIL X 5094) aut infra aut supra aperta (utriusque enim formae exempla extant) inde a saeculo primo non comparent; aetatis sive Augustae sive supparis exempla non desunt (v. c. CIL IX 1146 2497 al., v. CIL IX p. 798 X p. 1169).

Quingentorum milium nota ꟾ, cuius Cicero mentionem fecit (ep. ad Att. IX 9, 4), in titulis quibusdam Veronensibus saeculi primi (CIL V 3402 3447 3867), in Patavino sive urbano, si modo genuinus est (Ephem. epigr. IV p. 289 n. 833), et in Fabraterno eiusdem aetatis (CIL X 5624) observata est.

Denique deciens centum milia ita |X| ut iam in aere Tudertino (CIL I 1409 PLME tab. XXXV), ita etiam in titulo Tarracinensi (CIL X 6328), ita vero |X| lineis aliquantum curvatis in titulis Campanis duobus eiusdem hominis (CIL X 3851 3852) saeculi fere primi exeuntis secundive indicantur.

Partium assis sive rationis denariariae (de qua vide Hultschii Metrologiam [2] p. 146 ss. et eiusdem scriptores metrologicos II p. XXV ss.) in titulis scriptae exempla rara sunt; quaedam infra protulimus (n. 445 996), quibuscum comparentur quae adhuc innotuerunt notae partium ponderum et pedis in titulis urbanis (ut Ephem. epigr. IV p. 329 ss.), Italicis (CIL X 6 1577 1598 1781 6595 7939 8071 CIL V 8146 CIL XIV 21), Iadestino (CIL III 1769), Hispanis (CIL II 3386 infra n. 445), Africanis (CIL VIII 4508) quaeque inscripta sunt supellectili aureae argenteae aereae (v. infra n. 918 939 940), item armillae argenteae musei Petropolitani (Hermes IV 1870 p. 377).

Denique memorare iuvabit signa numeralia picta in amphoris doliisque urbanis montis testacei, quae Dresselii tabula (Ann. instit. archaeol. vol. L 1878 p. 162 ss. *tavola d'agg. M*) componit: formae numerorum quorundam vix agnoscuntur, sed agnoscuntur tamen, si penicilli ductus respiciuntur.

IV

LITTERAE SINGVLARES ET SCRIPTVRAE COMPENDIA

In litterarum singularium usu ad palaeographiam ea tantum ratio spectat, qua a reliquis illae litteris legentibus distinguebantur. Quod similiter atque in numeris potissimum lineola addita fiebat.

Saepissime linea illa superponitur litterae singulari; in scriptura elegantiore picta curvatur aliquantulum; interdum apici similis est. Exempla quae collegi enumero, quanquam scio elenchum minime plenum esse; neque enim minutiae hae observatae sunt ubique et enotatae in indicibus omnes, neque illud videntur mereri. Quatenus usus patuerit, volumina demum corporis inscriptionum urbana et Italica quae adhuc desiderantur docebunt. Inde fere a saeculo altero demum lineae litteris singularibus impositae frequentiores fiunt.

C *centenarius* CC *ducenarius* c. a. 215 infra n. 539
C · P *castra peregrina* a. 235 infra n. 499
CL *classis* in titulis Ravennatibus CIL XI 104 125 cet.
CN *Gnaeus* aetatis fere Commodianae infra n. 308
D *dies* saec. III—IV CIL X 4536
D M *dis Manibus* CIL X 712 2202 2279 2671 2871 3351 CIL VI 11220 cet.
D · M CIL X 3470
D N *dominus noster* saec. III et IV infra n. 501 579 606 703 719 784 et passim DD NN *domini nostri* infra n. 516 et passim
D D *donum dat* saec. II CIL II 1108
F *fecit* CIL IX 2082*b*
F F *felix fidelis* saec. III—IV CIL VI 3404
F ? infra n. 923
T FL *Titus Flavius* saec. III—IV CIL X 3678
G · L · N *Genio Luci nostri* CIL XII 2914 et saepe in Nemausensibus XII 3050 cet.
I O M *Iovi optimo maximo* saec. II—III CIL III 1081
M *Marcus* CIL X 2678 3527 3592
mensibus CIL X 2201 4536
merenti CIL X 3068
missus est? in picta Pompeiana CIL IV 1182 6
M *Manius* infra n. 503
Marcus Nemausi CIL XII 4116
M R *municipium Ravenna* CIL XI 125 126 cet.
N *natione* CIL XI 352
nepos in titulo Gallico aetatis Tiberianae infra n. 189
noster nostri iam in actis Arvalium a. 60 n. 991 et in laterculo Polensi (n. 1088), sed frequentius saec. II et III, potissimum in D · N (ubi vide), et infra n. 503 599 600 675 1155 et passim, praesertim Nemausi CIL XII 3050 cet., et in formulis *Augustus n(oster), Caesar n(oster)* et similibus
NN *nostri* infra n. 571
numero CIL IX 2340 3674 CIL X 3678
nummum infra n. 503 1080 1083 1084
N *nummum* CIL X 3359
P *pro* CIL IX 306
P · C *patres conscripti* CIL VI 1784 v. 34
P F F *pia felix fidelis* CIL VI 3404
F P ? saec. III CIL VI 9087
PR *(classis) praetoria* CIL XI 71 74 104 352
PR ? CIL X 3551
Q *quaestorius* Orell. 3964 CIL V 4420
quae saec. II—III CIL V 5948
Q *Quirina* saec. II CIL VIII 7079
Q Q *quinquennalis* saec. II—III infra n. 532 534 et passim in Ostiensibus CIL X 3678 CIL II 4071 4275 CIL VIII 980 4580
QQ ? CIL VIII 2362

M · R *municipium Ravenna* CIL XI 125 126 cet.
SPP *spectabilis* CIL X 4502
TR *trierarchus* CIL XI 71 74
V · C, V C *vir clarissimus* infra n. 921 922, VC infra n. 722 728 et passim (saepius V · C)
V · P · P · P · H · C *vir perfectissimus praeses provinciae Hispaniae citerioris* infra n. 783
V · Q *viator quaestorius* Orell. 3964
V · V *virgo Vestalis* infra n. 920

Ut litteris singularibus, ita etiam compendiis scripturae longioribus linea imponitur:
AVG *Augustus* a. 201 infra n. 567 et a. 239 n. 503
COS *consul* a. 211 n. 572 a. 218 n. 964
PROCOS *proconsul* n. 567
MIL · COH · VII · PR *miles cohortis VII praetoriae* CIL VI 5268

potissimum inde a saeculo quarto:
COS raro lineam habet, ut infra a. 211 n. 572
CONSS est in tabula patronatus a. 337 n. 885
V C PRAEF · VRBI *vir clarissimus praefectus urbi* a. 414 infra n. 720
V C · PRAEF · VRB a. 421 n. 722
V C ET INL PRAEF *v. c. et inlustris praef.* a. 508 n. 728
V INL C DOM ET CONS ORD *vir inlustris comes domesticorum et consul ordinarius* a. 540 n. 1201
SICIL · VICAR · AFRIC QVAEST cet. *Siciliae vicarius Africae quaestor* a. 431 n. 747
COM *comes* a. 540 n. 794

et similiter passim in titulis christianis Gallicis et Hispanis (Inscr. Hisp. christ. p. XIII et 115), in Britannicis raro (Inscr. Brit. christ. p. 98).

Atque etiam lineolae apicibus similes ita appinguntur:
LOC · ACCEP · DED *loco accepto dedit* Salonis a. 54 infra n. 182
AED *aedili* VEPON *Veponiae* saec. III Celeiae CIL III 5225
COH' PR' *cohors praetoria* saec. III infra n. 490
MANIB' *Manibus* CIL X 3570 3618
MIS' *Misenensis* CIL X 3551
PAL' *Palatina* CIL X 6100
PRAEF' *praefectus* CIL X 6100

Etiam nomina propria litteris interdum, ut notum est, singularibus indicata (v. CIL III p. 1185 V p. 1201 VIII p. 1103 IX p. 795 X p. 1165), lineam impositam vel appositam habent, ut P *Pescennius* in titulo Africano saeculi quarti (CIL VIII 870). Denique frequentissime lineae superponuntur in titulis aevi sequioris, christianis potissimum (v. CIL VIII p. 1108 IX p. 798 X p. 1168). Quod in numeris magis vetustum est, ut linea eos medios secet, in litteris singularibus recentius videtur aut certe aequale fere alteri designationi, si pauca exceperis ex antiqua calamo scribendi consuetudine fortasse derivata (ut R). Compono exempla mihi nota:

B *beneficiarius* passim
C *centum* infra n. 904 (v. supra p. LXXI)
D *dicit* in interlocutionibus iuris peritorum CIL VI 266 (infra n. 1055) 11259 11260
dies CIL VI 11570 et frequenter in titulis christianis Hispanis inde a saeculo quinto (Inscr. Hisp. christ. p. 115)
domo CIL VI 2534
De Đ Celtico supra dictum est (p. LVI).
M *menses* CIL IX 1276
N *nummum* a. 233 CIL VIII 9109
Θ Θ Θ *obiit* vel *obitus* CIL X 2404 4924 5305 6269 CIL V 3467 CIL VIII 10533 et frequentissime in titulis Noricis CIL III p. 1186 (ΘB *obitus* CIL III 4885*a*).

Nigrum theta (v. Iahnium ad Pers. IV 13) Θ *apothnesconta* (ut est in titulo columbarii urbano CIL VI 4870) significans in vetustioribus tantum titulis urbanis et Italicis una cum *v(ivus viva vivit vivunt)* (infra n. 4 5 6 99) et similibus satis frequens est (cf. CIL I p. 613 645 CIL III 3788—3794 et 3798); post Augusti aetatem vix reperitur neque cum ϴ confundendum. Litteras illas O V saepe minores esse reliquis Marinius recte observavit (Arv. p. 609 ss.; v. infra n. 4—6 99).

Q̶ Q̶ *quondam* in Noricis CIL III 4315 cet. CIL VI 2534 (titulus militis Celeia oriundi)

R̶ *ratio* in titulis marmorum infra n. 1160

(eques) Romanus infra n. 493

rubrica in legibus Hispanis infra n. 807 808

S *secutor?* CIL VI 2441 2547

Sextus CIL VI 2381*b* II 5 (bis) 20 (bis) CIL VIII 2560 18 2568 3116 et 3461 pro cognomine (cf. Borghesi *oeuvr.* III p. 94)

SS *sestertium* CIL IX 1670 2243 CIL XIV 170

£ *sestertius* CIL VIII 4508

Ӿ *scripuli* CIL V 2381

V̶I̶C̶ *victoriatus* infra n. 1083

Sed P̶ *per* antiquum non est (v. CIL V 575*). Atque erravit Marinius (Arv. p. 38), cum pro M omissa iam antiquitus lineam poni solitam esse diceret; consuetudinem recentem esse recte exposuit Phil. Iaffé (Hermae vol. V 1871 p. 158). Nam quod SINCERV̄ scriptum esse dicitur in titulo Pompeiano scariphato (CIL IV 2776), linea puncto similior pro interpunctione est, *m* autem simpliciter omissa ut saepe. VAL pro *vale* et ITAQ pro *itaque* exempla item Pompeiana nexus potius sunt (CIL IV 1852). Exemplum a Marinio prolatum PARENTV̄ (Murat. p. 1991, 1) est a. 383.

Pluralem numerum litteris vel singularibus vel finalibus syllabarum per compendium scriptarum indicatum (ut in AVGG CAESS DD NN cet., v. infra n. 789 811, cuius exempla composita sunt in indicibus voluminum CIL III V VII VIII IX X), item compendia singularum syllabarum aetate potissimum sequiore in titulis christianorum hominum frequentia (ut in Q̲D *quondam* PRB *presbyter* PTR *patronus* et similibus, quae in indicibus voluminum CIL VIII IX X enotata sunt) hic non curo, quia ad formam scripturae non pertinent.

Restant litterae singulares inversae.

Ɔ *Gaia*

Testimonia nota Quintiliani[1]) et Velii Longi[2]) ex Palaemone fortasse derivata ambo, quem *mulieris vernam* fuisse discimus ex Suetonio[3]), docent re vera C inversam Ɔ (quem invertendi usum ex antiquissima scribendi libertate deducendum esse vix puto) notam vetustam esse mulieris. Tamen forma angulata 〉 potest esse vetustior, cum rarior sit.

〉 · L infra n. 159 CIL VI 19113 19122 cet. CIL X 2816 5452 cet. CIL V 3023, quae sunt saeculi primi omnia. Forma interdum curvatur:

Ɔ · L infra n. 357 saeculi secundi (CIL V 7035)

Ɔ · L infra n. 5 6 65 253 saeculi primi. In CIL I sunt exempla viginti; frequentissima est in titulis sepulcralibus urbanis et Italicis. C inversa interdum parva et tenuis est (ut in n. 1035 a. 5)

Ɔ · L infra versum deducta (in titulo M. Tuccii Lenaei alicuius in museo Vaticano *Cn. Corneli Ɔ l. Lucini* ita scriptum est; et CIL III 2030)

Ƨ · L CIL IX 1875

Ƨ · T · L CIL IX 3287 = CIL I 1174 PLME tab. XCVIII *G.*

Etiam L invertitur:

⅃ · Ɔ CIL X 5614 = CIL I 1180

ɣ (ut centuriae nota) CIL V 1293 1299 3107 3158

Ɔ · Ɔ · MVLIERVM LIBERT CIL VI 19834

Ɛ · L *duarum mulierum libertus* CIL X 2648

Ɛ · L CIL X 5715 (idem fortasse significatur in titulo deperdito CIL V 1072)

III · Ɔ · L *trium mulierum libertus* Fabretti 5 XX

D · ƆƆƆ · L *Decimi et trium mulierum libertus* Fabr. 5 XXI

Isidorus orig. I 23 *mulier notatur per supinam M litteram.*

W · LIB CIL II 558 1449 1485 2359

[Ʌʌ L *Mani?* CIL V 609]

W · L CIL V 358

Ʒ · L infra n. 358 (CIL V 7107)

MVL · L CIL V 7017 CIL II 2138 MVL · LIB in titulo Cordubensi inedito saeculi secundi, cf. CIL X 7312 (MoL)

Sed Ɔ inversa praeterea alia non pauca significavit.

Ɔ *caput?* CIL X 7852 (infra n. 801) v. 3 extr.

usurae centesimae? CIL VI 10297

Ɔ X̅L̅ *conductor quadragesimae* CIL V 7852

coniux? CIL X 2197 2784

Ɔ (vel ɣ) · S (vel SC aut SCR) *contra scriptor* CIL III 4024 4716 4720 5121 5123 5691 CIL V 5080 7213

ɣ · L *contra legem?* CIL VI 10621

ɣ RET *contra retiarius* CIL VI 631 632

SER · ɣ *servus contra scriptor* CIL III 5121

ɣ *conventus* Tarracone CIL II 4200 4236 4252 cf. 4198 4242 4256 4257

Ɔ *coronae?* in titulis gladiatoriis CIL XII 3324 cf. 3332 cf. 〉 CIL IX 465 466 CIL X 4920


Ɔ *sextarius?* in doliis CIL X 8047 9

Longe frequentissimae sunt Ɔ 〉 ɣ notae *centuriae* et *centurionis*, quarum formas a Ɔ paullo diversas non puto ex vitis forma derivandas esse (cf. autem n. 395), sed similiter deflexas ut in *Gaia* et *contra.* C recta pro centurione rarissima et incerta est (v. CIL X 3373), etiam addita linea transversa ϵ (Bramb. 1547 CIL VIII 9600). Quae ex Gruterianis indicibus Morcellius (lex. epigr. I p. XXXIX indeque Koppius in palaeographia) de his notis composuit, inutilia sunt.

Forma vetustior hic quoque videtur angulata esse (v. Ephem. epigr. V p. 5).

〉 in titulis parietariis Pompeianis iuvante scariphandi facilitate ter extat CIL IV 1266 1711 2145 Ɔ est ibidem 1994


Sed mansit forma in usu etiam aetate posteriore sive casu sive consilio, ut docet ara Dianae saeculi fere secundi in museo Coloniensi (1/5):



0,052

Bramb. 336 v. 6; item exempla infra proposita n. 238 302 416 449 456; adde CIL VI 2564 3580 CIL X 7595 CIL V 8185 Bramb. 978 1119 1592 CIL VIII 2586; in Britannicis (praeter n. 416 infra) frequentia (CIL VII p. 343).

Ɔ nota frequentissima inde ab Augusti aetate in Italia et in provinciis, ut in Germania (infra n. 197 Bramb. 1183 1564 al.) et Britannia (CIL VII p. 343); in optimo scribendi genere semicircularis (ut in titulo Mantuano CIL V 4041). Exemplum propono item Coloniense in ara Mercurii saeculi secundi extans (1/5):



0,040

Bramb. 335 v. 4.


---

1) Quintilianus I 7, 28 *quid? quae scribuntur aliter quam enuntiantur? nam et Gaius* C *littera significatur, quae inversa mulierem declarat, quia tam Gaias esse vocitatas quam Gaios etiam ex nuptialibus sacris apparet.*

2) Velius Longus p. 53, 6 *K* (p. 2218 *P*) [K .... *dicunt*] *non magis .... in numero litterarum esse oportere, quam illam notam, qua centuria, et* C *conversum, qua Gaia significatur, quod notae genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris ostenditur, Gaias enim generaliter a specie omnes mulieres accipere voluerunt.*

3) Suetonius de gramm. c. 23.

Interdum tenuior est ↄ (ut in n. 368; sed cf. etiam n. 371); ita in militis titulo musei Mogontiacensis, qui saeculo primo tribuendus est (⅓):



0,044
0,040
0,036

Bramb. 1200 v. 1—3; et infra lineam extensa (Bramb. 1183).

ↄ Additur linea transversa inde fere a saeculo altero exeunte potissimum in Germania (infra n. 408 618 620 Bramb. 453 1024 1026 cet.), rarius in Britannia (ↄ ↄ ϵ CIL VII p. 343). Quid ↄ nota significet cippum sepulcralem veterani Africanum obtegens ignoro; fortasse remansit ex titulo antiquiore (CIL VIII 4528).

ↄS *centuria S*... in laterculo Africano legitur (CIL VIII 8795).


Ratione paullo diversa linea addita est in his exemplis:

≻ CIL VI 2572

⊢ ꝫ CIL VI 2751 2910 3588 3592 CIL X 5668 Bramb. 1095 cf. infra n. 310.

7 nota frequens inde fere a saeculo altero, cuius varietates complures extant secundum capitis maiorem minoremve modulum, rotunditatem, hastae longitudinem et situm cet. Exempla urbana proposui infra (n. 289 303 488 494 499 915; adde CIL VI 3580 3890 cf. add. p. 869 al.), item aliquot provincialia (n. 370 402).

Formam vetustiorem simpliciorem exhibet ara Fortunae Germanica musei Mannhemiensis (⅓):



0,080

Bramb. 1391 v. 4 (cf. infra n. 1054 a. 205 et n. 1181). Frequentia sunt in Dalmatia Dacia Pannonia Raetia (CIL III 2038 3254 3368 3422 3539 3572 4299 5937 6456), in Germaniis (Bramb. 1200 1391 1520 cet.), in Britannia (CIL VII p. 343), in Africa (infra n. 456 CIL VIII 2586 2627 2877 et in titulis Lambaesitanis aliis multis, in Salditano CIL VIII 8934 al.).

Non multum denique differunt notae liberiore ductu factae aut incuriose (ut in n. 1048 a. 156) et

z CIL VI 3609

ɔ CIL VI 2919

ƨ infra n. 1159

ʒ viti similis infra n. 395

ƶ CIL III 3694

ꝫ CIL X 1770

E reliquis litteris paucae inversae certam significationem habent.

ꟻ *filia* CIL IX 2520 = CIL I 1276 CIL II 3055 3310 3370

C · ꟼ *clarissima puella* infra n. 500 (a. 234) CIL VI 1424 CIL IX 2334

Vꟼ *pupilla* in lege Iulia municipali CIL I 206 4 5.

V

SCRIPTVRAE ORDO INTERPVNCTIONES COLLOCATIO VERSVVM ET VOCABVLORVM

Scripturae ordo

Antiquissimi iam quos novimus tituli Latini eo qui postea solus obtinuit ordine procedunt a sinistra dextrorsum. Quae innotuerunt ab hac lege exceptiones duae vetustae, lamina aerea ad lacum Fucinum reperta (H. Iordan *Hermes* XV 1880 p. 5), scripta illa βουστροφηδόν, ut tituli aliquot Sabellici scripti sunt, deinde vasculi in urbe reperti inscriptio votiva (H. Iordan *Hermes* XVI 1881 p. 225 ss.), urbanam sane consuetudinem non repraesentant, etiamsi Latinae magis sunt quam peregrinae. Sinistrorsum interdum scriptura procedit aut propter rationes ignotas, ut in aliquot titulis parietariis Pompeianis (CIL IV index p. 264, ut n. 659 660), in Tarentino sepulcrali (CIL IX 6163), in sepulcrali christiano *Eliae Vincentiae* in museo Kircheriano servato (apud Boldettum l. II c. XVIII p. 555; inde Lupi epit. Severae mart. p. 151, Kopp palaeogr. III p. 254), aut celandi causa, ut in tabella plumbea *Antestiae Sabinae* (Lanzi *saggio di Lingua Etrusca* vol. II tab. XVI, cf. III p. 656; inde Massmann libell. aurar. p. 48), in tabella devotionis Britannica (infra n. 947). In titulis christianis Britannicis propter scriptorum rusticitatem litterae singulae non raro inverse positae sunt (Inscr. Brit. christ. p. 98).

Raro κιονηδόν sive columnatim quod dicunt tituli vel partes potius titulorum scriptae sunt, ut Pompeianus scariphatus (CIL IV 1825), ut *Plutoni sacrum* vocabula in columella Campana (CIL X 3815) aliaeque eius generis formulae, veluti *ossa hic sita sunt* in Atellanis Campanis Aquinatibus (CIL X 3752 3955 3973 cet. 5469), ut acclamationes in titulo urbano saeculi quarti (CIL VI 1738), ut denique Philocali scriptoris nomen in titulis christianis Damasi papae (v. infra n. 1143). Non huc pertinet, quod interdum in fine versuum spatio deficiente aut alias ob causas litterae singulae aliis superpositae sunt, ut in *Domitiani* epistula ad Falerienses ALBAN (CIL IX 5420), in titulo sepulcrali urbano *C. Livii C. l(iberti) Alexandri* alicuius in museo Vaticano ita ALEXANDE (R superposita) scriptum est, aut SYNFERV(ae) in Ravennate (CIL XI 204), MEDICV in musei Bonnensis titulo (Bramb. 197); cf. IVLIAN infra n. 602.

Peculiari ratione tituli aliquot Galliae et cisalpinae et transalpinae sepulcrales satis vetusti ita inscripti sunt, ut scriptura sursum procedat (CIL V 6903 infra n. 22, 6650 6907 6908 7720 CIL XII 602 609 610 et fortasse 3577 3883 3886). Cum his comparandi sunt tituli Britannici christiani ad scripturae Celticae (*Ogham* dictae) modum similiter procedentes (Inscr. Brit. christ. p. II s. et VIII).

Sed hae exceptiones sunt in tanta inscriptionum legitime dispositarum multitudine rarae. In universum enim dispositio scripturae ea regitur lege simplicissima, scilicet ut de plano recte legi possit. Unde tam in monumentis magnis tectonicis quam in columbariorum tabellis minimis instrumentique domestici titulis variis litterarum magnitudo et dispositio, collocatio versuum, legendi adiumenta reliqua necessitati illi unicae parent, ut inscriptiones commode et legantur et intellegantur. Monumenta magna tectonica titulos habent magnos in fronte inscriptos, arae bases cippi minores et magnitudini monumenti aptos et similiter in universum in fronte. Non obstat legi, quod quattuor interdum latera inscripta sunt, ut in aris Narbonensi (infra n. 1099) et Legionensi (infra n. 1138) multisque in aliis exemplis Italicis (CIL VI 18938 V 4936 4941) atque provinciarum. Tria latera inscripta habent monumenta Tergestina aliquot (CIL V 515 645), duo bases multae, quibus dedicationis inscriptio in latere addita est.

In putealibus arisque et basibus rotundis inscriptio saepe non in fronte extat, sed summum marginem totum ambit (cf. CIL VI 581 CIL II 1329 CIL III 2106 al.). Propriam, ut par est, legem sequuntur acta, sive per se tabulis aereis lapideisve incisa, sive adiecta monumentis. Praescriptiones solent maioribus quam reliqua litteris scriptae esse, id quod in Graecis quoque instrumentis tralaticium est et e re ipsa quasi necessario consequens. Cola quemadmodum distingui solita sint et reliqua

legendi adiumenta infra considerabimus. Fastorum (infra p. 330), calendariorum (infra p. 338), laterculorum militarium aliorumque (v. c. infra n. 1042 1054 1082 1087 1094 1096; CIL VI 42—44 220 1056—1060 2184 2185 2375—2420 3884 10046 10047 10051 10053 10286—10291 10299 10300 10407 CIL VIII 2554 2557—2570 2586 2626 cet.) dispositionem hic sufficiat memorare, in quibus columnae paginaeque discernuntur, litterae initiales et finales aequis spatiis dividuntur, diversa scripturae genera maioris perspicuitatis gratia iuxta adhibentur. Diximus de eis infra (p. 360). Tituli honorarii maioris ambitus a saeculo quarto similiter atque acta disponi solebant per cola et commata; ut infra observavimus (p. 248). Haec omnia cum simplicia sint et per se perspicua, non egent demonstratione accurata; sed multa inde in titulorum scripturam disponendam translata qui illa consideraverit rectius intelleget. Ita e laterculis illud fluxit, quod in titulis sepulcralibus defunctorum eiusdem gentis nomina complura exhibentibus nomina gentilicia, quae saepius redeunt, omittuntur, cognomina sola ponuntur, ut factum est in *fastis Capitolinis* (n. 948), in *Treboniorum* titulo urbano satis vetusto (CIL I 1091 = PLME tab. XCIII*c*) atque similiter v. c. in Veronensibus quibusdam (CIL V 2198 3339) Cremonensi (CIL V 4112) Bononiensi (CIL XI 767). Ex actis illud quoque in titulos pervenit, quod inde fere a saeculo primo medio superiorum versuum litterae maiores solent esse quam inferiorum, quae minimae interdum sunt; qua in re tamen ita variatur, ut quae aliqua de causa a reliquis distinguenda erant, maiorem modulum reciperent. In monumentis saeculi primi antiquioribus discrimina illa moduli incipiunt, sed raro et non magna litterarum diversitate (ut in huius syllogae exemplis n. 52 54 61 63 86 88 92 101 116 143 161 166 172 185 186 231 cet). Deinde vero summa cum elegantia litterarum magnitudo a summo ad imum descendit (ut in n. 138 182 193 258 273 364 al.). Observavi in titulis multis versus a litteris paullo (sed millimetris tantum aliquot) maioribus incipere, versus dextram modulum deminui; incuria puto. Saeculo quarto quintoque diversitas illa modulorum denuo magis magisque evanescit titulique ad actorum in scribendo aequabilitatem redeunt (v. infra p. 237 248 dicta). De diversis in eodem monumento scripturae generibus dictum est supra (p. L).

Aliqua ratione illud quoque huc pertinet, quod litterae, ut vidimus, initiales tam titulorum integrorum quam singularum partium eorum interdum maiores factae sint quam reliquae. Dixi de initialibus infra p. 372 (cf. etiam infra n. 1087 1093). Non I et F tantum, quae frequenter prominent, sed etiam reliquae litterae omnes in actis initio capitum altiores sunt, ut in *monumento Ancyrano* constanter (infra n. 1090 cf. Mommseni ed. II p. 190; et n. 967), rarius in titulis (ut infra n. 293 321 393 447 534). Versus a litteris maioribus incipiunt iam in carmine *Cn. Taracii* Campano (CIL X 4362 = CIL I 1202 PLME tab. LXXX*c*).

Quaedam quae a communi consuetudine scripturae monumentorum disponendae recedunt hic breviter commemoro.

In margine interdum tabulae, veluti in mensis, quibus tituli mensurarum vel similes inscribi solebant, etiam tituli alii, veluti sepulcrales exarati sunt, ut in fragmento urbano (CIL VI 3906) et in Iovis Dolicheni ara Africana (CIL VIII 2625). Similiter dispositi sunt tituli sepulcrales urbani aliquot variis de causis, quas considerare longum est (CIL VI 6705 6752 6765 7383 10115 10314 10808 11005 12013 12271 13843 17317 17368); etiam tegulae christianae Hispanae ita inscriptae sunt (Inscr. Hisp. christ. 193 195 196 198). In marginibus lateribusque addita diversa interdum regione procedunt, ut in ara Herculis Allifana (CIL IX 2322) et in titulis sepulcralibus urbano (CIL VI 3569) et Africano (CIL VIII 2801). Quae pavimentis inserebantur tabulae inscriptae stanti titulos offerunt commode legendos, ut urbanus, cuius specimen dedimus (CIL VI 17987, infra n. 1153).

De usu antiquissimo titulos frontis in latera perducendi, ut in lege vetusta fani Spoletina (H. Iordan quaestiones Umbricae, Regimontii 1882 4., p. 16), et de consuetudine etiam recentiore aetate servata titulos in plures tabulas distribuendi (quod etiam in pavimenti Tarraciensis titulo accidit, CIL X 6306) deque aliis eius generis rebus hic non quaero. Ad artem enim tectonicam magis spectant quam ad palaeographiam. Neque curo artificia illa aevi labentis e tabulis Iliacis Graecis et ex Optatiani Porphyrii carminibus nota, quibus litterae titulorum in figuras geometricas dispositae ita repetuntur, ut quoque versus lectae intellegantur; velut in titulis pavimentorum christianis Hispanis et Africanis (Inscr. Hisp. christ. n. 145 CIL VIII 9710 9711).

Atque haec quidem sufficiant de inscriptionum indole ut ita dicam externa in universum adnotanda; iam signa varia interpunctionis consideranda sunt. Interpunctio

Puncta in titulis Latinis inde a vetustissima aetate ad vocabula distinguenda (unde omittuntur in fine versuum) singula tantum posita esse loco eo, qui mediam litterarum altitudinem aequat, notum est. Nam quod semel in titulo vetustissimo Pisaurensi tria puncta ⁝ adhibita sunt (quae in titulis reliquarum linguarum Italicarum in usu fuerunt) iuxta simplicem interpunctionem (CIL I 1427 = PLME tab. XLIV *P*), hoc satis incertum est testimonium; quae Ritschelius praeterea in enarratione composuit duplicis (··) vel triplicis (···) interpunctionis exempla aliasque varietates in patellis pictis, glandibus cet. observatas non maioris momenti sunt, quam quod in vasculo Pompeiano semel puncta duo : (CIL IV 2635) et in Arretino in titulo litteris prominentibus scripto duo item rotunda similiter posita extant (*Bullett. dell' Inst. archeol.* a. 1879 p. 166). Puncta singula

Forma punctorum rotunda, quae aliqua cum probabilitate pro primitiva habenda est, extat in laminis quibusdam aeneis vetustis, in Tusculana *M. Fourii* (CIL I 63 64 PLME tab. XLIX *B C*), in urbana *Apollinis* (CIL I 187 PLME tab. II *B*), in patera Berolinensi *A. Septunolenae* (CIL I 1491 PLME tab. II *H*), deinde in eis potissimum titulis, qui litteras habent prominentes. Punctorum forma rotunda

Sunt eius generis sigilla argillacea urbana a Dresselio edita (*Annali dell' Inst. archeol.* LII 1880 p. 290 n. 75 78 tab. *R* 13—16) et lucernae una cum illis repertae plumbeae (ibid. n. 87 111 tab. *P* 19 33), deinde fistularum et massarum plumbearum tituli (infra n. 1204 1208—1211).

Perquam raro et quasi per exceptionem tantum in titulis puncta rotunda inveniuntur; vidi eos in Africanis duobus saeculi tertii (CIL VIII 5280, qui interpunctionem syllabariam habet, et 8828, in quo puncta fortasse a manu recenti refecta sunt) et in urbano saeculi quarti, ubi nescio quo consilio numerus II a punctis duobus circularibus includitur (infra n. 730).

In materia vero dura lapidea cum puncta rotunda scalpendo incidere difficile esset, consentaneum est quadratarios primum quadratam eis dedisse formam e quattuor scalpri ictibus ortam (◻), interdum cruci iacenti similem (×); exempla eius formae fortasse vetustissimae Ritschelii enarratio (p. 119) composuit (adde CIL IX 726 2610). In hac sylloge duo tantum eius formae exempla extant, sed quae Caesare vetustiora sint, Aquileiense (n. 23) et Hispanum (n. 39). quadrata

In punctorum quadratorum locum mox paene ubique cesserunt triangularia, quae a vetustis inde temporibus (ut Ritschelii exempla docent) ad recentissima paene sollemnia manserunt (cf. infra n. 2 et n. 778), variis sane modis formata, sed ita ut scalpri ictus saepe aperte referant. Exempla eorum proferre inutile est, nam saeculi potissimum primi tituli longe plurimi ea habent. Consentaneum vero est, formam simplicem triangularem, ubi litterae ad pictarum exemplum ornatae et fastigatae sunt, et ipsam curvari et exornari (ut v. c. in n. 26 49 60 112 149 172 211 214 220 246 265 cet.). Varias admodum punctorum triangularium formas exhibet titulus saeculi primi Taurinensis (CIL V 7456); curiose ornatas Germanicus musei Coloniensis (Bramb. 329). Aetate labente ex forma triangulari interdum forma linearis angulata > (ut infra n. 383 et in titulo Britannico CIL VII 1091) aut v (CIL VI 467) remansit; hamatam Ritschelius dixit < antiquiorem formam similem. triangularis

Sed mature quasi sponte triangularis forma punctorum in folioli hederacei formam transiit. Ita enim simpliciter formam hanc punctorum explicandam esse intellexerant Reinesius (in praef. thesauri sui p. 7) et Raphael Fabrettius (syllogae suae p. 118 ss.); neque inmorabimur in ridicula epigraphicorum explicatione de cordibus vel dolore transfixis vel amoris testibus somniantium (cf. O. Iahn spec. epigr. p. 76). In titulo Cirtensi puncta diserte appellantur *hederae distinguentes* (CIL VIII 6982). Forma illa hederacea a liberae rei publicae titulis abest; vetustissima hederacea

eius exempla videntur praebere tituli aliquot Gallici (infra n. 34 35 36 191, qui puncta habet omnia inter se diversa, ara Narbonensis n. 1099), Hispanus a. 735 (infra n. 225), Mantuanus (n. 14), Germanici *M. Caelii centurionis* (n. 197) alterque aetatis Tiberianae, qui iuxta reliqua puncta simplicia in fine duo foliola habet (n. 205; adde Bramb. 609), eiusdem fere aetatis Africanus, in quo item foliolum iuxta puncta triangularia adhibitum est (infra n. 232). Frequentiora deinde paullo fiunt inde a saeculo primo exeunte (v. n. 138 252 311 361); adde Pompeianum musei Neapolitani, qui foliola ubique habet elegantia (CIL X 1033), Histricum (CIL V 555 ubi altero tantum versu foliola sunt duo, postea fortasse adiecta?), Taurinensem (CIL V 6954), Germanicum (infra n. 396), Hispanum (infra n. 426), Africanum, in quo puncta nonnulla sagittarum cuspidi similia sunt, alia lituis (CIL VIII 792). Saeculi secundi sunt exempla mea Pannonica (n. 373 375 377), Gallica (n. 390 391), Britannica (n. 419); adde Praenestinum musei Vaticani *M. Scurrei Fontinalis*, Gabinum musei Parisini *Bussieniae* alicuius *Iustae* (nescio ubi editum), Germanica (Bramb. 196 626, in quo unum folium praegrande est versu 4 extremo, 635 et infra n. 936). Saeculis tertio et quarto foliola variis modis formantur (ut infra n. 524 703 737 750) atque tam frequentia sunt, ut exempla pauca memorare sufficiat propter elegantiam aut raritatem formae conspicua Africana (CIL VIII 2236 9059) Moesiaca et Pannonica (ut infra n. 1095 et CIL III 3454 al.), Britannica (ut infra n. 649); saeculi quarti sunt Ostiense (n. 756), Puteolanum (n. 761), aes Paestanum (n. 885), quinti tituli urbani (n. 720 721 750). Initio potissimum titulorum sepulcralium saeculi tertii foliola iuxta D·M formulam aut singula aut plura ponuntur et cumulantur ut in Coloniensi (Bramb. n. 349) et in urbanis (CIL VI 13104 et *Q. Medici* alicuius *Aug(usti) lib(erti)*).

Interdum folii forma asciae similis est, ut in titulo urbano *Antoniae Feliciane*, ubi ante et post D M folia hederacea sunt, mediis vero litteris interposita ascia illa (CIL VI 12041). In Raeticis quibusdam titulis folia duo inter D · M posita raro artificio inter se coniunguntur (ut CIL III 5939 5951). Etiam in christianis titulis variarum regionum folia non rara sunt (v. Inscr. Hisp. christ. p. 116).

Formas foliorum peculiares praebent tituli urbani, saeculi quarti folioli tenuis (CIL VI 846), ʒ sepulcrales aliquot antiquiores (CIL VI 10632, ubi etiam ƨ est, 12207 15316 19232, ubi haec ∞ est). Regii Lepidi repertus hanc habet formam ꝺ (CIL XI 961).

In titulo aliquo Gallico saeculi fere tertii quartive litteris malis scripto pro singulis puncta quina in quincuncis formam disposita (fortasse ut aliquo modo indicarent folium futurum) ⁙ vocabula distinguunt (CIL XII 1416). In Africano saeculi tertii puncta serti formam habent (CIL VIII 4216). Eius generis varietates aliae componi possunt.

lineolis vel apicibus similia — Pronum erat in cursiva potissimum scriptura, ut puncta in lineolas transirent. Exempla iam praebent scriphata Pompeiana (CIL IV 1261 1896 1899 1908 2203 2400); inde a saeculo fere altero exeunte forma haec etiam in titulos sculptos transiit. Lineola aut curva est ~, ut in titulo urbano sepulcrali saeculi fere secundi (CIL VI 11890) et in tertii saeculi tribus, quos infra posui (n. 494 500 681; adde CIL VIII 8469), aut ∾ (ut in aequali CIL VI 10632 ubi etiam ʒ forma est), aut fere recta ⸜ vel –, ut in saeculi alterius urbanis aliquot (CIL VI 10848, cuius infra particula exhibita est n. 1060, formae ibi simplex hederacea et curva ∾ una cum recta adhibitae sunt, 15861) et in exemplis tertii saeculi infra propositis (n. 506 510 543 599 677). Virgulae illae vocabulis separandis praeterea quoque non admodum raro observatae sunt (v. CIL X 2678 3570 3704 7192; adde Antiatem Orell. 2648 et CIL VIII 763 8473 alios). In actis etiam recentis aetatis si omnino puncta ponuntur formae regularis sunt, linearis raro (ut a. 322 infra n. 883), hamatae ubi spatium explent (n. 984).

Apices — Ducit hoc quasi sponte disputationem ad ea interpunctionis signa, quae e grammatica ratione pendent. Apicibus supra vocales positis syllabas longas signari solitas esse iam Fabrettius recte observaverat (p. 167 ad n. XXXII), qui antiquissimos eius usus testes sibi notos protulit cenotaphia Pisana (infra n. 1063 1064) et laudationem Turiae (infra n. 1033). Secutus est Marinius (Arv. p. 709, 713), qui recte illud quidem sensit erravisse viros doctos omnes, quorum nomina enumerat, cum veros accentus eos esse crederent, neque vero ipse eos explicare potuit. Augusti aetate apices frequentissime poni, post Traianum vero desinere statuit, eumque secutus est inter alios Borghesius (opusc. III p. 26). Quod Fabrettius iam recte observaverat postea plenius explicuit Franc. Ritter[1]) et post Olai Kellermanni errores[2]) statuerunt Ritschelius (opusc. IV p. 374 ss.), Garruccius[3]), H. Weil et Th. Benloew[4]), Guil. Weissbrodt[5]), alii, scilicet vocales productas apicibus designari, si modo legitimo usu adhiberentur. Hunc enim legitimum eorum usum fuisse probant exempla plurima collecta (in CIL I p. 600, II p. 779, IV p. 256, V p. 1205, VII p. 343, VIII p. 1109, IX p. 799, X p. 1170). Post Hadriani Marcive tempora apices rarescunt, ut observatum est a multis; sed extant aliquot in nota vigilum basi urbana a. 210 (CIL VI 1058 bis in CÓS vocabulo), complures in basi Burdigalensi a. 224 (infra n. 602). Usque ad Gallieni fere aetatem hic illic observati sunt, ut in titulo *Saloninae* Aquileiensi (CIL V 857).

Forma — Apicum forma vetustior hamata est ʾ (v. infra n. 1 126 173 185 235 246 255 1046 CIL IX 3393 4087 CIL X 789 1747 1889 cet.; Marinius Arv. p. 39 falso V litteram hoc apice sive sicilico distinctam pro OV positam esse putavit), multo frequentior ea, quae a punctis eiusdem generis intra litteras adhibitis non distinguitur ′ (ut infra n. 68 79 102 163 173 187 249 324 332 343 345 365 382 383 388 393 438 457 602 1112 1114 1125 1126 1158 1164).

In actis minus frequens est quam in titulis; de *monumenti Ancyrani* usu vide Mommseni commentarium (p. 190[2]; in diphthongis ibi non ponitur); *diplomata militaria* nullos habent, *fasti calendaria acta Arvalium* reliqua acta lapidi insculpta non admodum multos (n. 874 948 959 978 990 991 998 1007 1009 1076 1081 1084 1085 1092 1099 1100). In titulo Nemausensi a. 729 multis nominibus propter scripturae formas memorabili in COS vocabulo apex dicitur esse hac forma ⊤ (infra n. 186). Rarissime apex in I littera ponitur, ut semel in *monumento Ancyrano* (I 15), in decreto Puteolano (n. 1084), in *laterculo funeraticio* urbano (n. 1046), in titulo Ostiensi quater (infra n. 324; cf. CIL III 5336 CIL V 4676). Interdum apex ad V litteram geminandam videtur positus esse, ut in SERVS SERVM vocabulis pro *servus servum* ita scriptis in titulis quibusdam Gallicis (CIL XII 1598 2522); sed potest hic quoque indicare simpliciter vocalem productam.

Sicilicus — Raro, ut grammatici veteres testantur, apex sive sicilicus consonantes geminandas esse indicat. Testimonia grammaticorum non neglexit Marinius (Arv. p. 30); probant usum exempla quaedam epigraphica post Marinium observata MVMIAES, SABELIO, OSA, ..ROMACA (Mur. 1616, 27 CIL V 1361 cf. 8981*a* CIL X 3743 CIL XII 414; cf. Hermae vol. IV a. 1869 p. 413 ss.), quae omnia vetusta sunt, i. e. aetatis Augustae ineuntis. Postea hic usus videtur prorsus evanuisse. Aliquanto sane recentior, i. e. saeculi fere secundi exeuntis, est titulus musei Capitolini, in quo quinquiens Vettius nomen, ut videtur, ita scriptum est VETIVS (Fabretti p. 73, 71); Marinius (Arv. p. 37) adnotat: '*pare che la linea vi facci le vice del secondo* T'. Potest tamen hic quoque sicilicus indicare vocalem productam, nisi pro mero ornamento habendus est.

Pseudo-apices — Apicum legitimus usus cum late patuerit, videtur a quadratariis minus peritis translatus esse ad vocales breves (id quod vitio etiam in *monumento Ancyrano* semel VI 29 accidit) et adeo ad consonantes ornandas, similiter atque puncta vidimus non raro in apicum formam transiisse. Extant apices eius generis in titulis quibusdam sepulcralibus urbanis saeculi secundi et tertii, ut in *Arruntiae Cyrillae* (n. 279) et in Puteolano *Terentiani* (n. 1174) infra propositis, in *M. Aurelii Aug(ustorum) lib(erti)*

---

1) F. Ritter elementorum grammaticae Latinae libri II (Bonnae 1832) p. 77 102.

2) In Ottonis Iahn specimine epigraphico in honorem Olai Kellermanni (Lipsiae 1841) p. 103 ss.

3) Raph. Garrucci *i segni delle lapidi latine volgarmente detti accenti* cet. Romae 1857 (XV 51 pp.) 4., cf. *Bullett. dell' inst.* a. 1858 p. 47 s.

4) H. Weil et Th. Benloew *théorie générale de l'accentuation Latine* (Parisiis 1856) p. 293 ss.

5) W. Weissbrodt specimen grammaticum Confluentibus 1869 (36 pp.) 8., quaestionum grammaticarum partic. II Brunsbergae 1872 (19 pp.) 4.

Secundi (CIL VI 13226), in *Q. Terentii Prisciani* eo, quem inde a Fabrettio (p. 235, 619) palaeographici scriptores noverunt (v. supra p. XLIX), in arula urbana inscripta *Genio* | *Similis* | *familia*, ubi in fine versuum trium ponuntur (Fabretti p. 75 VII), in titulo Ostiensi *Munatiae* alicuius *Primitivae* (CIL XIV 1381); quaedam praeterea eius generis in titulis Bovillensi (apud Fabrettium p. 456 XVI et 74) et in Italiae inferioris variis observata sunt (CIL X 1699 1914 2940 6100). Non absimilis est apex in titulo Africano semel versui ultimo appositus (infra n. 457).

Puncto-rum locus

Dixi antea puncta more sollemni litteris mediis apposita esse. Usus hic tam fuit sollemnis, ut exceptiones rarissimae sint. Propter spatii angustias puncta interdum summis litteris apposita sunt, ut in feriali Cumano (infra n. 981), in titulo urbano a. 177 (n. 1050), in titulis quibusdam semibarbaris, ut in Gallico vetusto (infra n. 37), deinde in fastis Ostiensibus (n. 959) et in sepulcralibus aliquot urbanis (CIL VI 11220 ad D'M', 14404 al.), in Salonitano saeculi tertii (CIL III 1938), in Africanis quibusdam eiusdem aetatis (CIL VIII 775 4604). Multo etiam rarius secundum noviciam consuetudinem puncta litteris imis dicuntur adscripta esse, veluti in titulo Aufidenate aliquo (CIL IX 2805, si modo puncta illa vetusta sunt) et in vallis Anaunorum aliquo saeculi fere tertii 'litteris optimis' scripto, sed qui nexus habet plurimos, ubi deciens fere ꓕ litteris contignatis punctum non adscriptum sed subscriptum est ꓕ̣ (CIL V 5068). In titulo Mogontiacensi a. 199 semel post ꓕ item propter spatium punctum ad imam litteram appositum est (infra n. 615), et sic alias interdum. Sed haec perpauca tantum exempla innotuerunt ex tot milibus inscriptionum; iure igitur puncta ubi in imo versu collocata sunt fraudis suspicionem movent.

Puncta litteris mediis interposita

Spatii deinde angusti causa vel propter elegantiae cuiusdam studium puncta interdum litteris rotundis C D G O Q mediis interposita sunt, ut in titulis Gallicis (infra n. 384 385) et in oratione Claudii Lugudunensi (infra n. 799), in titulis Germanicis (Bramb. 483 941 cet.), Britannicis (ut CIL VII 178), Hispanis (infra n. 448 CIL II 1584 1992 2679 3727 4151 4521 4574), item passim in instrumenti domestici, potissimum in patellarum, titulis.

Inter-punctio syllaba-ris

Aliud artificii genus, cuius hoc loco mentio facienda est, illud est, quod non vocabula singula, sed vocabulorum syllabae atque adeo singulae litterae (ut in titulo Pompeiano picto A·E·D CIL IV 823) punctis distinguuntur. De interpunctione syllabari post Fabrettium (p. 374, ubi exempla non pauca saeculi potissimum alterius et posteriorum, etiam Graecum, proferuntur) Antonius Maria Lupi accurate egit, ut solebat (Epitaphium Severae martyris p. 67 ss.). In titulis sepulcralibus hominum inferioris condicionis eius generis scribendi lusus videntur locum habuisse, ad artem sollemnem in titulis magnis publicis privatisque conspicuam raro perveniebant. Saeculo primo exempla paullo rariora sunt (v. CIL VI 1959 4013 CIL IX 4231); ceterum reperiuntur tam in urbe (CIL VI 77 440 1070 16699 16898 16951 17929 19441 19542 19574 19688 cet.) et in reliqua Italia (CIL IX 2892 3721 4028 4039 6320 CIL X 5871) quam in provinciis Dacia (CIL III 1223) Dalmatia (CIL III 3069 3093) Britannia (CIL VII 238 726 1092 et saepe in instrumenti domestici titulis) Hispania (CIL II 74 149 565 1778 2061 2938 3170 3297 3737 3946 3993 4085 4593) Africa (infra n. 463 793 a. 508 CIL VIII 4919 9376 al.). Singula interdum vocabula, potissimum initio et in fine titulorum, inter litteras omnes puncta habent, ut scripta sunt ·Ↄ·L· in titulis urbanis saeculi primi (CIL VI 19577) et alterius (CIL VI 19498), in Britannicis quibusdam titulis D·I·S (CIL VII 328), P·O·S (CIL VII 372), V·E·X (CIL VII 939), E·Q (CIL VII 954); etiam in patellarum titulis talia inveniuntur. Duravit usus ad infimam aetatem, ut docent exempla quaedam christiana Firmanum (CIL IX 5419) et Vercellense a. 528, in quo interpunctio syllabaris per totum carmen observata est (CIL V 6742). Quae infra proposui exempla praeter Africana iam memorata (n. 463 793) urbana duo a. 239 (n. 502) et a. 389, ubi tamen semel tantum punctum syllabas discernit (n. 740), et Germanicum a. 235 (n. 635) ad usum illustrandum sufficient. Interdum mero errore punctum in fine syllabae videtur positum esse, ut in titulo Noviomagensi a. 185 (infra n. 413).

initio

Cum puncta eo tantum consilio ponerentur, ut vocabula secernerent, consentaneum est, initio inscriptionum ea ponenda non fuisse. Neque posita ibi sunt in longe plurimis inter tot milia titulorum actorumque servata. Sed tamen sunt quaedam exceptiones. Quod semel ante COS initio versus punctum positum est in titulo alioquin recte distincto urbano a. 75 (infra n. 241) itemque semel in titulo Concordiensi saeculi secundi initio versus alterius (infra n. 352) non curo, nec fidem habeo eidem rei in titulo *Vitellii* traditae (CIL VI 929). Sed saeculo tertio animi, ut videtur, causa interdum puncta initio versuum posita sunt, ut in titulo Puteolano militis (CIL X 3348), in sepulcralibus urbanis (CIL VI 10940 11839 12456 12854), in Pisano (CIL XI 1483), deinde in saeculi quarti quintique quibusdam honorariis urbanis sive suburbanis (ut infra n. 744 756), in Africanis quibusdam saeculi tertii quartique (CIL VIII 1302 9324 9589 cet.). Sic in titulo Peltuinate saeculi fere secundi 'litteris elegantibus' scripto inter puncta duplicia posita est formula finalis ·S· ·V· ·T· ·L· (CIL IX 3478). Foliola potissimum hederacea initio ante et pone versus primi vocabula formulasve poni solent (v. infra n. 491 731 CIL VI 12041 Bramb. 633).

Aliquanto saepius quam initio in fine versuum puncta sive foliola virgulaeque adduntur, quanquam longe plerique tituli accurate sculpti ex certa interpunctionis vetustae lege eis carent; ut recte in universum Maffeius puncta in fine versuum posita pro indiciis habuerit noviciae originis titulorum (art. crit. lap. p. 212 ss.) Sunt tamen ab hac quoque lege exceptiones. Quaedam exempla iam praebent tituli Pompeiani picti (CIL IV 882 921 1097*c* 1144 2953 2988) et scariphati (CIL IV 1551 1891), praesertim post vocabula non perscripta (ut CIL IV 1983 2970); eiusdem fere aetatis sunt basis *Fortunae* urbana a. 752 (n. 1034), cippus urbanus *C. Annii Cimbri l(iberti) Heleni* (infra n. 7), titulus sepulcralis Pompeianus *M. Caledi M. l(iberti) Antiochi* (CIL X 1048), qui habent puncta in fine versuum duorum priorum. in fine

Paullo frequentiora fiunt exempla saeculo altero (v. infra n. 1050 a. 177) tertioque, potissimum post scripturae compendia, quod etiam in codicibus scriptis observatum est (ut in Gaio Veronensi; v. Studemundi praefatio p. XXV et index notarum; cf. etiam ara Narbonensis infra n. 1099). Testes consuetudinis aliquanto graviores praeterea memoro Hadriani adlocutionem Lambaesitanam, ubi in praescriptione punctum est in fine post vocabulum perscriptum (infra n. 1104), titulum urbanum fulguris (n. 1061), tabulam Tranquillinae Augustae urbanam (CIL VI 1095 cf. add. p. 844), sepulcralem vulgarem (n. 1168). Adde titulum sepulcralem Barinum Latinum quidem sed Graeco more scriptum, cuius puncta triangularia in fine versuum posita quadratarium arguunt moris Romani ignarum (CIL IX 285). Praeterea in carminibus versuum fines interdum punctis indicantur (ut infra n. 1114 1130 1133 1145) aut ubi versus dimidii scribuntur (ut n. 1135), quod non raro factum est (v. n. 1131 1136 1141), quanquam saepius versus integri scribuntur (ut n. 1126 1127 1128 1142).

Praeter interpunctionem ut ita dicam regularem supersunt in titulis inscriptis reliquiae quaedam non frequentes interpunctionis alicuius magis excultae, quas non inutile erit componere. Constanter duplici forma ⁊ et ʒ signa adhibita sunt in fine capitum et interdum ad vocabula paginarum duarum separanda in *monumento Ancyrano* (v. Mommseni commentarium[2] p. 190). In *laudatione Murdiae* urbana praeter apices 'passim adsunt virgulae ad commata separanda inter litteras interpositae, forma eadem atque apices' (CIL VI 10230); eaedem virgulae commata separantes extant in titulis praeter urbanos aliquot *P. Paquii Scaevae* Histoniensi (CIL IX 2845 2846), in Curensi (CIL IX 4973), in Nucerino *M. Virtii Cerauni*, cuius ectypum gypsaceum in museo nostro Berolinensi est (CIL X 1081), in decreto Ephesino (n. 1091). Interdum spatium tantum maius vacuum relictum cola separat, ut in praescriptione edicti Diocletiani factum est (n. 1097). In fine versuum ubi spatium vacuum relictum est signa eius generis non raro addita sunt, ut ' in *actis Arvalium* a. 37 (n. 984), Ↄ in *lege regia* (CIL VI 930 infra n. 802), ɛ ʒ Ↄ ⌐ in lege Salpensana (CIL II 1963, 1 40 44 2 23 28 43), V in *ara Narbonensi* (n. 1099), ⊢ in titulo *Iulii Festi Hymetii* urbano extremo (CIL VI 1736 infra n. 735), ÷ in Campano publico saeculi quarti (CIL X 3867), in sepulcralibus nonnullis urbanis (ut CIL VI 12869) et Africanis (ut CIL VIII 9416), in titulo Hispano christiano a. 593 (Inscr. Hisp. christ. n. 12). Nescio an huc trahenda sint signa alioquin ob-

Inter-punctiones reli-quae

scura ⟩ ante *ce(n)s(ores)* vocabulum in titulo vetusto Thurino (CIL X 123) et ɔ in sepulcrali *P. Cestii Catulli* ex Thermis Himeraeis (CIL X 7385, ubi v. 2 ANN · ɔ XXVI est). In carminibus deinde, de quorum scriptura et ordine infra accuratius dictum est (p. 396 ss.), si cola metrica ultra versus extenduntur aut versus non complent neque solo spatio versuum initia indicantur (ut in Scipionum elogiis CIL I 30 et 33), signa distinctionis varia, ɔ (ut semel in titulo urbano CIL VI 5767), puncta (ut CIL XII 533), virgulae (ut infra n. 1120 1125; CIL III 4487 CIL V 6295 in carmine christiano, in Syriaco saeculi quarti CIL III 124 cf. add.), foliola in christiano Hispano saeculi septimi (Inscr. Hisp. christ. n. 86), H in carmine Africano (CIL VIII 212 et in urbano infra n. 1132) adhibita sunt. Signa similia in medio pentametro aliquot titulorum urbanorum sunt, qui carmina in *Dorchadem* (CIL VI 17056 infra n. 1117) et *Vibiam Phrynen* (infra n. 1125) continent.

Siqua ad vocabula in fine versuum scripta explenda necessaria locis suis propter angustias spatii collocari non poterant atque supra vel infra versum addebantur, signis quibusdam interpunctionis ad ea legentes revocabantur. Sunt eius generis signa non infrequentia in fastis Capitolinis (v. infra p. 328 s.) et in titulis quibusdam sepulcralibus urbanis vetustioribus, veluti in carmine *Aurelii Hermiae* lanii (CIL VI 9499 = CIL I 1011 Annal. Inst. archaeol. a. 1865 tab. *R*), in cippo *Aebutiorum* (CIL VI 10588 = CIL I 1020 PLME tab. XCII *A*), in titulis *Q. Calidii Parnacis* (CIL VI 14065 = CIL I 1035), *Q. Birrii Apo*[*llonii*] (CIL VI 13592), in publico Naronensi Dalmatiae (CIL III 1820 = CIL I 1471), in sepulcrali item vetusto Interamnate (CIL IX 5124).

Palmulae Ut foliola hederacea, ita etiam palmae ramuli in titulis interpunctionis locum obtinent multo ante eam aetatem, qua christiani homines cum pisce et columba aliisque symbolis eius generis palmulas quoque frequenter in titulis sculpserunt. In titulis urbanis ramuli illi interdum interpunctionis gravioris locum obtinent, ut in *Domitiani* titulo a. 86 (CIL VI 815), in sepulcralibus *sacerdotis* alicuius *Solis* a. 199 (CIL VI 2270), in liberti alicuius *a cubiculo* saeculi fere alterius (CIL VI 7370 ubi in fine ramulus adiectus est), *M. Tuccii* alicuius *Eutychetis* (CIL VI 10011*a*, ubi cum foliolis D · M formulam claudit), *P. Aelii Ygini* (CIL VI 10724 ubi ante et post D · M positi sunt ramuli), *Anthusae* alicuius (CIL VI 11871, ubi in fine sunt; cf. praeterea CIL VI 11914 12085 12397 12517 19169 19574 alii). In tabellis columbariorum titulos illos parvos secludunt ab aliis iuxta in eadem tabella incisis (ut CIL VI 3643 6855 6981 6982 7941 8708 9510 12332 12408 12492 12693) aut medii interpositi sunt (ut in CIL VI 10276 saeculi tertii CIL VI 449 aetatis Tiberianae). Exempla eius generis permulta praeterea cumulari possunt. Simili ratione adhibiti sunt ramuli in titulo Norico *dei Latobii* (CIL III 5098), in Ebrodunensi saeculi secundi (CIL XII 81), in Viennensi saeculi primi (CIL XII 1876), in Britannico saeculi secundi (CIL VII 794), in Hispanis non paucis saeculi alterius et tertii (CIL II 1115 1116 1117 1514 2071 3127 3583 3718 4064 4618; in Asturicis Ephem. epigr. III p. 194 n. 150—158, in christianis Inscr. Hisp. christ. n. 24 123), in eiusdem aetatis Africanis (CIL VIII 1882—1884 6046 8438); nec raro denique in patellarum amphorarum doliorum titulis impressis extant. Exempla pauca infra exhibui Gallicum et Germanicum saeculi secundi (n. 390 400), saeculi quarti Puteolanum (n. 761). In titulo aliquo Lugudunensi saeculi fere tertii pagano puncti locum versu ultimo avicula obtinet (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 184 VIII). In titulis denique christianis crux anteposita multiplici consuetudine paene in interpunctionis locum cessit.

Interpunctio omissa Liberae rei publicae aetate raro tam in titulis brevibus quam in longioribus actorumque similibus puncta aut prorsus omissa aut pro arbitrio adiecta vel omissa sunt, ut observavit Ritschelius (PLME enarr. p. 119); si exceperis leges saeculi septimi, in quibus aut Graeco more aut propter incuriam caelatorum saepius desunt (cf. etiam acta saeculi primi infra n. 1037 1038, ara Narbonensis n. 1099, Hadriani adlocutio Lambaesitana n. 1104, ubi spatio deficiente puncta saepe omittuntur). Multo etiam rarius in titulis optimae aetatis, i. e. ab Augusto fere usque ad Hadrianum, puncta omissa sunt, uno titulorum genere excepto. Scilicet tituli, qui litteris ex aere incrustatis constant, raro puncta addiderunt, ut demonstrant urbani *arcus Titi* (infra n. 245), *Hadriani* (infra n. 273), *aerarii Saturni* (infra n. 469), *Constantini* (n. 702, ubi vocabula compendiis scripta tantum puncta habent postposita); contra in titulis *columnae templi* et *Antonini* (n. 294 295) puncta adsunt. Incuriae vero quadratariorum provincialium illud tribuendum est, quod in titulis v. c. Germanicis quibusdam saeculi primi (Bramb. 486 1197) atque in Africanis saeculi tertii (CIL VIII 774 827 7039) puncta omissa sunt. Omittuntur denique satis frequenter in inferioris condicionis hominum titulis sepulcralibus, potissimum si litteris minoribus tenuibus pictis scripti sunt, tam urbanis quam provinciarum.

Neque vero illud huc trahendum est, quod in titulis liberae rei publicae saepe (v. indicem CIL I p. 610), item non raro in saeculi primi accurate scriptis vocabula cum praepositionibus, a quibus reguntur, scribendo nulla interpunctione interposita coniuncta sunt, cum contra vocabula cum praepositionibus composita non infrequenter seorsum scribantur (v. CIL I ind. p. 609). Dixit de usu illo praepositiones cum casu nominis iungendi (veluti in tot repetitis *inagro infronte* similibusque) Marinius (Arv. p. 518); qui exempla multa collegit, quae ex aetatis optimae inscriptionibus cuiusvis generis nullo negotio augeri possunt.

Vocabulorum divisio In versibus extremis inscriptiones antiquiores, ut commoditati legentium consulerent, vocabula non dividere, sed ad finem perducere solebant. Ad grammaticae praecepta haec potius spectant quam ad palaeographiam; tamen cum coniuncta sint aliqua ratione cum interpunctione nec soleant a grammaticis nostris tractari, breviter hic commemoranda visa sunt. 'Divisionem vocabulorum in extremis versibus aera legalia vetustiora nullam norunt'; exceptiones raras, quas lex Rubria habet, Ritschelius composuit (in enarrationis indice p. 120). Contra in actis aetatis imperatoriae vocabula non raro dividuntur fitque hoc ad legem quam dicimus syllabariam, quae etiam in titulis obtinere solet, exceptis paucis quibusdam exemplis divisionis insolentioris, quae ex titulis antiquioribus idem Ritschelius enumeravit (l. s. s. enarrationis suae), e Pompeianis index voluminis CIL IV (p. 265), e diplomatis militaribus commentarius volumini CIL III insertus (p. 919), e titulis Britannicis index voluminis CIL VII (p. 343). De quaestione pusilla quaeque etiamsi aliquando exhaurietur cum pulvisculo, fructus vix magnos proferet, adnotare sufficiat, ubi omnino vocabula dividuntur, syllabam novam versum incipere solere in actis tam in aere incisis quam in lapide sculptis. Legem hanc sequuntur acta quae infra (p. 277 ss.) composui, *monumentum Ancyranum* (de quo vide adnotata a Mommseno p. 190[2]), *pactum fiduciae* (CIL II 5042 infra n. 797), *oratio Claudii* Lugudunensis (infra n. 799), *decretum Claudii* (CIL V 5050 infra n. 800), *senatus consultum Hosidianum* (CIL X 1401), *decretum Helvii Agrippae* (CIL X 7852 infra n. 801), *epistula Vespasiani* ad Saborenses (CIL II 1423), *epistula Domitiani* ad Falerienses (CIL IX 5420), *leges Hispanae* Ursonensis (n. 805) Vipascensis (n. 806) Salpensana (n. 807) Malacitana (n. 808), tabulae Ligurum Baebianorum (CIL IX 1455) et Veleias (CIL XI 1147 infra n. 804), decretum Bergomas (CIL V 5127). In iure iurando Aritiensium (CIL II 172), in *lege regia* (CIL VI 930 infra n. 802), in *decreto Puteolano* (n. 1084) vocabula omnino nunquam divisa sunt. Legem syllabariam sequuntur *diplomata militaria* et *tabulae patronatus*, quae divisionem vocabulorum in universum vitabant, item acta in lapide sculpta (v. infra p. 329 359), veluti *epistula imperatoris alicuius* in urbe reperta (CIL VI 8619), *basis Nicomachi Flaviani* (CIL VI 1784 infra n. 747), adlocutio *Hadriani* Lambaesitana (n. 1104), alia. Memoro *legem arae Volcani* a *Domitiano* publice propositam (CIL VI 826) propterea quod et ipsa vocabulis divisis plane caret.

Codices manu scriptos vetustiores eandem fere in vocabulis dividendis consuetudinem sequi perspexerunt qui in has minutias inquisiverunt: testes sunt Livius et Gaius Veronenses[1]) et digesta Florentina[2]). Raro in iis divisiones insolentiores reperiuntur, veluti quod ubi consonantes duae syllabas dividunt, ambae novum versum incipiunt; ut *si*||*gnum* scrip-

[1]) Cf. Mommseni de Livio Veronensi commentatio in actis acad. Berol. maioribus a. 1868 p. 163 s. et Studemundi ad Gaium praefatio p. XXII s.

[2]) Cf. Mommseni praefatio vol. I p. XXV.

tum est in titulo Germanico a. 232 (infra n. 635). Aliquanto frequentior est divisio ea, qua *qu* pro syllaba est (*qu*||*am* et similia), quae etiam in *rescripto Constantini* ad Orcistenos lapidi insculpta extat (CIL III 352 v. p. 65). Ceterum in talibus leges ab omnibus receptas non fuisse docent quae de scribendi ratione ab Augusto observata Suetonius tradidit (v. Augusti c. 87): *notavi et in chirographo eius illa praecipue: non dividit verba nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subicit circumducitque*; scilicet signis eius generis, qualia etiam in lapidibus observari diximus (supra p. LXXVIII).

Versuum et vocabulorum collocatio

Ad titulos recte et commode legendos non exigui momenti est versuum iusta collocatio et vocabulorum in iis apta dispositio. Ut versus recte collocarentur lineas adhibitas esse a quadratariis, quarum interdum in lapidibus supersunt vestigia certa, supra exposuimus, ubi de arte lapicidarum diximus (p. XXXI s.). De litterarum modulis variis certo consilio adhibitis item supra dictum est (p. L): restat illud, ut adnotemus in titulis optimae aetatis etiam in singulis versibus litteras certis spatiis divisas secundum ipsarum mensuram collocari. Sunt hae quoque minutiae a plerisque omnino ne observatae quidem, quae tamen multum faciunt ad scripturae epigraphicae Romanae illam, quam omnes admiramur, solidam elegantiam et perspicuitatem. Exempla eius rei proferre vix opus erit: perfecta artis quadratariae magnae specimina, quae propter litterarum singularum formas optimas saepius nominavimus, urbana (n. 45 50 52 53 54 78 86 88 239 242 244 245 257 258 264 265 294 295, quibus multa addi possunt, veluti e. c. titulus sepulcralis CIL VI 8958) Pompeiana (n. 112—115 137 138) Herculanensia (n. 143 331 332) Puteolana (n. 149 337) Taurinense (n. 172) Ostiense (n. 319) Aquileiensia (n. 363 364), eius quoque perfectionis testes sunt. Quanquam qui accuratius examinaverit in talibus quoque municipalem artem non ubique aequavisse urbanam concedet: in *M. Nonii Balbi* titulo Herculanensi (n. 143) alioquin optime sculpto spatia inter litteras singulas non ea aequabilitate distributa sunt, qualem in urbanis aequalibus paulloque etiam recentioribus cernimus. Atque in urbe ipsa in monumentis paullo minus conspicuis, veluti in aquaeductuum titulis magnis et alte collocatis et in lapide asperiore incisis (ut n. 242), collocatio litterarum minus aequa est; tamen si cum illo conferetur titulus eiusdem aetatis Coloniensis (n. 394), urbanae et provincialis artis discrimina quaedam apparebunt. Inde vero a Commodi fere aetate ars decrescit; monumenta aetatis Severianae urbana (n. 465 466 468 469) Ostiensia (n. 527 528 533—535) Puteolanum (n. 546) Brixianum (n. 554) hac quoque re aperte differunt ab antiquioribus, quanquam usque fere ad saeculi tertii partem alteram specimina quaedam artis satis emendatae non desunt, ut titulus *Valeriani* Mutinensis (infra n. 561). Inde vero a saeculo quarto frustra quadratarii urbani veterem elegantiam imitari studuerunt, ut docent praeter alios tituli *arcus Constantiniani* (n. 702) et *amphitheatri Flavii*, qui ad saeculum quintum pertinent (n. 725—727).

In actorum scriptura haec artis pars non tam aequabiliter tractata est quam in monumentis. In universum quidem acta cum cura incisa litteras aequabiliter distributas habent, ut luculenter demonstrant *oratio Claudii* Lugudunensis (n. 799) et *lex regia* (n. 802); etiam *diplomata militaria* antiquiora satis concinne inscripta sunt (n. 813 ss.). Ex actis lapidibus incisis *monumentum Ancyranum* (n. 1090), *fasti* et *acta Arvalium* in hac quoque re sive perfectionis sive neglegentiae specimina praebent secundum aetates satis diversa (n. 948 ss. 983 ss.); neque minus sollerter scripta sunt *laudatio Turiae* (n. 1033), alia. Sed bonae aetatis acta nimis pauca servata sunt, quam ut plenam inde quasque subierit vicissitudines imaginem scripturae continuae, qualis una quaque aetate fuerit, desumere liceat.

VI


ALPHABETA

Composuimus in eis quae praecedunt huius capitis paragraphis quaecunque ad litterarum formas recte iudicandas, ad nexus numeros compendia interpunctionem collocationem accuratius cognoscenda faciunt. Nec tamen inde iam satis intellectum iri credimus, quod maxime interesse manifestum est eorum, qui hoc volumine utentur, scilicet ut facile et celeriter qualis una quaque aetate scriptura epigraphica Latina fuerit perspicere possint. Alphabeta existimavimus necessaria esse, non talia, qualia in parietibus Pompeianis (CIL IV 2514—2549*c* tab. XL), in titulis quibusdam urbano (CIL VI 6831) Veronensi (CIL V 3892) Africano (CIL VIII 3317), in parietibus Carnunti (*Archaeol.-epigr. Mittheil. aus Oesterreich* VIII 1884 p. 80), in tegulis denique Pannonicis (CIL III XXVII 1 p. 962) Dacicis (*Archaeol.-epigr. Mittheil. aus Oesterreich* l. s. s. p. 46) Aventicensibus (Inscr. Helv. 347 4) Germanicis (Bramb. 110) ab otiosis nullaque de causa, ut videntur, inscribi solebant, sed quae ex optimis cuiusque aetatis inscriptionibus desumpta modulo commodo litterarum omnium formas repraesentarent. Itaque alphabeta delineanda curavimus ex huius ipsius syllogae exemplis quam maxime desumpta scripturae monumentalis duodecim, actuariae sex; cursivae sive vulgaris ea sufficere visa sunt, quae voluminis quarti tabula I continet. Litterae singulae ubi in exemplis nostris deerant, adsumpsimus aut ex ectypis titulorum aut ex titulis aliis similibus. Unam seclusimus ab enumeratione *K* litteram; tam rara enim eius exempla sunt, ut nulli eorum quae infra dedimus alphabetorum ex eisdem inscriptionibus desumpta addi potuerint. Curiosis vero ea litterae illius exempla satis futura esse putavimus, quae supra (p. LX) indicavimus.

I ALPHABETA SCRIPTVRAE MONVMENTALIS

I

Aetatis Augustae monumentale vetustius



Ex huius syllogae n. 175 176 (CIL V 525 et 852). B N ex ectypis, H ex n. 4, L ex n. 1. Cf. praeterea n. 12 15 16 29 143.

II

Aetatis Augustae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 52. H ex n. 71, Q ex n. 73. Cf. praeterea n. 45 61.

III

Aetatis Augustae elegantissimum

ABCDEFGHILMNOPQRSTV

Ex n. 113. H ex n. 114, Q ex n. 118. Cf. praeterea aetatis Tiberianae n. 78 101 145—149 189 205.

IV

Aetatis Claudiae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 172. G H ex n. 137, Q ex n. 802. Cf. praeterea n. 86 88 104 134 161 163 172.

V

Aetatis Claudiae e picto exemplo

ABCDEFGHILMNOPQRSTV

Ex n. 135. H et Q ex ectypo.

VI

Aetatis Neronianae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTV

Ex n. 138. Q ex n. 802. Cf. n. 137 182 184.

VII

Aetatis Flaviae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 244. G et L ex imagine photographa. Cf. praeterea n. 239 242 245.

VIII

Aetatis Flaviae elegans

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 331. H et Q ex n. 174 802. Cf. praeterea n. 319 332—334 372 394.

IX

Aetatis Traianae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 265. B ex n. 363, G H ex n. 364. Cf. n. 257 258 260 264 348 361—364 387 429 433.

Aetatis Hadrianae (n. 273 312 325 337 339 349 418 419) Pii Marcique (n. 282 283 294 295 297 341 351 369 374 388 401—405 443 444 455 456 458 459) Commodi (n. 300 305 322 409 410 462) alphabeta proponere non est visum.

X

Aetatis Severianae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTV

Ex n. 465. D ex imagine photographa. Cf. praeterea n. 466—476 525 526 538 546 554 556 581 613 614 619 625 658 673.

XI

Aetatis Severianae elegans

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 532. B G ex n. 534, H ex n. 533. Cf. praeterea n. 527—530 535 602 655—657.

XII

Aetatis Constantinianae monumentale

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 702. Cf. praeterea n. 596 714 729 757 769 778.

II ALPHABETA SCRIPTVRAE ACTVARIAE

XIII

Aetatis Augustae

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 949. B ex ectypo. Cf. praeterea n. 797 798 862—869 897 898 912 948 950—955 965 966 967 969—976 981 983—986.

XIV

Aetatis Claudiae

ABCDEFGHILMNOPQRSTVX

Ex n. 799. H ex extypo. Cf. praeterea n. 800—803 813—825 870—872 913 915 916 956—959 968 977—979 987—1004.
Aetatis Neronianae (cf. n. 1070) ad Flaviorum alphabeta non protulimus, quia non multum ab anterioris aetatis differunt.

XV

Aetatis Traianae ex picto exemplo

ABCDEFGHILMNOPQRSTV

Ex n. 430. H ex n. 439, Q ex ectypo tituli n. 428. Cf. praeterea n. 431 432 436 438 442 660 677 678 683 1005 1007.

XVI

Aetatis Hadrianae ex picto exemplo

ABCDEFGHILMNOPQRSTV

Ex n. 365. B F Q ex ectypo, H ex n. 1188. Cf. praeterea n. 1012 1020.

XVII

Aetatis Constantinianae ex picto exemplo



Ex n. 705. Q ex n. 758. Cf. praeterea n. 512 513 515 543 549 552 563 598 703—707 758 761 772 782 982 1031 1032.

XVIII

Aetatis Constantinianae elegans



Ex n. 783. Q ex ectypo. Cf. praeterea n. 666 667 669 671 697.

In alphabetis hisce non omnes ne optimae quidem scripturae varietates repraesentari potuisse consentaneum est. Quae varietates utrum ad diversarum regionum discrimina certa referendae sint necne diiudicare non audeo; sane probabile est, quadratarios municipales provincialesque continuum quasi incrementum ex urbe atque Italia accepisse. Neque facile est de discriminibus illis satis levibus — in universum quam constans artis exercitatio per omnem orbem Romanum fuerit saepius vidimus — iudicare nisi in re praesenti. Sperandum autem fore ut qui rei epigraphicae operam navabunt in posterum imaginibus titulorum propositis talia quoque magis curent quam adhuc factum est et scripturae varietates per suam quisque regionem diligenter explorent. Interim quae de hac re dum musea epigraphica peragro et ectypa domum reportata iterum iterumque perlustro adnotavi breviter in fine enarrationis huius iam satis longae apponam.

Praeter urbanas inscriptiones Italiae inferioris, Pompeiorum et Herculanei potissimum, deinde etiam Capuae plurima exhibere artis perfectae exempla, ut saepius observavimus, non inde tantum explicandum est, quod ex aliis regionibus nullis tam numerosi textus suppetunt. Sed videntur ibi, ut in reliquis quoque artibus, Graeca elegantia coniuncta cum Romana opulentia opificium excoluisse. Ex municipiis urbi vicinis Ostia non tam pulchritudine quam singulari quadam indole in titulis saeculi potissimum alterius et tertii conspicua est; de reliquis Italiae mediae, Latii Etruriae Umbriae, titulis nondum satis iudicare licet; Bononia potissimum et Veleia, cuius effossiones monumenta optima protulerunt Pompeianis et Herculanensibus similia, monumentorum epigraphicorum pulchritudine inter reliquas urbes excellunt. Ex Italia superiore oppida splendida permulta, ut Verona Brixia Mediolanium Mantua, titulos habent optime sculptos. Tergeste et Aquileia prope accedunt; reliqua Dalmatiae Histriae vicinarumque regionum monumenta minus bona sunt. Pannoniarum et Daciae tituli saeculi secundi et tertii potissimum perquam aequabiliter sculpti sunt, sed minime eleganter; ut docent musei Pestinensis tituli, item Alburni et Sarmizegetusae. Tabulae quidem magnae sarcophagorum non rarae sunt, similiter atque in Dalmatia, sed pulchritudine carent; litterae sunt breves, crassae, puncta magna, nexus frequentes. Etiam in Norico paucis oppidis, veluti Celeia, exceptis, tituli eleganter scripti rari sunt; praestant vero Pannonicis et Dacicis, quod ex Italiae maiore vicinia explicandum est. In Gallia Narbonensi tituli non pauci extant tam eleganter sculpti quam Italici atque adeo elegantiores propter Graecae artis puto viciniam; de reliquis Galliis quanquam nondum plene iudicare licet, tamen cum multo eas minus cultas fuisse constet, etiam tituli pulchri ibi raro reperientur. In Germania superiore et potissimum Mogontiaci tituli extant aetatis Augustae et subsequentis optimi; in inferiore apud Batavos aetatis Flaviae aliquot non mali; in universum autem praevalent in Germaniis saeculi secundi tertiique tituli non bene sculpti, sed satis varii; ut iam exempla infra proposita docent paullo quam reliquarum provinciarum frequentiora; scripturae pictae gracilis specimina adhuc paene prorsus desunt. In Britannia cum saeculi primi monumenta omnino rarissima sint, artis quoque quadratariae vix ulla extant specimina pulchra; in regionibus insulae septentrionalibus etiam saeculi secundi tituli opificio satis rudi sculpti sunt. Tituli Hispaniae et Africae aliquot habent similitudines. In utraque provincia iuxta saeculi primi monumenta rara et maximam partem inculta saeculi secundi in Hispania potissimum, tertii in Africa magnus extat numerus; scripturae aliquot genera, veluti pictae gracilis et ornatae, in his provinciis paene solis observata sunt. Inter Hispanos eminent numero et arte Tarraconenses, inter Africanos Cirtenses; in nulla alia provincia tot epistylia magna inscripta servata sunt. Conspicua denique Africa est propter monumenta numerosa saeculorum quarti ad sextum, quae et ipsa non raro quamvis non pulchre, at accurate tamen sculpta sunt.

Quae hic breviter adnotavimus, exempla infra proposita una cum eis titulis, quos suis quosque locis indicavimus, probabunt; multa praeterea eis addent, quaedam sine dubio corrigent, non multa, ut speramus, refutabunt qui studia haec aliquando resument apparatu pleniore etiam quam qui nobis suppetebat usuri.

INTER IMPRIMENDVM HAEC OBSERVATA SVNT SIVE CORRIGENDA SIVE ADDENDA

N. 32 est iam CIL XII 3138
35 „ „ CIL XII 2882
100 „ „ CIL XIV 2109
186 „ „ CIL XII 3148
329 „ „ CIL XI 1430
528 „ „ CIL XI 1863
560 „ „ CIL XI 1929 1930
1076 „ „ CIL XIV 2112
Ad n. 103 pro Henzen 5873 scribe 5389
113 adde 'titulus scriptus est versu uno'
114 „ 'integra'
196 „ 'v. 1'
205, 236 „ 'inter a. 4 et 14'
338 „ 'a. 119—138'
436 „ 'a. 128'
447, 448 quae de aetate C. Vallii Maximiani adnotavi eis adiuvantur quae nuper de ea O. Hirschfeld exposuit *Wiener Studien* VI a. 1884 p. 123 adn. 4
556 adde 'a. 213'
660 ET imago, II textus; quod videtur praeferendum
682 adde 'a. 238'
727 „ '0,300'

Ad n. 757 adde 'a. 337—361'
758 „ 'c. a. 355'
759 „ 'a. 361—363'
760 „ 'c. 375—383'
767 „ 'a. 306—337'
768 „ 'c. a. 337'
880 in textu pro *frequens* scribe *freques*
927, 928 in subscriptione pro XII scribe XI
1102 „ pro Bramb. 691 scribe 692
1143 adde 'a. 366—384'
1187 in praescriptione pro 'ibi' scribe 'Hispali in museo'

Ad p. XIX. Tituli integri exhibiti sunt non plus minus centum octoginta, sed amplius ducenti.

Ad p. XXVIII. Inter titulos vetustos in tectorio pictos memorandi erant Caleni duo, anni u. 668 alter (CIL I 1505 Ritschl opusc. IV p. 510 cum tab. = CIL X 4669 4670), quorum indicatio casu excidit.

Ad p. 60 (post n. 185). Infra in columna altera v. 8 vocabula quae sunt 'aetatis fortasse Neronianae' loco non suo stant; collocanda sunt quattuor inde versibus inferius post titulum Burdigalensem (n. 194), ad quem pertinent.

PARS PRIMA

SCRIPTVRA MONVMENTORVM

SECTIO PRIMA


A CAESARIS DICTATORIS MORTE AD MORTEM IMP. NERONIS

(ab a. u. 710 ad a. 68 p. C.)

CAPVT PRIMVM

MONVMENTA AETATIS CAESARIANAE

Initium operis faciendum erat a scriptura monumentorum eorum, quae quasi in confinio posita sunt aetatis antiquioris et recentioris. Iam inde a Sullana fere aetate vel potius a saeculo urbis septimo extremo rudis illa maiestas et simplicitas ornatu paene omni carens, quam in vetusta rei publicae liberae scriptura epigraphica distinguimus, cedere paullatim incipit elegantioribus litterarum formis ex Graecis potissimum exemplis derivatis, inprimis in monumentis publicis urbanis. Ita cum Sullae dictatoris ipsius tituli (CIL I 584 = VI 1297 et I 585 PLME tab. LXIX *AB*, item qui nuper accessit Suessanus CIL X 4751), qui casu supersunt ex numero longe maiore sine dubio similium et fortasse elegantiorum, vix differant a paullo antiquioribus, iam quae statim sequuntur temporum ordine monumenta a civitatibus Graecis Romae posita (CIL I 588 = VI 373; PLME tab. LXXII *A*), item ab Italicis in Graecia Romanis magistratibus dicata, veluti Q. Metelli Cretici cos. a. 685 ut videtur (CIL I 595 = III 531 PLME tab. LXX *A*), antiquissima existimanda sunt exempla eius scripturae, quam Augusti demum aetate perfectam et absolutam cernimus. Scilicet altiores fiunt litterae antea magis humiles et quadratae; minus latae sunt et minus profunde incisae lapidibus; singulari deinde elegantia apices earum expressi sunt additis angulis paullulum rotundatis et acuminatis. Videmus formas illas paene excultas in pontis Fabricii titulis a. 692 (CIL I 600 = VI 1305 PLME tab. LXXXVII) et in terminis ripae Tiberis a. 700 (CIL I 609 = VI 1234[b] PLME tab. LXXXIX *A*), item in monumentis L. Afranii cos. a. 694 Picente (CIL I 601 = IX 5275 PLME tab. LXXXVI *B*), in Cn. Pompei Auximate a. 702 (CIL I 615 = IX 5837 PLME tab. LXXXV *C*), in Caesaris dictatoris Bovianensi a. 706 aut 708 (CIL I 620 = IX 2563 PLME tab. LXXXV *C*) aliisque non nullis, quae in operis Ritscheliani tabulis ultimis conspiciuntur. Graecam artem eius quae proxime praecessit aetatis quamque inde fere a successorum Alexandri temporibus invaluisse constat etiam in litteris elegantiorem in modum formandis Romanos secutos esse, ut secuti sunt in reliquis artificiis opificiisque omnibus, praeter titulum propyli Eleusinii ab Appio Caeco Ciceronis in proconsulatu Ciliciae successore extructi (CIL I 618 = III 547), quem hic repetendum curavi, tituli potissimum Graeci aliquot docuerunt eiusdem fere aetatis, insculpti illi elegantia



paene eadem, veluti Samothracii templi a Ptolemaeo conditi ante a. 281 a. C. (editi ab Alexandro Conze in *archaeologische Untersuchungen auf Samothrake* cet. Vindobonae a. 1875 et a. 1880 fol. Vol. I p. 17 vol. II p. 111 tab. XXXVI et XLV) et Pergameni nunc Berolinenses ab eodem nuper descripti et fideliter repraesentati (in actis academiae Berolinensis menstruis a. 1881 p. 869 ss. tab. I—III). Apicum forma acuminata et interdum paullulum rotundata vel in cornua quasi duo dissecta, qualem titulus Eleusinius habet, iam in monumentis illis conspicitur. Eius autem atque paullo etiam recentioris aetatis si plures tituli Graeci innotuerint accurate depicti, maiorem etiam eorum cum Romanis illius aetatis similitudinem fortasse deprehendemus.

Itaque primo loco posui titulum anno fere post Caesaris dictatoris mortem publice collocatum (n. 1), qui multo elegantiores exhibet litterarum formas quam quales in tabula Ritscheliana delineatae sunt. Num vere urbanus sit dubitatur, postquam apparuit gemellus prope Castrum Novum Piceni repertus (CIL IX 5136), quem non vidi. Sed quoniam Aesernini *Genio deivi Iuli parentis patriae* positi pars tantum superest exigua (CIL IX 2628), exemplum illud loco suo movere nolui. Ut Ritschelius in monumentis ad priscam Latinitatem spectantibus quaedam exhibuit monumenta post Caesaris obitum demum insculpta (cf. praefationis eius p. VI et enarrationis p. 74), ita mihi quoque, ut qualis inde a Caesaris morte extitisset scriptura demonstrarem, quaedam in

hac operis parte repetenda erant ab illo iam prolata; nam nisi litterarum formae ipsae in conspectu positae sunt, comparatio apte institui nequit. Videtur autem tituli illius scriptura aliqua ratione differre tam ab antiquiorum aetatis Caesarianae, quos opus Ritschelianum complectitur (praesertim tab. LXXXV LXXXVI LXXXIX), quam ab Augustae aetatis subsequentibus. Primus omnium apicem habet *u* vocali productae impositum, sed adhuc in sicilici modum rotundatum (v. Ritschelii opusc. IV p. 373). Urnulae marmoreae aetatis supparis nec mihi visae titulus *C. Iuli Caesaris l(ibertae) Appaes* (PLME tab. LXXXIV*E* et p. 73 Orell. 580) litteras videtur habere formae aliquanto iam recentioris. Ne vero desint exempla scripturae paullo vetustioris eis, qui quid potissimum intersit inter scripturam monumentorum aetatis Caesarianae quanquam annorum non certorum et aetatis Augustae antiquiorum nosse velint, utque appareat, quam diu formae vetustiores etiam posteriore aetate in usu manserint, composui hoc capite quasi isagogico specimina selecta, e quibus perspicitur, quem ad modum ex rudioribus aetatis liberae rei publicae litterarum formis sensim elegantiores evaserint.

Subiunxi igitur monumento Caesaris ipsius primum sex urbana item aetatis minus certae (n. 2—7), quae quanquam fortasse partim paullo illo antiquiora, partim recentiora sunt, tamen formas exhibent a plebe potissimum diu servatas. Nonnulla eorum (velut n. 7) ad vulgaris scripturae neglegentiam vergunt. Multa addere potui ex numero sepulcralium urbanorum eorum, quae in cippis ex lapide Tiburtino factis incidi solebant; indico breviter haec ex parte nondum edita *L. Horatii L. f(ilii) Vot(uria) holitoris* (CIL VI 9458 PLME tab. XC*E*), *Furiae Ↄ (mulieris) l(ibertae)* et aliorum Furiorum, *Luciliae Peloridis* musei Lateranensis ambo, *Mahetis* et *Antiochi Caesaris* servorum musei Vaticani (*Galleria lapidaria* ad fenestram n. XIII, cf. infra n. 63), *Mindiae C. l(ibertae) Homiliae* musei Vaticani (V 1^b^), *C. Numonii C. l(iberti) Phoenicis* musei Kircheriani, *Q. Poppaedii Salvii* et *Maridiae Ↄ (mulieris) l(ibertae) Primae* musei Capitolini, *P. Curtii P. l(iberti) Ni[conis] Curtiae P. f(iliae)* et *Tarentinae* alicuius musei Britannici.

Sequuntur I t a l i c a haec ex Latio et Italia inferiore Nomentanum (n. 8), Anagninum (n. 9), Acerranum (n. 10), Pompeianum (n. 11), quod selegi propter gracilitatem et altitudinem litterarum; Salernitanus enim sive Smyrnaeus *divo Iulio* inscriptus (CIL X 512) periit; tituli autem Nolani positi *M. Salvio Q. f(ilio) Venusto decurioni benific(io) dei Caesaris* (CIL X 1271), Herculanensium duorum *divo Iulio* ab Herculanensibus et ab Augustalibus dedicatorum (CIL X 1410 1411), Campani (CIL X 3886), Formiani (CIL X 6104) ectypa ad manus non erant. Multa praeterea extant in Italia potissimum inferiore aut huius aetatis monumenta aut proxime insequentis; de quibus dicetur in paragrapho altera. Attuli ex Umbria et Etruria Faliscum (n. 12), cui addere poteram in museo Vaticano servatum *C. Agernii C. f(ilii) Hor(atia) Flacci IIII vir(i) i(ure) d(icundo) IIII vir(i) quinq(uennalis) Faleriis* (ineditus adhuc remansit), item fragmentum musei Lateranensis *P. Oppii* alicuius *IIII vir(i)*. Conferatur item Castronovanum *L. Atei M. f(ilii) Capitonis duomvir(i) quinq(uennalis)* (CIL I 1341 PLME tab. XCIV*G*). Pisanum deinde adieci unum (n. 13), quocum comparandum est alterum monumentum sepulcrale in campo sancto Pisano servatum et inscriptum ita (litteris altis 0,045) *N. Octavio C . . .* | *Luperco* | *N. Octavius Epituncan(us)* | *pater vivos*.

In oppidis G a l l i a e olim c i s p a d a n a e ad viam Aemiliam sitis, veluti Bononiae Mutinae Regii Lepidi Parmae, tituli sepulcrales potissimum non pauci extant saeculi primi omnes, sed fortasse aetate Caesaris Augustique recentiores plerique, qui tamen vetustas litterarum formas fideliter servaverunt et ipsi. Cum non conveniret cum huius operis rationibus eorum quoque specimina hic proferre, satis habui ex Gallia transpadana eiusdem fere litteraturae exempla apponere Mantuanum (n. 14; eiusdem generis paullo etiam antiquiora sunt CIL V 4068 4079 4080), Veronense (n. 15), Brixiana (n. 16 et 17), quorum hoc et ipsum litteris altis et gracilibus scriptum est (fere ut n. 12; cf. etiam titulus apud Trumpilinos repertus CIL V 4910), illud similibus Veronensi (n. 15); denique Comense (n. 18). His adiunxi bilingue Voltini ad lacum Benacum repertum (n. 19), comparandum illud cum reliquis eius regionis monumentis peregrinis sive Etruscis sive Celticis, veluti cum Celtico Novariensi (CIL V p. 719; cf. n. 4858); deinde semibarbara Novariae (n. 20), ad lacum Larium (n. 21), ad Alpium Poeninarum radices prope Eporediam reperta (n. 22). Hoc singulare est propter rationem, qua titulus lapidi inscriptus est, de qua dixi in praefatione ad inscriptiones Britannicas christianas (p. II); similiter inscripti sunt titulis deorsum sursum collocatis eiusdem regionis lapides sepulcrales varii (CIL V 6650 6906 6907 6908 7720; cf. etiam barbari 6925—6930 7656).

His subiunxi H i s t r i c a quaedam monumenta. Primum Aquileiensia tria (n. 23 24 25), exempla scripturae vetustae neque vero inelegantis luculenta omnia, quae in provinciae recessu formas vetustas in usu mansisse testantur, postquam in reliqua Italia illa iam cesserunt recentioribus. Sequuntur Tergestinum (n. 26) et Polense omnium eius oppidi monumentorum facile vetustissimum (n. 27), sed tamen non sine quadam arte insculptum. Ex D a l m a t i a perpaucos eius et aetatis et litteraturae titulos novi, quorum tamen nullum hic licuit proponere; sunt eius generis Iadestini aliquot (CIL III 2911 2920 nunc Veronensis 2929) et fortasse Issaeus bilinguis Latinus et Graecus (CIL III 3076). Ex P a n n o n i a superiore huc videntur pertinere tituli quidam vetusti sepulcrales Nauporti et in vicinia reperti (CIL III 3788—3794 3804—3809), item Emonenses pauci (CIL III 3848 3860 3861 3877). Ex N o r i c o multo etiam pauciores huc referendos esse consentaneum est; praeter Teurnensem (CIL III 4753) mihi non visum unum nanctus sum Virunensem quem hic proponerem (n. 28), rara in illis regionibus elegantia conspicuum; accedunt aliquot Solvenses et viciniae (CIL III 5420 5450 5523).

Ad G a l l i a e t r a n s a l p i n a e monumenta transitum quasi faciunt c i s a l p i n a haec ex Alpibus Cottiis Segusionense (n. 29) litteris gracilibus et altis scriptum, fere ut Pompeianum (n. 12) et Brixianum (n. 17), in Alpibus maritimis reperta duo paene barbara (n. 30 31).

Proximum locum tribui G a l l i c i s et H i s p a n i c i s. Inter provinciarum illarum monumenta vetustissima numeranda sunt Nemausense (n. 32), Glanense (n. 33), Avennionensia duo (n. 34 35), quorum hoc θ litteram servat (antiquiore etiam CIL XII 1038 aegre carui), Tolosanum (n. 36) Graecam elegantiam aliquatenus imitatum, semibarbara deinde Montelimarense (n. 37) et Augustodunense Celticum (n. 38). Sane minime certum est, monumenta illa omnia eaque quae sequuntur aetatis esse Caesarianae; sed certo sculpta sunt a quadratariis Romani moris nondum gnaris. Teste H i r s c h f e l d i o etiam Massiliae titulorum Latinorum litterae formas graecissantes prae se ferunt magnaque ex parte haud dubie a quadratariis Graecis incisae sunt (CIL XII p. 56). H i s p a n i c a haec selegi: Castulonensia duo in eodem lapide utrimque scripta Latine et Iberice (n. 39*ab* 40), quorum quod in postica lapidis parte legitur aperte recentius est altero; Ilipense (n. 41), quod exhibeo ad lapidem in museo Hispalensi ser-

vatum denuo purgatum; Carthaginiense (n. 42), cuius satis multa extant aequalia (veluti operum publicorum tituli CIL II 3425 3426 sepulcrales 3449 3450 3462 3488 3493 3495 3504 3505 3555). Addere poteram alia, veluti sepulcralia in Baleari maiore reperta (n. 3676 3677 3680), sed ectypis eorum careo; itaque consistendum fuit in speciminibus tribus titulorum Baënensium (n. 43*a*—*c*) eleganter pictorum primum, deinde incisorum, qui probabiliter aut huic aetati tribuuntur aut proxime insequenti.

Agmen claudit titulus aetatis Caesarianae unicus in Africa repertus (n. 44), Africanorum omnium qui quidem servati sunt antiquissimus, satis ille eleganter sculptus. Eum omittere nolui, quanquam Caesaris morte uno anno vetustior est.

Scripturae genus in his titulis distinguere mihi videor duplex in universum, cuius tamen praeterea diversitas in singulis multiplex est. Lineas ad regulam directas, angulos acutos, omnino rigorem quendam vetustum monstrant urbani tres priores (n. 1—3), quem noli putare ex exemplorum illorum paucitate rarum fuisse, Nomentanus (n. 8), Pompeianus (n. 11), Faliscus (n. 12), Veronensis (n. 15), Brixiani duo quanquam inter se satis diversi (n. 16 17), Comensis (n. 18) quamvis fortasse aetatis paullo recentioris, Aquileiensis et Polensis (n. 23 26), qui omnium huius generis videntur antiquissimi esse (cum n. 24), Tergestinus (n. 25), Virunensis (n. 27), quanquam et ipse fortasse reliquis minus vetustus, Segusionensis (n. 28). Praeterea eius generis sunt ex provincialibus Nemausensis (n. 31), Glanensis (n. 32), Avennionensis (n. 34), Augustodunensis (n. 37), Baeticus (n. 39), Carthaginiensis Hispanus (n. 40). Formas paullo ab hisce omnibus diversas, scilicet quadratas magis et libera omnino re publica dignas Aquileiensis senatoris Romani (n. 24) habet.

Contra formas paullo rotundiores, quales ex picti exempli flexibus derivandas puto quaeque aliquanto propius accedunt ad scripturam actorum, cum praesertim minore modulo exarati sint plerique, tituli habent sepulcrales urbani eius aetatis plurimi (veluti n. 4—7), Italici (n. 13 14), Baetici (n. 41*a*—*c*). Deinde vero etiam honorarii Anagninus (n. 9), Acerranus (n. 10), Avennionensis (n. 33) huius potius generis sunt. Locum plane singularem sibi poscit Tolosanus (n. 35), in quo Graeca, ut dixi, elegantia videtur coniuncta esse cum fastu semibarbaro.

Barbariem denique magis minusve adhuc conspicuam exhibent Galliae cisalpinae tituli Voltiniensis bilinguis (n. 19) quique in planitie fere Padi et inter montis Poenini Alpiumque maritimarum radices reperti sunt (n. 20 21 22 29 30), transalpinus Gallicus (n. 36), Hispani (n. 38*ab*).


Exempla huius capitis qui perlustraverit, monumenta illa transitum facere observabit, ut supra dixi, ex vetustioris litteraturae simplicitate ad ornatiorem et elegantiorem aevi Augusti. Sed nulla certa artis lapidariae adhuc extitit aequabilitas, cum deesset monumentorum tectonicorum ea multitudo eaque perfectio, quas Augusti demum aetas protulit; ut facile demonstrabit cum exemplis capitis proximi comparatio.

I

MONVMENTA VRBANA

1 Romae (sed originis fortasse externae), basis marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).

a. 710




0,042 0,038

divo Iúlio | *iussu populi Romani* | *statutum est lege* | *Rufrena*

CIL VI 872 (CIL I 626 PLME tab. LXXXV*D*) integra. Cf. CIL IX 5136.

2 Romae, ara rotunda; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{6}$).



0,032

Merqurio | *M(anius) Rustius M(anii) f(ilius) M(anii) n(epos)* | *duum vir(um) dat*

CIL VI 518 (PLME tab. XCI*F*) integra.

3 Romae, tabula magna ex lapide Tiburtino; in museo Vaticano ($\frac{1}{14}$).



0,084

M(anius) Lucre[tius ....] | *M(anius) Lucre[tius ...]* | *ex tes[tamento ...]* | *arbitr[atu ....]*

In CIL VI nondum edita; v. 1.

4 Romae, tabula ex lapide Tiburtino; in museo Vaticano ($\frac{1}{9}$).



0,045

ϑ(ανών) P. Aquillius P(ubliorum duorum) l(ibertus) Gelo | *ϑ(ανών) P. Aquillius P(ubliorum duorum) l(ibertus) Hilarus* | *v(iva) Aquillia P(ublii) et Ɔ (mulieris) l(iberta) Nice* sequuntur nomina Aquilliorum trium et in fine *in fr(onte) ped(es) XVI, in agr(o) p(edes) XII*

CIL VI 12261 vv. 2. 3.

5 Romae, tabula ex lapide calcareo; in museo Vaticano (1/8).



0,058

v(ivi) D(ecimi) Laberi D(ecimorum duorum) et Ɔ (mulieris) l(iberti) Symmachi, | ϑ(ανοῦσα) Laberia D. et Ɔ (mulieris) l(iberta) Musa, | v(ivus) D. Laberi(us) D. l(ibertus) Euticus

In CIL VI nondum edita; v. 1.

---

6 Romae, tabula ex lapide Tiburtino; in museo Vaticano (1/8).




0,043

v(ivus) L. Terentius Ɔ (mulieris) l(ibertus) Salvius, | v(iva) Terentia Ɔ (mulieris) l(iberta) Laudica, | v(ivus) L. Terentius Ɔ (mulieris) l(ibertus) Nicephor, | Marcia M. l(iberta) Surisca | et libertis libertabusque | suis posterisque | eorum monumentum fecerunt

In CIL VI nondum edita; vv. 1. 2.

7 Romae, tabula ex lapide Tiburtino; in museo Vaticano (1/8).



0,052

C. Annius | Cimbri l(ibertus) | Helenus | Θ (ϑανοῦσα) Annia | Heleni l(iberta) Nice | in fr(onte) ped(es) XII, | in agr(o) p(edes) XII


CIL VI 11725 vv. 1—3.

'Libertus T. Anni Cimbri eius, cuius Cicero meminit Philipp. XI 6, 14'. Praenomen hominis utrum C. an T. fuerit (ut Giovenazzi legit), non definio; mihi eique, qui ectypum meum delineavit, pars inferior C potius quam T litterae visa est remansisse. Sed res incerta est.

II

MONVMENTA ITALICA

8 Nomenti, tabula marmorea; Romae in museo Lateranensi (1/8).



0,062

T. Titius T. f(ilius) Ser. Tappo XXVI vir, | T. Titius T. f(ilius) Ser. Poppalenus pater, | Gessia M'. f(ilia) mater, Titia T. f(ilia) Rufa soror, | parcitis heredi et res insentibus dedite morti; | siquid mortui habent hoc meum erit, cetera liq(ui) | arbitratu Q. Umbrici Q. f(ilii) Cla(udia) Flacci; | [h(oc)] m(onumentum) h(eredem) n(on) s(equitur)

Henzen 6457 vv. 2. 3.

---

9 Anagniae, basis ex lapide calcareo; servata ibi (1/8).




0,055
0,040

L. Pantilio L. f(ilio), pr(aetori), q(uaestori), | pont(ifici) | L. Pantilius L. f(ilius) pater, | pr(aetor) bis, q(uaestor) bis, Sal(ius), pon[t(ifex)], | Cemelliae P. f(iliae)

CIL X 5925 vv. 1. 2.

10 Acerris, basis magna marmorea; extat Neapoli in museo (1/8).



C. Fuficio C. f(ilio) | Fal(erna) Fangoni, | h(omini) p(robo)? aed(ili) | ex testamento

CIL X 3758 integra.


11 Pompeiis, cippus sepulcralis; extat Neapoli in museo (1/8).



L. Caltilius L. l(ibertus) Coll(ina) | Pamphilus . . . ae uxori . . . . mo

CIL X 1046 vv. 1. 2.


12 Faleriis, tabula magna marmorea; extat Romae in museo Lateranensi (1/8).



C. Aconius L. f(ilius) | Porrus | q(uaestor), X (decem) vir(um) s(enatus) c(onsulto) pro | IIII (quattuor) vir(o)

Henzen 7129 integra.


13 Pisis, cippus sepulcralis; extat ibi in coemeterio (1/8).



T. Cestius T. l(ibertus) Philippus, | Cestia T. l(iberta) Nica, | L. Cestius T. l(ibertus) Agathocles | emit locum inmortalem, | in front(e) ped(es) XIIII, in agr(o) ped(es) XXI, | et aedificavit sibei et sueis et tu coheres

CIL XI 1462 vv. 1 et 4.

14 Montechiari prope Mantuam, cippus ex lapide calcareo; extat Brixiae in museo (1/10).



M. Aemilius Cn. f(ilius) Pob(lilia)

CIL V 4052 integra.

III

MONVMENTA GALLIAE CISALPINAE

15 Veronae, basis magna rotunda ex lapide calcareo: ibi in museo ($\frac{1}{10}$).




0,095 0,080 0,075

M. Manilio M. f(ilio) | Pob(lilia) Pansae, | P. Manilius M. f(ilius) Pob. Strabo | et M. Manilius M. f(ilius) Pob. | Silo Abidianus | fecerunt

CIL V 3662 vv. 1—3.

---

16 Bagnoli prope Brixiam, basis marmorea litteris saeculi Augusti; ibi in museo ($\frac{1}{10}$).




0,100 0,084

C. Lanius | C. f(ilius) Ani(ensi) de leg(ione) X Vener(ia). | L. Lanius C. l(ibertus) | Eros filius | de suo | . . . . .

CIL V 4191 vv. 1—3.

---

17 Brixiae, cippus magnus ex lapide calcareo cum protome viri; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).



0,072

Rufus | Brigovicis f(ilius) | Sex. Veir(ius) Iunius

CIL V 4710 vv. 1. 2.

18 Comi, basis magna ex lapide calcareo; servatur Mediolanii in Brera ($\frac{1}{8}$).



0,070


Vius f(ecit). | C. Virius C. f(ilius) Ouf(entina) | Birro IIII vir sibi | v(ivus) et Atiliae M. f(iliae) | Secundae uxori

CIL V 5307 vv. 2. 3.

Litterarum formae vetustae sunt; tamen titulus potest positus esse saeculo demum primo fere medio.

---

19 Voltini, lapis magnus calcareus; in museo Brixiano ($\frac{1}{5}$).




0,050

Tetumus | Sexti | Dugiava | Sanadis | sequuntur Celtica

CIL V 4883 integra.

20 Novariae, basis lapidea rudis; extat ibi ad S. Gaudentii (1/5).




0,100 - 0,050

Sola | *Bituno(nis?)* | *f(ilia) pia, vale*

CIL V 6553 integra.

21 Oleggio prope Aronam, basis ex lapide calcareo; nunc Mediolanii in museo Brerae (1/5).



0,095


0,080

Banona | *Doconis* | *f(ilia) p(osuit) su(is)?*

CIL V 6621 integra.

Inter s et v punctum non est.

22 Inter Candiam et Calusum, cippus magnus litteris rudibus; extat Eporediae in episcopatu (1/5).



0,080


Velagenus | *Atili f(ilius)*

CIL V 6903 integra.

IV

MONVMENTA HISTRIAE ET NORICI

23 Aquileiae, basis magna ex lapide calcareo; servatur ibi apud Ritterum (1/5).



0,080


0,060

0,050

M. Annaus | *Q. f(ilius) IIII vir i(ure) d(icundo)* | *quinq(uennalis) porta(m)* | *refic(iendam) locavit* | *ex s(enatus) c(onsulto) eidemq(ue)* | *probavit*

CIL V 8288 integra.

24 Aquileiae, basis ex lapide calcareo; extat ibi in museo Cassis (1/5).



0,070

C. Lucilius C. f(ilius), | *trium virum* | *cap(italium)*

CIL V 872 integra.

25 Aquileiae, basis ex lapide calcareo; ibi apud Moscettinium ($\frac{1}{8}$).



0,072

M. Alfius M. f(ilius) Colonus, IIII vir; | *L. Servilius L. f(ilius) frater* | *fieri iussit*

CIL V 966 vv. 3. 4.

---

26 Tergeste, basis ex lapide calcareo; ibi in museo ($\frac{1}{12}$).




0,100

L. Apisius T. f(ilius) Pup(inia) II vir, Apisia ....

CIL V 549 versus unici pars maior.

---

27 Glovizza prope Rovigno circa Polam Histriae; extat Rovigni in curia ($\frac{1}{6}$).




0,065
0,050
0,045

Seixomniai | *Leuciticai* | *Polates*

CIL V 8184 integra.

28 Prope Virunum Norici basis; Klagenfurti in museo ($\frac{1}{5}$).



0,068

P. Fundanius | *P. l(ibertus)* | *Hospes*

CIL III 4915*a* integra.

V

MONVMENTA ALPIVM MARITIMARVM

29 Segusione (ut videtur) reperta, basis ex lapide calcareo; in museo Taurinensi ($\frac{1}{8}$).




0,082

[-. *Iu*]*lius Cotti l(ibertus) Urbanus* | *IIIIII vir,* | [-. *Iul*]*ius Urbani l(ibertus) Aptus*

CIL V 7262 v. 1 pars dextra.

30 Borgo S. Dalmazzo in Alpibus maritimis, cippus ex lapide calcareo ornatus anaglyphis; in museo Taurinensi ($\frac{1}{8}$).




0,060
0,054

Vibius Veamo|nius Iemmi fil(ius) | *Gallus; Mocca* | *Ennania uxor* | *fili posuerunt* | *merito*

CIL V 7856 vv. 1. 2.
Infra grypus ad urceum et boves duo sculpti sunt.

31 Caraglii in Alpibus maritimis, cippus ex lapide calcareo ornatus anaglyphis; in museo Taurinensi ($\frac{1}{8}$).



0,056
0,052
0,048


Rinnio Novic|io mulioni, | *v(ivo) Rinnio Vilagosti* | *patri,* | *v(ivus) Rinniu|s Karius filius* | *patri et fratri fecit*

CIL V 7837 vv. 1. 2. 6.
Infra carrus a mulis duobus tractus et mulio sculpti sunt.

VI

MONVMENTA GALLIAE TRANSALPINAE

32 Nemausi, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).



0,044
0,036
0,038

C. Annius C. f(ilius) Cor(nelia) | *interrex vovit* | *posuit*

Ménard *histoire de Nîmes* VII p. 238 n. 36; Herzog Gallia Narbonensis p. 40 n. 179.

33 Glani in Gallia Narbonensi (*Saint-Remy*) in epistylio monumenti Iuliorum. Ex exemplo lithographo Ritschelii ad photographum confecto (litterae altae sunt $\frac{1}{2}$).




0,400

Sex(tus) L(ucius) M(arcus) Iuliei C. f(iliei) parentibus sueis

CIL XII 1012 integra.
Primum hoc est exemplum huius voluminis ex imagine photographa repetitum; vide quae de fide exemplorum eius generis minus certa dixi in praefatione. Post M punctum nullum cernitur.

34 Avennione, basis magna lapidea nitidissime scripta; ibi in museo (⅕).



0,080

0,064


T. Carisius T. f(ilius) | pr(aetor) Volcar(um) dat

CIL XII 1028 integra. Fortasse triumvir monetalis a. 708.

Puncti inter *Volc* et *ar*, quod fuerunt qui fuisse sumerent, nullum vestigium.

---

35 Prope *Alais (département du Gard)*, basis ex lapide calcareo; Avennione in museo (⅕).




0,052

T. Teϑϑicniu[s] | Secundus s[ibi] | et Iuliae ux(ori)

B. Stark *archäologischer Anzeiger* 1853 p. 370.

---

36 Tolosae, basis magna marmorea; ibi in museo (⅙).



0,085

Θ(*ανόντι*) *Hanarro* | *Dannorigis f(ilio)* | *m(agistro) quater et* | *quaestori* | *v(ivae) Aldeni Donni f(iliae) uxor(i)*

Herzog Gallia Narbonensis p. 58 n. 281.

V. 5 post v punctum in lapide esse Hirschfeldius testis est; in ectypo non apparuit.

37 Montélimar, basis parva ex lapide calcareo; ibi apud Ludovicum Vallentin (1/8).




0,045

Sparti Cassi|li f(ilii) Ritucai uxo|r

CIL XII 1714 integra.

38 Augustoduni, basis ex lapide calcareo; ibi in museo (1/6).



0,055

0,040

Licnos Con|textos ieuru | anvalonnacu | canecosedlon

Iac. Becker in *Kuhn's Beiträgen zur vergl. Sprachforschung* 3 p. 164.


Adscripsi huic aetati dubitanter; nam videtur esse posse etiam aetatis Augustae exeuntis vel adeo recentioris.

VII

MONVMENTA HISPANIAE


39. 40 Castulone, in tabula lapidea utrimque inscripta; servatur Granatae in museo universitatis (1/5).

39



0,082

40




0,045 - 0,065

M. Folvi(os) Garos | a. uninaunin . ve | bag. marc. la. l. | uni-ninit | sierouciut

P. Cornelius P. l(ibertus) | Diphilus | castlosaic

CIL II 3302 (39) et 3294 (40) integrae. In n. 39 litterae admodum profunde incisae sunt.

41 Ilipae in Hispania Baetica, tabula ex lapide arenario; in museo Hispalensi (1/6).



0,042

0,040

Urchail Atitta f(ilius) | Chilasurgun(tanus?) | portas fornic(es) | aedificand(as) | curavit de s(ua) p(ecunia)

CIL II 1087 vv. 1. 2.

42 In Carthagine nova, tabula ex lapide calcareo magna; nunc Matriti in museo archaeologico ($\frac{1}{5}$).

ATELLIA 0,070
CN·L·CLEVNICA 0,060
HEIC·SITAST

Atellia | Cn. l(iberta) Cleunica | heic sitast

CIL II 3451 integra.

---

43 Prope Baënam Hispaniae Baeticae, arcae parvae cinerariae ex lapide calcareo, una inventae in sepulcreto antiquo; servantur ibidem (*a* $\frac{1}{4}$; *b c* $\frac{1}{6}$).

a

FABIA·M·F·ANINNA 0,016
M·POMPEI·Q·F 0,010

Fabia M. f(ilia) Aninna | M. Pompei Q(uinti) f(ilii)

b

POMPEIAE·Q·F 0,031
NANNAE 0,027

Pompeiae Q. f(iliae) | Nannae

c

IVNIA·L·F 0,025
INSCHANA 0,020

Iunia L. f(ilia) Inschana

CIL II 1586 1593 1588 integrae.

VIII

MONVMENTVM AFRICAE

44 Curubi Africae, ubi extat ($\frac{1}{10}$).

a. 709

C·CAESARE·IMP·COS·II 0,060
L·POMPONIVS·L·L·MALC 0,070
DVO·VIR·V 0,055

C. Caesare imp(eratore) co(n)s(ule) II[II] | L. Pomponius L. l(ibertus) Mal[cio] | duovir ut . . .? | murum oppidi totum ex saxo | quadrato aedific(andum) coer[avit]

CIL VIII 977 vv. 1—3.
Signum post duoviri nomen positum quid significet ignotum est.

CAPVT SECVNDVM

MONVMENTA AETATIS AVGVSTAE AD NERONIANAM

Varietatem scripturae comprehensurus, quae ab Augusti aetate ad Neronianam obtinuit (nam quod a Vespasiani imperio novum caput incipere volui infra explicabitur), materiam collectam ita disposui, ut praecedant monumenta urbana bifariam divisa, scilicet primum aetatis Augustae ipsius Tiberianae C. Caesaris (n. 45—85), quae distrahere nolui, postea Claudiae et Neronianae (n. 86—99), sequantur deinde similiter atque in capite praecedente locorum ordine disposita Italica, i. e. Italiae mediae (n. 100—104), inferioris (n. 105—152), superioris (n. 153—173), Histrica et Dalmatica (n. 174—183), Gallica (n. 184—195), Germanica (n. 196—206), Hispanica (n. 207—229), Africana (n. 230—235). Exempla selecta partim ex copia maiore, quae suppeditabat, partim prolata necessario, quia alia deficiebant, si illud demonstrant, in magna scripturae epigraphicae varietate, qualis obtinuerit in vasti imperii regionibus variis, tamen similitudinem quandam deprehendi ut in sermone et formulis, quibus tituli utuntur, ita etiam in formis litterarum, satis mihi egisse videbor, quod volui.

I

MONVMENTA VRBANA AETATIS AVGVSTAE TIBERIANAE C. CAESARIS

Ex magno numero operum tectonicorum, quibus Augustus urbem gloriatur a se ornatam esse (in indice rerum a se gestarum CIL III p. 794 c. 19—21) quaeque exceptis paucis, quae ut *Capitolium et Pompeium theatrum* refecit *sine ulla inscriptione nominis* sui, titulis certo non caruerunt, multa sane aut prorsus interierunt aut ita mutata sunt aetate posteriore, ut dedicationum pristinarum nihil servaretur. Quaecunque vero servata sunt adhuc, eorum titulos qua potui cura studui repraesentari. Ut incipiam ab aedificiis sacris, e templorum multitudine vel ab Augusto vel ipso duobusque successoribus imperantibus sive perfectorum sive conditorum sive refectorum unus superest praeter fragmenta epistylii aediculae Fortunae muliebris a Livia conditae (CIL VI 883) titulus Panthei (n. 50). Arcus sive pontis ab Augusto refecti titulus (CIL VI 878) periit, superest pontis Fabricii a. 733 restituti (CIL VI 1305), quem cum antiquiore a. 692 Ritschelius exhibuit (PLME tab. LXXXVII *A—F*). Periit arcus a Lentulo Scipione dedicati titulus anno 2 (CIL VI 1385); qui superest arcus Dolabellae vulgo dicti consulum a. 10 (CIL VI 1384) a me exhiberi non magis potuit quam carceris Tulliani (CIL VI 1539), siquidem eiusdem hic fere fuit aetatis. Contra exhiberi potuerunt obelisci in circo olim maximo erecti (n. 52), aquae Marciae (n. 54), obelisci a C. Caesare abavo et avo consecrati (n. 78); item a privatis positi sed non minus magnifici pyramidis *C. Cestii* (n. 45) et sepulcri *Metellae* (n. 61), quod quanquam inter liberae rei publicae monumenta recensetur in corpore inscriptionum Latinarum (VI 1274), videtur tamen propter ipsam operis magnificentiam attribuendum esse aetati Augustae. Tituli hi omnes ut verbis ita etiam litteraturae forma non procul absunt ab aevi vetustioris simplicitate, sed tamen praestant eiusdem aetatis reliquis publicis non nullis, veluti muri Iunonis Lucinae a. 713 a quaestore urbano locati (n. 47), cipporum terminalium (n. 57. 75), qui in lapide Tiburtino rudiore incisi sunt. Tituli minoris moduli neque vero minoris in universum elegantiae aetate eadem sculpti sunt vel sacri vel votivi hi (n. 48 49 51 53 55 70 71 79 81 83), honorarii (n. 62 63 64 72); quibuscum conferantur, qui exhiberi non potuerunt, hominum militarium tituli *P. Numicii Picae Caesiani* (CIL VI 3835) priori aetatis Augustae parti tribuendus secundum Henzenum *ann. dell' inst.* XLV 1873 p. 131ss., *Q. Granii Labeonis* (CIL VI 3521), *P. Quinctii P. f. Pomptina* (3533), *P. C. Romaniorum fratrum* (3534), *C. Vibii Pansae* (3542). Sequuntur sepulcrales ad Augusti mausoleum pertinentes (n. 58 59 76 77 81), a quibus ita differt eiusdem generis et aetatis Veronae extans (n. 60), ut vix urbanum esse credam. Atque de titulis in eodem Iuliae gentis ustrino repertis illud observavi, titulos indidem prodeuntes aetatis quamvis non eiusdem tamen plane similis esse litteraturae. Sunt autem hi *Ti. Caesaris Germanici filii* defuncti circiter a. 8 (CIL VI 888), incerti nominis filii nati circiter a. 10 (890), *Gai Caesaris maioris* nati a. 11 defuncti a. 12 (889), de quibus Mommsenus exposuit (Hermae vol. XIII 1878 p. 247s.). Unde apparet quadratarios qui titulos sculpserunt annis 37 et 41 quantum potuerint imitatos esse scripturam cipporum triginta fere annis vetustiorum. Sequuntur tituli item sepulcrales hominum privatorum elegantiores tam aetatis Augustae (n. 73), quam Tiberianae (n. 81 84), item tenuioris condicionis hominum (n. 65—69 85). Atque illorum potissimum tanta est multitudo et varietas, ut genera aliquot scripturae eorum principalia indicare sufficiat. Elegantiam summam scriptura publicorum monumentorum non inferiorem titulus mu-


sei Capitolini exhibet, quamvis litteris minore modulo sculptus, *Iunóni Dorcadis Iuliae Augustae l(ibertae) vernae Caprensis ornatricis* positus a Lycasto conliberto aetate Tiberiana (CIL VI 8958), in quo titulo versuum rigorem (quamvis lineis nullis additis) et collocationis aequabilitatem summam miratus sum. Opificii subtilitatem, sed ut ita dicam plebeiam nec comparandam eam cum eorum quae modo dixi monumentorum elegantia, tituli negotiatorum urbanorum non pauci demonstrant, quibus homines illi videntur etiam post mortem praetereuntium oculos in se negotiaque sua convertere voluisse. Ita litteras magnas et altas fere ut Lolliorum (n. 66) habet titulus in museo Capitolino extans *A. Septicii Sal(vii) l(iberti) Alexandri, coronarii de sacra v(ia)* (CIL VI 9283), similes illas litteris altioribus tituli *A. Terentii Varronis Murenae* (n. 99); item *P. Fabii P. l. Philocrat(is) coactoris* nondum ut videtur editus. Graciliores sunt, fere ut in familiae Pomitinae titulo (n. 65), in titulo *C. Atei Philadelpi* (sic) *albarii* (CIL VI 9139) et in illo anaglyphis elegantibus ornato *L. Furii L. l(iberti) Diomedis caelatoris de sacra via* (CIL VI 9221), quos museum Vaticanum servat ambos. Contra litteris minus eleganter incisis sed magnis (altis 0,050) scripta est tabula magna in villa Albania extans duorum *Luciorum Scantiorum L. l(ibertorum) Demetrii et Heliadis mercatorum* (CIL VI 9630). Turba vero cipporum et tabularum ex lapide Tiburtino factarum, quibus tenuiores homines per totam fere saeculi primi partem priorem uti perseverabant, litteraturam quoque habet parvam minusque curiose incisam, paene non diversam ab aetatis Caesarianae, nisi eo quod litterae solent esse paullo minus quadratae atque graciliores (ut in n. 67; cf. praeterea tituli musei Lateranensis *Q. Birrii Apo[llonii]* CIL VI 13592); quod potissimum perspicitur in titulo *Rufrenae*, quem aetati Tiberianae tribuo (n. 85).

Ceterum similiter hic atque in aevi antiquioris titulis cum monumenta magna tectonica titulique elegantius incisi litteras habeant, ut expectaveris, ad regulam factas, rectas, angulis acutis, non desunt tamen formae rotundioris specimina ad picta aliquatenus exempla revocanda (veluti n. 47 49 58 59 65 67 69 76 77 81). Picturae rationem deinde, ut par est, imitatur operis tessellati titulus (n. 56). Actorum scripturae similis est monumenti ad C. Cestii sepulcrum pertinentis (n. 46), quod tamen nolui ab illo prorsus seiungere, scripti litteris non magnis (0,035); neque absimilis est tabulae etiam minoribus litteris inscriptae aeditui matris deum (n. 68). Scripturam librorum parvam sed elegantem aetatis Tiberianae titulus habet *Musici Ti. Caesaris Augusti Scurrani* (CIL VI 5197) in museo Lateranensi servatus aliique eiusdem et aetatis et generis non pauci.

45 Romae, in pyramide C. Cestii ad viam Ostiensem; ex imagine photographa, quae cum obliquam pyramidis faciem non satis apte redderet, adhibita Piranesii tabula corrigenda erat ($\frac{1}{12}$).

inter a. u. 710 et 742

0,120



C. Cestius L. f(ilius) Pob(lilia), epulo, pr(aetor), tr(ibunus) pl(ebis), | VII vir(um) epulonum

CIL VI 1374 integra; Piranesi vol. II tab. XLI satis bene; Canina *edifizi* I tab. CCLXXX, unde mensuram sumpsi.

---

46 Romae, basis marmorea ex duabus similibus ad C. Cestii pyramidem repertis altera; in museo Capitolino ($\frac{1}{4}$).

c. a. 723




0,025

M. Valerius Messalla Corvinus, | P. Rutilius Lupus, L. Iunius Silanus, | L. Pontius Mela, D. Marius | Niger heredes C. Cesti et | L. Cestius quae ex parte ad | eum fratris hereditas | M. Agrippae munere per|venit, ex ea pecunia quam | pro suis partibus receper(unt) | ex venditione Attalicor(um) | quae eis per edictum | aedilis in sepulcrum | C. Cesti ex testamento | eius inferre non licuit

CIL VI 1375[b] vv. 1. 2. Non accurate Piranesi vol. III tab. XLII.

47 Romae, tabula ex lapide Tiburtino rep. in Exquiliis; in villa Albania ($\frac{1}{4}$).

a. u. 713



0,035
0,030


P. Servilio L. Antonio co(n)s(ulibus) | a(nte) d(iem) IIII k(alendas) Sext(iles) locavit Q. Pedius q(uaestor) urb(anus) | murum Iunoni Lucinae | (sestertium milibus trecentis octoginta) | eidemque probavit

CIL VI 358 (PLME tab. LXXXIX *B* non satis accurate) vv. 1 et 4.

---

48 Romae, magna basis rotunda marmorea rep. in monte Palatino; ubi servatur ($\frac{1}{6}$).

c. a. u. 718 — v. 1 0,068 vv. 2. 3 0,057 v. 4 0,048




Cn. Domitius M. f(ilius) Calvinus, | pontifex, | co(n)s(ul) iter(um), imper(ator) | de manibieis

CIL VI 1301 (ubi aetas definitur) integra.

---

49 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).

paullo post a. u. 718 — v. 1 0,057 v. 2 0,045



L. Memmius C. f(ilius) Gal(eria) q(uaestor), tr(ibunus) pl(ebis), | frumenti curator ex s(enatus) c(onsulto), | praefectus leg(ionum) XXVI et VII | Lucae ad agros dividundos, | pontifex Albanus. | Memmia filia testamento suo fieri iussit

CIL VI 1460 vv. 1. 2.
De tempore cf. ephem. epigr. I p. 215.

50 Romae, titulus Panthei M. Agrippae, litteris olim ex aere incrustatis. Ex imagine photographa (c. 1/15).

a. u. 727

M·AGRIPPA·L·F·COS·TERTIVM·FECIT· c. 0,600

M. Agrippa L. f(ilius) co(n)s(ul) tertium fecit

CIL VI 896 integra; Piranesi vol. VI tab. V non satis bene; Canina *edifizi* I tab. LXVIII male (inde mensuram desumpsi).

Tituli anni p. C. 202, qui in fascia epistylii inferiore est, paucae tantum reliquiae in imaginibus photographis dispiciuntur.

Cum Spartianus in vita Hadriani tradat (c. 19) 'Romae instauravit Pantheum saepta basilicam Neptuni sacras aedes plurimas forum Augusti lavacrum Agrippae, eaque omnia propriis auctorum nominibus consecravit', erit fortasse qui titulum quoque Hadriani aetate refectum putaverit; sane titulus theatri Emeritensis a M. Agrippa dedicati a. 738 (CIL II 474), qui comparari potuisset, periit; sed convenit, nisi fallor, litterarum forma uni aetati Augustae incipienti. Neque unquam quantum scio dubitatum est de ea tituli aetate, quam indicat ipse.

---

51 Romae, tabula marmoris caerulei, in museo Vaticano (c. 1/4).

a. 734

PRID· NON· APRIL 0,030

M·APPVLEIO·P·SILIO·COS 0,025

Prid(ie) non(as) April(es) | M. Appuleio P. Silio co(n)s(ulibus)

CIL VI 849 integra.

Dedicatio rei incertae. Consules sunt anni s. s.

---

52 Romae, in obelisco circi olim maximi, nunc plateae populi; titulus faciei septentrionalis. Basis alta est palmos Romanos quindecim, lata quoquo versus tredecim, podium eius altum palmos quinque et trientem. Idem titulus in obelisco in campo Martio, cuius basis alta est palmos undeviginti cum quadrante, lata duodecim (*Zoega*). Ex imagine photographa.

a. u. 744

IMP·CAESAR·DIVI·F
AVGVSTVS
PONTIFEX·MAXIMVS
IMP·XII·COS·XI·TRIB·POT·XIV
AEGVPTO·IN·POTESTÁTEM
POPVLI·ROMÁNI·REDÁCTÁ
SOLI·DÓNVM·DEDIT

Imp(erator) Caesar Divi f(ilius) | Augustus | pontifex maximus, | imp(erator) XII, co(n)s(ul) XI, trib(unicia) pot(estate) XIV, | Aegupto in potestátem | populi Románi redáctá | Soli dónum dedit

CIL VI 701 integra; Zoega de obeliscis p. 610.

Prorsus similis scripturae est titulus obelisci alterius eodem anno ab Augusto erecti olim in campo Martio (CIL VI 702, apud Piranesium vol. X *Campo Marzio* in tabula magna operis titulum exhibente), cuius imago photographa parari non potuit.

53 Romae, basis marmorea effossa in foro ante aedem Saturni a. 1540; Neapoli in museo alta palmos 7, lata 6 (c. ¼).

a. u. 745



0,073
0,068

Imp(erator) Caesar divi f(ilius) Augustus | pontifex maximus, | imp(erator) XIII, co(n)s(ul) XI, trib(unicia) potest(ate) XV | ex stipe quam populus Romanus | anno novo apsenti contulit | Nerone Claudio Druso | T. Quinctio Crispino co(n)s(u-libus) Volcano

CIL VI 457 vv. 1. 2 initia.
Temporum notae indicant annum s. s.

---

54 Romae, in arcu aquae Marciae ad portam Tiburtinam. Ex imagine photographa. Mensurae sec. Caninam (c. 1/34).

a. u. 749/50 0,300



Imp(erator) Caesar divi Iuli f(ilius), Augustus, | pontifex maximus, co(n)s(ul) XII, | tribunic(ia) potestat(e) XIX, imperator XIIII, | rivos aquarum omnium refecit

CIL VI 1244 vv. 1. 2; Piranesi vol. IX tab. V non satis accurate; Canina *edifizi* I tab. CCXXVIII.

---

55 Romae, basis marmorea rep. saeculo XVI 'in Palatini montis in forum descensu'. Tabula de basi desecta extat Neapoli in museo (c. ⅙).

a. u. 750



0,039

Laribus publicis sacrum | imp(erator) Caesar Augustus | pontifex maximus, | tribunic(ia) potestat(e) XVIIII, | ex stipe quam populus ei | contulit k(alendis) Ianuar(iis) apsenti | C. Calvisio Sabino L. Passieno Rufo co(n)s(ulibus)

CIL VI 456 v. 2.
Annus est s. s.

56 Romae, pavimentum tessellatum columbarii in vinea Codiniorum detecti; in museo Lateranensi. Ex imagine carta dilucida supra archetypum facta (c. $\frac{1}{14}$).

a. 1



0,081

Nepos dec(urio) | pavimentum in ossuario et subscalario d(e) s(ua) p(ecunia) d(onum) d(edit) | C. Caesare L. Paullo co(n)s(ulibus)

CIL VI 5531 v. 5.
Consules sunt anni s. s.

57 Romae, fragmentum cippi terminalis inter fines privatos et publicos ex lapide Tiburtino; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{9}$).

post a. 6



0,057

L. Asprenas | P. Viriasius Naso tr(ibunus) pl(ebis) | M. Caecilius Cornutus | L. Volusenus Catulus | P. Licinius Stolo | curatores locor(um) publicor(um) | iudicandor(um) ex s(enatus) c(onsulto) ex privat(o) | in publicum restituerunt

CIL VI 1267[a] v. 1.
Paullo elegantior est scriptura tituli aequalis 1267[b] servati in museo Neapolitano (Fiorelli *catal.* 84), cuius item ectypum ad manus est.

---

58 Romae, cippus ex lapide Tiburtino pertinens ad mausoleum Augusti; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).

c. a. 8



0,046


Ti. Caesar | Germanici Caesaris f(ilius) | hic crematus est

CIL VI 888 v. 1.
Aetate tenera mortuus c. anno s. s.

---

59 Romae, cippus ex lapide Tiburtino pertinens ad mausoleum Augusti; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).

ante a. 12



0,046


C. Caesar | Germanici Caesaris f(ilius) | hic crematus est

CIL VI 889 vv. 1. 2.
Defunctus est puer anno s. s.

---

60 Romae ut videtur posita, tabella marmorea; in museo Veronensi ($\frac{1}{8}$).

ante a. 14



0,047

0,040

Druso Iuli[o] | Ti(berii) f(ilio), | Augusti n[epoti], | Caesari

CIL VI 908 pars laeva.
Ante a. 14 fortasse ideo ponenda, quod Tiberius Augusti nomine caret.

61 Romae, in sepulcro ingenti ad viam Appiam. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{9}$).




0,090 0,080 0,060

Caeciliae | *Q. Cretici f(iliae)* | *Metellae Crassi*

CIL VI 1274 integra; PLME tab. LXXXIV *D* ex delineatione Brunnii satis fida, sed minus eleganti; Canina *edifizi* I tab. CCLXII unde mensuras desumpsi.

Caecilia Q. Caecilii Metelli Cretici consulis a. 685 filia, uxor M. Crassi divitis filii, quando obierit ignoratur; videtur autem titulus ad priorem aetatis Augustae partem pertinere.

62 Romae, tabula litteris vetustioribus (*Henzen*) ex lapide Tiburtino; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{12}$).




0,096 0,087 0,083

C. Claudius C. f(ilius) C. n(epos) | *Sardus,* | *praefectus cla(ssis)*

CIL VI 3166 integra.

Aetatis Augustae sine dubio ineuntis, fortasse etiam antiquior.

63 Romae, tabula marmorea in museo Vaticano (c. $\frac{1}{10}$).



0,063 0,058 0,055 0,050

Q. Sanquinius | *Q. f(ilius) Stel(latina),* | *q(uaestor), tr(ibunus) pl(ebis), pr(aetor),* | *pro co(n)s(ule)*

CIL VI 1323 (CIL I 640; PLME tab. XCI *M*) integra.

Pater est M. Sanquinii triumviri monetalis a. 737.

64 Romae, tabula marmorea in museo Capitolino (c. $\frac{1}{5}$).

ante a. 14




0,039

M. Artorius Geminus | *leg(atus) Caesar(is) Aug(usti), praef(ectus) aerar(ii) mil(itaris)* | *Concordiae*

CIL VI 90 v. 1.

65 Romae, tabula ex lapide Tiburtino in museo Vaticano (⅕).



0,052 0,025 0,027 0,050

Pomitina C. l(iberta) Stratonice | monument(um) et viridiar(ium) fecit sibi et | C(aio) C(aio) Pomitinis C(ai) C(ai) l(ibertis) Maheni et Antiocho | collibertis suis, | C(aio) C(aio) Pomitinis C(ai) C(ai) l(ibertis) Salvio et Optato f(iliis) suis et | P. Cornelio Ↄ (mulieris) l(iberto) Dasio et | leiberteis leibertabus sueis | extra quam | C. Pomitino C(ai) C(ai) Ↄ (mulieris) l(iberto) Antiocho vernae; | in fron(tem) p(edes) XXIII, in ag(rum) p(edes) XII

CIL VI 7787 vv. 1. 6. 7. 9. 10.
Monumentum et viridiarium familiae Pomitinae (i. e. Pomptinae).

66 Romae, tabula marmorea in museo Vaticano (c. ⅓).




0,046 0,028

M. Lolli . . . | et Tur[piliae . . .] et M. Loll[ii . . .] | leiberteis . . . . | omnibus . . .

In CIL VI nondum edita; vv. 1 et 4.

67 Romae, cippus ex lapide Tiburtino; in museo Vaticano (c. ⅓).



0,054 0,045

A. Livius A(uli) A(uli) l(ibertus) | Salvius | Livia Italia | A. l(iberta) d(e) s(uo) d(edit), | in agr(um) p(edes) XII

In CIL VI nondum edita; vv. 1. 2.

68 Romae, tabula marmorea in museo Neapolitano (c. ¼).




0,021

Cosmus aedituus matris d[eum . . . .] | Antiocho sacerdote annis XII eiusd[em rogatu] | ab imp(eratore) Augusto grátis manu missus ol[las quae] supra sunt IIS n(ummum) I (uno) donationis causa mancip[avit]

CIL VI 2211 v. 3 pars sinistra maior.
Imperator Augustus non videtur alius esse quam divi Iulii filius.

69 Romae, basis marmorea in museo Vaticano (c. ⅑).




0,062 0,051

T. Statilius Tauri l(ibertus) | Cnidus | Statilia T. l(iberta) | Philematium

In CIL VI nondum edita; vv. 1. 2.
Inter monumenti Statiliorum titulos non est.

70 Romae, basis parva marmorea in repositis musei Lateranensis (c. ⅙).

a. 15-37



0,025 0,022 0,020 0,018 0,017

Ti(berio) Caesari divi | Augusti f(ilio) | Augusto, pontifici | maximo, principi | optimo | C. Geminius Q. f(ilius) Cam(ilia) Atticus | auri p(ondo) V | argenti p(ondo) V

CIL VI 904 vv. 1—5.

71 Romae, ara quadrata, anaglyphis ornata et inscripta in quattuor lateribus; in museo Neapolitano (1/3).

a. 18



0,027

CIL VI 244 tituli lateris v. 1.

In antica legitur: *Q. Marcio Barea T. Rustio Nummio Gallo co(n)s(ulibus) | M. Iulius Thalamus dec(urio) II q(uinquennalis) II, | hospes Ti. Caesaris Aug(usti), Licinianus dec(urio) II q(uinquennalis) [II] | aram marmoream huic decuriae in sua | quaestura de suo d(onum) d(ederunt) | idem dedicarunt.*

In tribus reliquis lateribus legitur ter repetitum: *Genio huic dec(uriae) | sacrum.*

---

72 Romae, tabula marmorea magna, rep. a. 1706; in museo Capitolino (1/5).

inter annos 20 et 30



0,062

Neroni Caesari | Germanici Caesaris f(ilio), | Ti. Caesaris Aug(usti) n(epoti), | divi Augusti pro n(epoti), | flámini Augustáli, | sodáli Augustáli, | sodáli Titio, frátri Arváli, | fétiáli, quaestori, | ex s(enatus) c(onsulto)

CIL VI 913 v. 1.

Natus est Nero Germanici Caesaris filius natu maximus a. 6 (Mommsen Hermae vol. XIII p. 247); titulus hic positus ei est quaestori ex s. c. Inde aetas in universum definitur.

---

73 Romae, cippus marmoreus, cui olim signum Iunonis impositum erat; in museo Vaticano (c. 1/5).

post a. 22



0,040

Iunoni | Iuniae C. Silani f(iliae) | Torquatae | sacerdoti Vestali | annis LXIIII | caelesti patronae | Actius l(ibertus)


CIL VI 2128 v. 3.

Soror est C. Silani cos. a. 10 (Mommsen ephem. epigr. I p. 60), pro quo intercessit repetundarum reo a. 22 (Tacitus ann. III 69).

---

74 Romae, cippus marmoreus utrimque inscriptus, cui olim Genii signum impositum erat; in villa Albania (c. 1/3).

a. 27



0,015

Genio | Ti. Caesaris | divi Augusti | f(ilii) Augusti | C. Fulvius Chryses mag(ister) | pagi Amentini minor(is) | donum dedit | V k(alendas) Iun(ias) | L. Calpurnio Pisone | M. Crasso Frugi co(n)s(ulibus)

CIL VI 251 vv. 10. 11.

75 Romae, cippus ex lapide Albano; in museo Vaticano (1/5).

a. 36-37

VIRG 0,050
TI·CAESAR·AVG
PONTIF·MAXIM 0,040
TRIB·POT·XXXVIII
COS·V·IMP·VIII 0,038
IIII
P CCXL

Virg(inis) | Ti. Caesar Aug(ustus) | pontif(ex) maxim(us), | trib(unicia) pot(estate) XXXVIII, | co(n)s(ul) V, imp(erator) VIII, | IIII | p(edes) CCXL

CIL VI 1253[b] integra.
Temporum notae sunt anni s. s.

---

76 Romae, cippus ex lapide Tiburtino pertinens ad mausoleum Augusti; in museo Vaticano (c. 1/5).

a. 37

TI· CAESAR 0,038

Ti. Caesar | Drusi Caesaris f(ilius) | hic situs est

CIL VI 892 v. 1.
Ti. Caesar Drusi Caesaris et Liviae filius, Ti. Augusti nepos, natus est a. 19, occisus a. 37.

---

77 Romae, urna magna marmorea quadrata, ex mausoleo Augusti; in palatio Conservatorum (1/10).

a. 37


OSSA 0,090
AGRIPPINAE·M·AGRIPPAE 0,060
DIVI·AVG·NEPTIS·VXORIS 0,055

ossa | Agrippinae M. Agrippae | divi Aug(usti) neptis, uxoris | Germanici Caesaris, matris C. Caesaris Augusti Germanici principis

CIL VI 886 vv. 1—4; satis bene Piranesi vol. II tab. LXII.
Cineres Agrippinae a. 33 defunctae a. 37 in mausoleum inlati sunt.

78 Romae, in obelisco Vaticano. Ex imagine photographa (litterae maximae altae sunt uncias Romanas 12½, minimae uncias circiter 8, *Zoega*; c. 1/33).

a. 37-41 c. 0,33



divo Caesari divi Iulii f(ilio) Augusto, | Ti. Caesari divi Augusti f(ilio) Augusto | sacrum

CIL VI 882 integra; Zoega de obeliscis p. 52 unde desumpsi mensuras.
Obeliscus abavo et avo a C. Caesare consecratus in hortis privatis.

---

79 Romae, fragmentum cippi marmorei; in villa Albania (⅓).

a. 38



0,017 C 0,038

M. Aquilá Iuliáno | P. Nonió Asprenáte co(n)s(ulibus) | VII k(alendas) Iúniás | pró salúte et páce et | victóriá et genió | Cáesaris Aug[usti] . . .

CIL VI 811 vv. 1. 2.
Adsunt lineae versuum a quadratario insculptae. Annus est s. s.

---

80 Romae, cippus ex lapide Tiburtino pertinens ad mausoleum Augusti; in museo Vaticano (c. ⅛).

a. 41




0,051 I 0,061

Livilla [M. Vinici], | Germanici C[aesaris f(ilia)] | hic sita [est]

CIL VI 891 v. 1.
Est Livillae M. Vinici, Germanici Caesaris filiae, natae a. 18, mortuae a. 41.

81 Romae, tabula marmorea in via Ostiensi; in museo Capitolino (⅓ pl. m.).



0,104
0,089
0,104

C. Ponti C. f(ilii) Sca(ptia) Rufi, | tr(ibuni) mil(itum), q(uaestoris), aed(ilis) pl(ebis), Galeriae L. f(iliae) uxoris, | arbitratu Cnismi l(iberti)

CIL VI 1498 vv. 1—3 dimidii.
Quanquam in tituli verbis nihil obstare videtur, quominus tribuatur aetati Augustae, tamen litterarum formae Tiberianae potius mihi visae sunt convenire.

82 Romae, ara marmorea rep. in insula Tiberina; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{6}$)



0,048

Aisculapio | Augusto sacrum | Probus M. Fictori Fausti, | minister a(nni) XXXI

CIL VI 12 v. 1.

Litterarum formae videntur spectare ad aetatem Tiberianam; certe non est tribuenda aetati Claudiae propter *ai* diphthongum in Graeco vocabulo servatam.

---

83 Romae, basis marmorea Concordiae; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{3}$).

c. a. 16



0,027

Q. Coelius L. f(ilius) pr(aetor), | aed(ilis) pl(ebis) Cer(ialis), | pro pr(aetore) ex s(enatus) c(onsulto), q(uaestor) | ex voto suscepto | pro incolumitate Ti. Caesaris divi Aug(usti) f(ilii) | Augusti, | pontific(is) maxim(i), | Concordiae d(onum) d(edit) | [a]uri p(ondo) XXV

CIL VI 91 v. 1.

84 Romae, cippus magnus marmoreus litteris magnis optimi aevi (*Henzen*); in hortis Matthaeiorum (c. $\frac{1}{15}$).



0,076
0,059

C. Iulio C. f(ilio) | Qui(rina) Prisco | scribae quaest(orio), | praef(ecto fabr(um) II, | Iulius Secundus pater et | Cassia L. f(ilia) | Priscilla mater | filio piissimo et sibi

CIL VI 1817 vv. 1. 2.

Titulo praecedenti litteratura quamvis multo maior tam est similis, ut et ipse videatur tribuendus esse aetati Tiberianae.

---

85 Romae, tabula magna lapidea; in museo Lateranensi (c. $\frac{1}{15}$).



0,090

Rufrenae T. f(iliae) Pollae | matri | L. Attius L. f(ilius) Vel(ina) Rufus

In CIL VI nondum edita; v. 1.

Paullo magis visa est convenire aetati Tiberianae quam Augustae.

II

MONVMENTA VRBANA AETATIS CLAVDIAE ET NERONIANAE


Cum operum publicorum a Ti. Claudio Caesare dedicatorum tituli pauci, a Nerone, ut consentaneum est, omnino nulli supersint, casu tamen felici factum est, ut tabulae praegrandis in arcu Claudii triumphali olim collocatae pars dimidia (n. 86) itemque aquae Claudiae titulus integer (n. 88) extent; utriusque exemplum potui exhibere. Addidi eis aetatis certae praeterea basim unam ad arcum Claudii olim pertinentem (n. 87), incertae deinde columnae Duilianae titulum (n. 91), quem certum quidem est ad saeculi primi partem priorem spectare, item quattuor sive sacros sive sepulcrales (n. 92 93 96 97) cum columellae in monte Palatino repertae uno (n. 94), qui utrum recte huic aetati tribuatur necne dubito. In universum enim χαρακτήρ titulorum aetatis Claudiae, cuius ego unum praeterea exemplum proferre satis habui litteris parvis sed elegantibus insigne (n. 98), ex multis exemplis satis notus est: formae litterarum minus graciles plerumque et elegantes sunt quam aetate Augusti et Tiberii, anguli rotundati, cornua quae dico maiora, hastae crassiores et breves. Exempla praebent tituli sepulcrales urbani paene innumerabiles; in corporis vol. VI Ti. Claudiorum tituli circiter quingenti recensentur. E quibus propter elegantiam nomino a *Tryphone Caesaris Augusti l(iberto) Sallustiano Rufai Caesaris Augusti l(ibertae)* positum in museo Vaticano, nondum in corpore editum, quem non solum propter *Rufai* dativum huic aetati tribuendum esse puto, sed propter litterarum praegrandium (altae sunt 0,100 ad 0,110) formam crassam et quadratam; deinde *Ti. Claudii Aug(usti) l(iberti) Fortunati* in museo Florentino servatum (CIL VI 15082), *L. Volusii Paridis a cubiculo et procuratoris L(uci) n(ostri)* in museo Vaticano (CIL VI 7370), *Claudiae Octaviae divi Claudi f(iliae) lib(ertae) Peloridis et Ti. Claudii Aug(usti) lib(erti) Eutychi procuratoris Augustor(um)* in forma aedificii inscriptum et servatum in museo Perusino (CIL VI 9105), quem fideliter repraesentandum curavit Henricus Iordan (forma urbis tab. XXXIV 1), *Hospitis divi Claudi liberti tabularii Leonidiani* in museo Vaticano (CIL VI 9060), *L. Iulii Eutychiani* alicuius in villa Borghesia (CIL VI 10401). Conspicua eiusdem

scripturae exempla, sed paullo minus accurate factae tituli sunt *Ti. Claudii* (*Cladio* in lapide sculptum est errore) *Euclis Magnetis a Maeandro* in ara ornatissima, quae extat in musei Vaticani curte quae dicitur *del Belvedere* (CIL VI 15036 non ad archetypum edita est); item *Claudiae Antoniae l(ibertae) Lachnes* in museo olim Kircheriano (CIL VI 2329).

Neronianae aetatis tituli Claudianis plerumque similes sunt, ut expectaveris: peculiares habent formas votivus *Fortunae Primigeniae* (n. 95) fortasse non urbanus, sed Praenestinus (ut CIL VI 193 195), item *M. Annaei M. f. Apollonii militis* sepulcralis servatus in museo Vaticano (CIL VI 3564), *Successae* alicuius *Messalinae Neronis lib(ertae)* nondum in corpore editus (IN 7162). Litteris non lapidariis, sed calamo exaratis pictisve prorsus aequalibus scriptus est titulus sepulcralis a. circiter 68 (n. 90), quem tamen nolui ex hoc ordine removere proximoque capiti adiungere. Aetati Claudiae Neronianaeve equidem etiam titulum hermae acephali in museo Neapolitano servati tribuerim inscripti *M. Porci M. f(ilii) Catonis censorii* (CIL VI 1320). A proprietate illa formarum crassiorum et breviorum paene constanti qui differunt eiusdem aetatis tituli, ei plerique potius sequuntur antiquiorem aetatis Augustae Tiberianaeve consuetudinem (ut n. 87 et 89; cf. quae adnotavi ad n. 91): id quod etiam cadit in titulos *Carpi Aug(u(sti) l(iberti) Pallantiani* (n. 96 97) et *Cn. Pompeii Pompeiae Cn. Magni f(iliae) l(iberti) Isochrysi* (n. 99), quos huic aetati tribuendos esse propter alias causas probabile est. Neque mirum, iuxta novicia scribendi genera etiam vetustiora in usu mansisse.

86 Romae, tabula ingens marmorea arcus qui fuit Claudii, litteris ex aere incrustatis; in impluvio aedium Barberinarum; ex imagine photographa.

a. 51/52




Ti. Clau[dio Drusi f(ilio) Cai]sari | Augu[sto Germani]co, | pontific[i maximo, trib(unicia) potes]tat(e) XI, | co(n)s(uli) V, im[p(eratori) XXI(?), patri patriai], | senatus po[pulusque] Ro[manus q]uod | reges Brit[anniai] XI [devictos sine] | ulla iactu[ra in deditionem acceperit] | gentesque b[arbaras trans Oceanum] | primus indic[ionem populi Romani redegerit]

CIL VI 920; Piranesi vol. X (*Campo Marzio*) in tabula maxima titulum operis exhibente delineavit satis accurate.

87 Romae, tabulae magnae marmoreae quinque ad arcum Claudii pertinentes; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{9}$).

a. 51/52



0,056


Antoniai | *Augustai* | *Drusi,* | *sacerdoti diui* | *Augusti,* | *matri Ti. Claudi* | *Caisaris Aug(usti) p(atris) p(atriae)*

CIL VI 921 tabulae II vv. 6. 7 pars dimidia.

---

88 Romae, in arcu aquae Claudiae sive porta Praenestina. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{50}$).

a. 52



0,500

Ti. Claudius Drusi f(ilius) Caisar Augustus Germanicus, pontif(ex) maxim(us), | *tribunicia potestate XII, co(n)s(ul) V, imperator XXVII, pater patriae,* | *aquas Claudiam ex fontibus qui vocabantur caeruleus et Curtius a milliario XXXXV* | *item Anienem novam a milliario LXII sua impensa in urbem perducendas curavit*

CIL VI 1256 pars laeva; Canina *edifizi* tab. CCXXVI unde mensuras desumpsi.

---

89 Romae, cippus marmoreus; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{3}$).

a. 57




0,023

Minervae Aug(ustae) | *sacrum* | *Nerone Claudio II* | *L. Caesio Martiale co(n)s(ulibus)* | (sequuntur nomina magistrorum sex) *mag(istri) fontani d(e) s(ua) p(ecunia)* | *dedic(averunt) k(alendis) Dec(embribus)*

CIL VI 268 v. 3 partis anticae; Neronis nomen non est erasum.
Basis a magistris collegii fontanorum Minervae posita anno s. s. V. 6 nomen AMÁNVS apicem habet in hoc titulo unicum.
Partis aversae titulus evanidus tempore recenti instauratus est.

90 Romae, fragmentum tabellae marmoreae; Neapoli in museo (⅓).

post a. 68



0,017


0,014

[... negotiat]or de porto vinar(io) vix(it) | [annis ...... X] Calpiae Quartillae uxori | .... s sui v(ixit) a(nnis) LXX | ... ato fact(us) est Nerone V et Tracha|[lo co(n)s(ulibus)] ..... qui ad hoc officium venistis | ...... c ostio nolite

CIL VI 9190 integra.
Consules sunt anni s. s.

91 Romae, tabula marmorea columnae rostratae Duilianae; servatur in palatio Conservatorum (⅓).

0,025



[C. Duilios . . . . Segest]ano[sque . . . . opsidione] exemet lecione[sque Cartaciniesis omnis ma]ximosque macistratos l[uci palam post dies no]vem castreis exfociont, Macel[amque opidom p]ucnandod cepet. Enque eodem mac[istratud bene r]em navebos marid consol primos c[eset copiasque c]lasesque navales primos ornavet pa[ravetque c]umque eis navebos claseis Poenicas omn[is, item max]umas copias Cartaciniensis praesente[d Hanibaled d]ictatored ol[or]om in altod marid pucn[andod vicet a]tque nave[is cepe]t cum socieis septer[esmom unam, quinque-resmos]que triresmosque naveis X[XX, merset XIII. Auro]m captom numei (tria milia septincenti), [arcen]tom captom praeda numei [....., omne] captom aes (plus vicies semel). [Primos qu]oque navaled praedad poplom [donavet primosque] Cartacinie[nsis ince]nuos d[uxit in triumpod] . . . .

CIL VI 1300 (CIL I 195; PLME tab. XCV cf. Ritschelii opusc. IV p. 183 ss. tab. VII) integra.


Subscripsi Mommseni restitutionem, ut titulus facilius legatur. Litterarum reliquias quasdam initio vel fine versuum observatas cum in ectypis meis plane non comparuerint omisi.

Litterarum habitum universum quanquam Ritschelius (l. s. s. p. 204) se affirmare posse dicit in imperatoris Claudii aetatem, cuius chartis expressi tituli sibi certissimi praesto sint, apprime convenire, longe quidem aptius quam in Vespasiani imperium, de quo Cittadinus cogitasset, tamen siquis Augusti potius Tiberiive aetati adscribere maluerit equidem non habeo quod contra dicam; cf. supra n. 52 62 67 68 69 70 71 73 74 77 79 80 81. Aetatis certo Claudiae equidem nullum ad manus habeo titulum prorsus similem; non dissimilis est n. 85. Sed definire nihil audeo neque loco movi a Ritschelio proposito; illud tantum monere volui, aliis de causis si titulus inter honorarios urbanos primarius ab Augusto redintegratus esse credatur, litteraturam certe non obstare. Ritschelii imago quanquam fidelis omnino in eis quae exhibet quaeque omittit, tamen singularem scripturae elegantiam mihi non visa est reddere.

---

92 Romae, cippus marmoreus notus inde a saeculo XVI; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).

c. a. 50



0,045 0,034 0,031 0,023

Dis | *Manibus* | *Liciniae Crassi* | *Frugi pontificis f(iliae)* | *Magnae,* | *L. Pisonis pontificis uxor(is)*

CIL VI 1445 pars dimidia sinistra.

Crassus Frugi creditur esse consul a. 27, L. Piso consul a. 57. Itaque titulus tribuendus saeculo primo circiter medio.

---

93 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{5}$).

inter a. 41 et 54



0,027

Satyr libert(us) | *Nymphabus* | *sacrum* | *instituit,* | *l(ibens) a(nimo) d(e) s(uo) f(ecit)*

CIL VI 553 vv. 1. 2.

Ⱶ est littera Claudiana.

94 Romae, columella ex lapide Albano; in Palatino (c. $\frac{1}{5}$).



0,028

Remureine


CIL VI 566 integra.

Columellae similes inscriptae *Marspiter* (CIL VI 487) et *Fertor Erresius rex Aequeicolus* e. q. s. (CIL VI 1302) non sine probabilitate videntur tributae esse aetati Claudiae (Mommsen Hermes XVI 1881 p. 17). Tamen litteratura non vetat, quo minus adscribantur omnes aetati Antoninianae, idemque de Fertoris Erresii titulo maiore etiam cum fiducia contendo.

---

95 Romae, basis non magna marmorea; Florentiae in museo publico ($\frac{1}{3}$).

inter a. 54 et 68




0,016 0,014

Nomaeus | *Neronis* | *Aug(usti) l(ibertus)* | *tabularius* | *Fortunae* | *Primigeniae* | *votum solvit* | *ex ar(genti) p(ondo)* XIS=£-ↃV (*pondo undecim unciis novem scripulis undecim*)

CIL VI 194 vv. 1—3.

96 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).

inter a. 54 et 68




0,037

Carpus Aug(usti) lib(ertus) | Pallantianus | adiutor Claudi | Athenodori praef(ecti) annonae | fecit sibi | et Claudiae Cale | coiugi piissimae et | Ti. Claudio Quir(ina) | Antonino filio et | Ti. Claudio Romano | vernae et libertis | libertab(us) posterisque | eor(um)

CIL VI 8470 vv. 1. 2.
Aetatis Neronianae; cf. O. Hirschfeld Philol. XXIX 1870 p. 28.

97 Romae, ara marmorea; in museo collegii Romani (c. $\frac{1}{5}$).




0,030

Carpus Aug(usti) l(ibertus) | Pallantianus | sanctis | draconibus | d(onum) d(at)

CIL VI 143 vv. 1. 2.
Ara dedicata est fortasse propter L. Domitii (postea Neronis) infantiam (Tacitus ann. XI 11). Quanquam posita ab homine eodem ut n. 96 aetate sine dubio paene eadem, tamen a quadratario minus habili sculpta litterarum formas habet diversas.


98 Romae, cippus marmoreus parvus; nunc dissectus in museo Capitolino (c. $\frac{1}{3}$).



Dis Mánibus sac(rum) | Calamus | Ti. Claudii Caesaris | Augusti Germanici | Pamphiliánus | vilicus ex horreis | Lolliánis | ex d(ecreto) d(ecurionum) d(e) s(uo) d(onum) d(at)

CIL VI 4226 vv. 2—4.

99 Romae, tabula marmorea; in museo Neapolitano (c. $\frac{1}{5}$).



0,042

0,036

v(ivus) Cn. Pompeius Pompeiae Cn. | Magni f(iliae) lib(ertus) Isochrysus sibi et | Pompeiae Maximae conlibertae | suae feminae iucundissimae ex qua | nihil umquam dolui nisi cum decessit | et libertis libertabusque suis; | h(oc) m(onumentum) h(eredes) n(on) s(equetur)

CIL VI 9438 vv. 1. 2.
In antica tabulae inscriptum est: '*iussu imp(eratoris) Caesaris Augusti gerulis ped(es) III s.*'. Posticae titulus videtur esse aetatis Claudiae Neronianaeve.

III


MONVMENTA IN LATIO ET TVSCIA REPERTA

In oppidis vetustis urbi vicinis inde ab Augusti aetate eandem fere atque in illa artis lapidariae perfectionem deprehendi non est quod miremur. Antiquissimus in hoc ordine quem repraesentare potui titulus ad Ariciam repertus *A. Terentii Varronis Murenae* (n. 100) anno ille u. 731 antiquior cum a Graecis hominibus quamvis in Italia positus sit, formam habet litterarum aliquanto liberiorem, quam ab aetate illa expectaveris. Eiusdem fere aetatis tituli sunt a Ritschelio repraesentati Tusculanus *M. Coelii Viniciani praetoris* (CIL I 641 PLME tab. LXXXIX *C*) et Interamnas *A. Pompeii A. f(ilii) Clu(stumina)* militis (apud Gruterum p. 455, 4 PLME tab. LXXXVI *D*), Tiberianae Tiburtini parvus *Post(umi) Mimesii C. f(ilii) Sardi legati Ti. Caesaris Aug(usti)* litteris exiguis (altis 0,025) scriptus (Orell. 3141) et aliquanto maior *C. Iulii C. f(ilii) Pal(atina) Rufi trib(uni) militum bis* (Orell. 3964), in quo tamen versus ultimus videtur postea adiectus esse, cum collocatus sit minime ad regulam; item Calenus *L. Aufellii Rufi p(rimi) p(ilaris) leg(ionis) VII c(onstantis) p(iae) f(idelis)* (CIL X 4641), Praenestinus *L. Aufidii C. f(ilii) Sca(ptia) Celeris Florentia equ(itis) cohor(tis) IIII pr(aetoriae)* (Henzen 6696), quos vidi omnes. Urbanam elegantiam paene aequiperant tituli familiae Iuliae positi a Caeretanis, servati illi in museo Lateranensi, *Augusti et Tiberii* ex parte tantum superstes, *Iuliae Agrippinae* (n. 102), *divae Drusillae* (n. 103); quocum conferatur eiusdem *Drusillae* titulus Tiburtinus (Orell. 674) in museo Capitolino servatus. Simili elegantia scriptus est Ostiensis *Germanici Caesaris* (n. 101). Cum Caeretano item *Britannici* (n. 104) comparandi sunt aetatis Claudiae tituli Ostienses frequentes, veluti *Ti. Claudi Cumani l(iberti) Cerialis VI (viri) Augustalis Ostis* in museo Lateranensi et ipse servatus, Lanuvinus musei Vaticani (Orell. 3786), alii. Etiam litterae illae novae Claudianae in municipiis hisce suburbanis receptae sunt, ut docet titulus Ostiensis (n. 105), in quo Ⅎ (*f* inversa) a Claudio pro *v* consonanti inventa legitur. Pisis et Florentiae non multa vidi eius aetatis monumenta; Pisis in campo sancto extant fragmenta quaedam huic aetati tribuenda, veluti *Cereri sacrum* aliaque quaedam sepulcralia.

Neronianae aetatis tituli duo in eodem lapide Minervae Augustae positi a magistris fontanis a. 57 (apud Fabrettium p. 332, 495), quorum imagines Ritschelius exhibuit (PLME tab. XC *D* et enarr. p. 79), litteras habent paullo neglegentius incisas quam reliqui huius capitis tituli.

100 In civitate Lavinia (Gentiani, inter Ariciam et nemus Dianae), tabula marmorea; Romae in museo Capitolino (¼).

ante a. 731



0,063 — 0,055 — 0,050 — 0,047


A. Terentio A. f(ilio) Varr(oni) | *Murenae* | *Ptolemaiei Cyrenens(es)* | *patrono* sequuntur nomina legatorum Graeca

Henzen 5311 vv. 1—4.

Murena in consulatu anni s. s. obiit, cf. CIL I p. 450 ad a. 731 et VI 1324.

101 Ostiae, tabula marmorea; nunc Romae in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).

c. a. 14-19



0,058
0,042
0,048
0,042


Germanico | Caesari | Ti. Caesaris | Aug(usti) f(ilio) | decurionu[m decreto]

CIL XIV 83 vv. 1—4.

---

102 Caere, tabula marmorea; in museo Lateranensi ($\frac{1}{4}$).

inter a. 50 et 54



0,045
0,042


Iúliae Augustae | Germánici Caisari[s filiae] | Agrippínae

Henzen 5387 integra.

---

103 Caere, tabula marmorea; nunc Romae in museo Lateranensi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 37 et 41




0,048
0,046

Divae Drusillae sorori | [C. Caesaris] Augusti | Germanici

Henzen 5873 integra; v. 2 C. Caesaris nomen erasum est.

104 Caere, ut videtur, tabula marmorea; in museo Lateranensi ($\frac{1}{4}$).

c. a. 49



0,052

0,047

Ti. Claudio | *Britt[annico ....* | *Ti. C]lau[di Caesaris Aug(usti) Germanici filio]*

Nondum videtur edita esse.

---

105 Ostiae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).



0,034

L. Annius L. Ↄ (mulieris) l(ibertus) Fe[lix] | *sibi et Laberiae ....* | *et C. Laberio Ⅎict[ori ...]* | *libertis libertab(us) C. [Laberii ....]* | *in front(e) p(edes) XXX [in agro p(edes) ...]*

CIL XIV 571 v. 3.


IV

MONVMENTA POMPEIANA

Neapoli in museo splendidissimo, item in ipsis Pompeiorum parietinis notum est tantum numerum extare monumentorum inscriptorum inde prodeuntium, ut de nulla alia fere urbe antiqua qualis ibi in usu fuerit scribendi ars melius possit cognosci. Atque in hanc ipsam de qua agimus aetatem propter urbis interitum cum incidant tituli ibi reperti plurimi, si exceperis aetatis Flaviae usque ad annum p. C. 79 fatalem non multos, ex uberrima materia seligendos putavi, qui maxime viderentur elegantiam artis paene Graecam apte illustrare. Itaque temporum ordinem non solum secutus, sed etiam scribendi varietatem respiciens priore loco posui aetatis Augustae titulos aliquot antiquiores, simpliciores illos et ad pictorum magis formas sese applicantes (n. 106—111), qui litteris scripti sunt non ita magnis. Eiusdem fere generis est quem non repraesentavi titulus *L. Caesii C. f(ilii) C. Occii M. f(ilii)* duovirorum aetatis incertae (CIL X 819); item mensae ponderariae titulus (CIL X 793). Sequuntur artis perfectae specimina maximi ex parte moduli (n. 112—121), quae si comparaveris cum eiusdem aetatis urbanis (supra n. 45—55 70—80 86—89), longe illis haec praestare facile perspicies. Ceterum in his quoque duplex fere ordo litterarum ut breviter dicam quamvis vocabulis noviciis et rectilinearum, quarum exempla sunt luculenta quae ceteris praecedunt (n. 112—116 121), inprimis Holconiorum tituli ad theatrum pertinentes (veluti n. 114, sed confer eorundem hominum titulos reliquos CIL X 830 837, item recentiorem n. 133), et curvilinearum quamvis a pictarum forma paullo diversarum (veluti n. 116—119 121 139—141). Continuavi his seriem notationum earum, quibus in basibus a ministris sacrorum positis ipsi dedicationis anni indicantur ab anno aerae nostrae primo ad tricesimum quartum (n. 122—131); accedit anni incerti una (n. 132), quam propter scripturae similitudinem hic posui. Imitari tituli illi videntur aliqua ratione scripturam actorum, unde collegia consulum descripta sunt, atque annis procedentibus neglegentiores fiunt. Succedunt dedicationes aliquot operum publicorum privatorumque aetatis Tiberianae Claudiae Neronianae (n. 133—138), quarum una (n. 135) aetatis Claudiae prope accedit ad pictarum libertatem, quam praeterea referunt quos in fine posui aetatis minus certae tituli aliquot (n. 139—142); etenim probabile est cum multis aliis eiusdem generis ad Tiberii fere et Neronis imperia eos referendos esse. Aetatis Tiberianae praeterea exempla indico conspicua titulos ad arcum in foro collocatum repertos (ut CIL X 799) et *M. Claudii Marcelli Aesernini lib(erti) Hymenaei Augustalis* (CIL X 1448), siquidem is Pompeianus est ac non potius Herculanensis.

106 Pompeiis, basis marmorea in templo arcis, quod olim Herculis nunc Veneris fuisse creditur; ibi extat ($\frac{1}{4}$).

ante a. 731



0,052

M. Claudio C. f(ilio) Marcello | patrono

CIL X 832 integra.


Marcellus Augusti gener mortuus est a. 731; patronus cooptari potuit a Pompeianis iam annis aliquot antea.

---

107. 108 Pompeiis, bases duae marmoreae; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

a. 740


107



0,034

0,030

108



0,040

0,035


M. Sittius M. l(ibertus) | Papia | Merc(urio) Maiae | sacrum ex d(ecreto) d(ecurionum) | iussu | M. Melsoni A. f(ilii) iter(um) | P. Rogi P. f(ilii) Vári | d(uom) v(irum) i(ure) d(icundo) | N. Pacci N. f(ilii) Chilonis | M. Ninni M. f(ilii) Pollion(is) | d. v. v. a. s. p. p. M. Crasso Cn. Lentulo | co(n)s(ulibus)

M. Sittius M. l(ibertus) | Serapa | Merc(urio) Maiae | sacrum ex d(ecreto) d(ecurionum) | iussu | P. Rogi P. f(ilii) Vari | M. Melsoni A. f(ilii) iter(um) | d(uom) v(irum) i(ure) d(icundo) | N. Pacci N. f(ilii) Chilonis | e. q. s.

CIL X 885 (107) vv. 6—8. 886 (108) vv. 1—4.

---

109 Pompeiis, basis marmorea, rep. in aede Veneris; extat in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).



0,036

0,031

0,020


Q. Tullius Q. f(ilius) | M. Cinnius M. f(ilius) | d(uo) v(iri) i(ure) d(icundo) | C. Mammius L. f(ilius) C. Naevius M. f(ilius) | d. v. v. a. s. p. p. ex d(ecreto) d(ecurionum) | constat HS (sestertium) DLXXII s

CIL X 803 vv. 1. 2.

Coniunxi cum praecedentibus propter scripturae similitudinem.

5*

110 Pompeiis, herma ex marmore in chalcidico; extat Neapoli in museo ($\frac{1}{4}$).




0,029
0,024

C. Norbani | Soricis | secundarum; | mag(istri) pagi | Aug(usti) felicis suburbani ex d(ecreto) d(ecurionum) l(oco) d(ato)

CIL X 814 vv. 1—4.
Sorex hic archimimus Sullae senis sodalis fuisse creditur; tituli certe litteratura prorsus convenit cum antecedentium, ita ut aetati Augustae ineunti tribuere non dubitaverim.

---

111 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).



0,058
0,044
0,054


M. Faecius | Suavis, | M. Faecius Primogenes | scholam | de suo

CIL X 850 pars laeva.
Videtur tribuenda esse aetati Augustae.

---

112 Pompeiis, fragmentum epistylii marmorei; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

c. a. 752 0,260




M. Lucre[tius . . .]

CIL X 954 integra.
Ad quemnam inter Lucretios Pompeianos pertineat incertum quidem, sed aetatis Augustae ineuntis esse probabile est.

113 Pompeiis, in epistylio marmoreo aedis Augusti ($\frac{1}{16}$).

c. a. 747

0,190



Mamia P. f(ilia) sac|erdos public(a) | Gen[io Aug(usti)] solo et pec[unia sua]


CIL X 816.
V. 3 inter *gen[io]* et *solo* Augusti vocabulum deest. De tempore cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 272.

---

114 Pompeiis, in theatro, tabulae marmoreae litteris pulcherrimis; extant in museo Neapolitano ($\frac{1}{10}$).

c. a. 752

0,170




M. M. Holconii Rufus et Celer cryptam tribunalia theatrum s(ua) p(ecunia)

CIL X 833 integra; titulus scriptus est versu uno. Cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 243 et CIL X 787.

115 Pompeiis, fragmentum epistylii marmorei; litterae depictae occupant spatium 0,95 m.; in museo Neapolitano ($\frac{1}{5}$).

c. a. 752 0,075



Augustales s(ua) p(ecunia)


CIL X 977 omissis litteris duabus ultimis.

De tempore quanquam non constat, probabiliter tamen tribuetur aetati Augustae.

---

116 Pompeiis, basis marmorea ad aedem Fortunae; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

ante a. 752 0,071 0,054



[Augu]sto Caesari | parenti patriae

CIL X 823 vv. 1. 2 pars dextra.

---

117 Pompeiis, basis marmorea in theatro maiore; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 752/3 0,045



[Imp(eratori) Caesari] | Augusto patri | [patriae, imp(eratori) XIV, co(n)]s(uli) XIII, pontif(ici) max(imo), trib(unicia) | [pot]est(ate) XXII

CIL X 842 v. 2.

118 Pompeiis, fragmentum tituli marmorei qui ad arcum Tiberii in foro erectum videtur pertinuisse; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

inter a. 14 et 17



0,062

[*Neroni Germanici f(ilio) ... fl*]*amini Augustali, sodali* | *Augustali, q(uaestori)*

CIL X 798 v. 2.
De aetate tituli cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 373.

---

119 Pompeiis(?), tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

inter a. 49 et 54



0,080

[*Iuliae*] *Agrippinae* | [*Germanici C*]*aesaris f(iliae),* | [*Ti. Cla*]*udi Caesaris Augusti*.

CIL X 933 v. 1 pars superstes.

---

120 Pompeiis, tabula marmorea in theatro; extat Neapoli in museo ($\frac{1}{8}$).

c. a. 752?



0,060
0,040


M. Artorius M. l(ibertus) Primus | *architectus*

CIL X 841 integra.
De aetate tituli cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 204. 242 et CIL X 807; tribuendus videtur aetati Augustae extremae.

---

121 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{5}$).

a. 752




0,040

A. Veius Phylax | *N. Popidius Moschus* | sequuntur nomina ministrorum Augusti duorum et magistratuum quattuor [*imp. Cae*]*sare XIII* | [*M. Plautio Si*]*lvano co(n)s(ulibus)*

CIL X 890 vv. 1. 2.
Basis posita est a ministris Augusti; consules sunt anni s. s.

122 Pompeiis, basis marmorea; Neapoli in museo ($\frac{1}{4}$).

a. 1




0,023

C. Caesare L. Paullo | *co(n)s(ulibus)*

CIL X 891 vv. 12. 13.
Basis similis a ministris Augusti posita anno s. s.

123 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 2



0,022

0,020

P. Stallius Agatho | *minister d(onum) d(at)* | *imp(eratore) Caesare IX* | *M. Silano co(n)s(ulibus)* (i. e. a. 729) | *[no]vatum P. Alfeno* | *P. Vinicio co(n)s(ulibus)* | sequuntur nomina magistratuum quattuor

CIL X 884 vv. 3—6.
P. Alfenus Varus P. Vinicius consules sunt anni s. s.

---

124 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 3



0,022


P. Silio L. Volusio Saturn(ino) co(n)s(ulibus)

CIL X 824 v. 7.
Basis posita a ministris Fortunae Augustae; consules sunt anni s. s.

---

125 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 3



0,030

0,025


M. Servilio L. Aelio | *Lamia co(n)s(ulibus)*

CIL X 892 vv. 8. 9.
Basis posita a ministris Augusti; consules sunt anni s. s.

---

126 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 4



0,016

0,013

iussú | *M. Stai Rufi* | *Cn. Melissai Apri*

CIL X 893 vv. 3—5.
Basis ministrorum Augusti novata [*Sex. Ae*]*lio* | [*C. S*]*entio cos.*, i. e. anno s. s.

127 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 23




0,025

C. Asinio C. Antistio co(n)s(ulibús)

CIL X 895 v. 9.
Basis ministrorum Augusti; consules sunt anni s. s.

128 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano (1/8).

a. 26



0,027 0,026

[*Ex d(ecreto) d(ecurionum)*] *iussu* | *M. Allei Lucci Libell(ae)* | *M. Stlabori Fronton(is)* | *IIvir(um) i(ure) d(icundo) quinq(uennalium)* | cet.

CIL X 896 vv. 2—4.
Basis posita est a ministris Augusti *C. Calvisio Cn.* [*Lentulo*] *cos.*, i. e. anno s. s.

---

129 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano (1/8).

a. 32




0,026 0,015

Cn. Domitio Camillo Arruntio | *co(n)s(ulibus)*

CIL X 899 vv. 14. 15.
Basis ministrorum Augusti similis; consules sunt anni s. s.

130 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano (1/8).

a. 34



0,030

Paullo Fabio L. Vitellio | *co(n)s(ulibus)*

CIL X 901 vv. 10. 11.
Basis ministrorum Augusti; consules sunt anni s. s.

---

131 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano (1/8).

a. 34



0,032

Paullo Fabio L. Vitellio co(n)s(ulibus)

CIL X 902 v. 8.
Basis ministrorum Augusti; consules sunt anni s. s.

---

132 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano (1/8).



0,048 0,044 0,027


L. Numisius Primus | *L. Numisius Optatus* | *L. Melissaeus* | *Plocamus* | *ministr(i) Fortun(ae) Aug(ustae)* | *ex d(ecreto) d(ecurionum)* e. q. s. | *Q. Futio P. Calvisio co(n)s(ulibus)*

CIL X 827 vv. 1. 3 et 10.
Basis ministrorum Fortunae Augustae; consules sunt anni incerti, sed aetatis omnino Augustae Tiberianaeve.

---

133 Pompeiis, basis marmorea in theatro maiore; in museo Neapolitano (1/8).

c. a. 15



0,055 0,040 0,035

M. Holconio Celeri | *d(uum) v(iro) i(ure) d(icundo), quinq(uennali) designato, Augusti* | *sacerdoti*

CIL X 840 integra.
Celer magistratum iniisse creditur a. 15.

134 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano (⅙).

inter annos 51 et 54



0,060 0,040 0,030


Ti. Claudio | Ti. Claudi Caesaris | Augusti Germanici | p(atris) p(atriae) f(ilio) Neroni | Caesari | d(ecreto) d(ecurionum)

CIL X 932 vv. 1—3.

---

135 Pompeiis, parva basis ex marmore nigro; in museo Neapolitano (½).

inter annos 47 et 54



0,022 0,012


Sp. Turranius L. f(ilius) Sp. n(epos) L. pro n(epos) Fab(ia) | Proculus Gellianus | praef(ectus) fabr(um) II, praif(ectus) curatorum alxei | Tiberis, praif(ectus) pro pr(aetore) i(ure) d(icundo) in urbe Laxinio, | pater patratus populi Laurentis, e. q. s. *loc(o) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL X 797 vv. 1—4.
Litteras Claudianas aetatem definire dudum observatum est. V. 3 *praef* et *praif* in lapide sunt.

---

136 Pompeiis, basis marmorea, in museo Neapolitano (⅙).

a. 56




0,045 0,012 0,038

Martialis C. Óli Primi | M'. Salárius Crocus | Primigenius C. Óli Primi | min(istri) Fortunáe Aug(ustae) | iussú | Q. Postumi Modesti C. Vibi Secundi | d(uum) v(irum) i(ure) d(icundo) | C. Memmi Iuniani Q. Brutti Balbi aedil(ium) | [L. D]uvió P. Clodió co(n)s(ulibus)

CIL X 826 vv. 1. 8 et 9.
Basis ministrorum Fortunae Augustae; L. Duvius Avitus P. Clodius Thrasea Paetus consules sunt anni s. s. Apices aliquot et punctum versu ultimo post P in ectypo meo deerant; sunt vero in lapide.

137 Pompeiis, tabula marmorea; in museo Neapolitano (⅕).

c. a. 64 v. 1 0,114 v. 2 0,086




Thermae | M. Crassi Frúgi | aqua marina et baln(ea) | aqua dulci; Ianuárius l(ibertus)

CIL X 1063 vv. 1. 2.
M. Licinius Crassus Frugi videtur consul esse a. 64 (cf. Mommsen eph. epigr. I p. 227 et Nissen *pompeian. Studien* p. 136 ss.); unde aetas tituli aliquo modo definitur.

---

138 Pompeiis, tabula magna marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{10}$).

c. a. 64 v. 1 0,140 v. 2 0,070 vv. 3. 4 0,040




N. Popidius N. f(ilius) Celsinus | aedem Isidis terrae motu conlapsam | a fundamento p(ecunia) s(ua) restituit; hunc decuriones ob liberalitatem cum esset annorum sexs ordini suo gratis adlegerunt

CIL X 846 integra.
De aetate cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 170 ss.

---

139 Pompeiis, basis parva marmorea cum anaglypho pueros exhibente; in museo Neapolitano (¼).




0,036 0,020

T(elluri) d(eae) V(eneri?) s(acrum) | M. Fabius Secundus | permissú aedil(ium) | A. Hordioni Proculi | Ti. Iúli Rufi

CIL X 801 vv. 1. 2.
Cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 331; aetatis fere Neronianae.

140 Pompeiis, cippus hermae similis ex marmore; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).




0,052

0,048

Mesciniae Ɔ (mulieris) l(ibertae) | *Veneriae*

CIL X 1054 integra.

141 Pompeiis, cippus hermae similis ex marmore; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).



0,060


0,040

0,045

Istacidia N(umerii) f(ilia) | *Rufilla sacerd(os)* | *publica*

CIL X 999 integra. Punctum v. 1 ante N deest in lapide.

142 Pompeiis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).



0,092

0,048

0,055

M. Statio M. l(iberto) | *Suavi Aug(ustali)* | *ex testamento*

CIL X 1066 integra.
N. 140 141 142 videntur eiusdem fere aetatis esse atque n. 139.

V

MONVMENTA HERCVLANENSIA PVTEOLANA
ALIORVM OPPIDORVM ITALIAE INFERIORIS

Monumenta Herculanei Puteolis aliisque in oppidis Campaniae reperta a vicinis Pompeiorum quanquam non multum differunt, tamen aliquatenus distinguuntur. Tituli antiquiores (veluti n. 143; adde *M. Spurii M. f(ilia) Men(enia) Rufi* ad macellum pertinentem CIL X 1457) illorum in universum sunt similes; aetatis vero Augustae posterioris monumenta iam, nisi fallor, solent diversa esse. Inspice *Balborum* titulos (n. 143; adde CIL X 1426 1430—1434): litteras habent rigidiores, altiores, minus commode dispositas. Qui praeterea exhibentur aetatis Tiberianae ad Claudiam tituli et ipsi gracilioribus litteris videntur scripti esse fere omnes. Excipio aetatis Tiberianae duos (n. 144 145), utpote scriptos litteris minoribus; sunt illi urbanis aetatis Claudiae similiores. Neque omnino cum non multis, quae casu servata sunt, exemplis Herculanensibus apte comparabuntur Pompeiana multo magis numerosa. Sed basis *divo Augusto* ab Augustalibus posita (CIL X 1412) paene non differt a *divo Iulio* positis (CIL X 1410 1411), quas iam supra (p. 4) memoravi; videtur enim illis etiam aetate aequalis esse. Aetatis Tiberianae exempla praesto erant

nulla; Claudiae enim sunt, ut dudum observaverunt viri docti, bases omnes a *L. Mammio Maximo* positae (n. 146 147 148; adde CIL X 1413 1415 1418 1449—1452). Paullum differunt litterae basis magnae *Claudio* a. 48 positae (CIL X 1416); sed fuerunt olim aere incrustatae; contra similes sunt tituli ad theatrum spectantes quamvis paullo recentiores a *L. Annio Mammiano Rufo* positi, scripti illi litteris magnis (CIL X 1443—1445).

Ex magno titulorum Puteolanorum numero, quem, ut nunc iam certo constat, museum Neapolitanum servat, tria selegi exempla, unum scriptum litteris maximis (n. 149), quod aetatis sive Augustae sive Tiberianae esse probabile est; aliquanto minoribus scriptum alterum (n. 150), quod apte comparabitur cum eiusdem fere aetatis Pompeianis (supra n. 116 117); tertium et ipsum cum eiusdem generis Pompeianis (ut n. 122) componendum iisque simile (n. 151). Cum hoc comparetur titulus litteris minoribus scriptus *L. Caesaris* (CIL X 1622); cum primo litteris maximis scripto fragmenta reliqua epistyliorum item maximis litteris scripta (altae sunt 0,275 ad 0,225) in museo Neapolitano servata (CIL X 1657 1660—1665).

Permulta, ut expectaveris, per Italiae inferioris et insularum oppida sparsa olim extiterunt aetatis Augustae ad Neronianam monumenta. Eorum quae adhuc extant ut ectypa nanciscerer quanquam operam dedi, non multum tamen profeci; itinera vero eius rei causa suscipi non potuerunt. Tamen, ut perspiciatur, quantus monumentorum eius aetatis numerus adhuc supersit atque ut, qui volet, comparare eorum scripturam possit cum exemplis in hoc volumine propositis, elenchum eorum, quae maxime huc faciunt, addere non inutile visum est. *Augusto* ipsi tituli positi sunt, qui adhuc extant, a. 711 ad 714 Saticulae adhuc triumviro (CIL IX 2142), a. 723 et 728 Capuae (CIL X 3826 et 3790), a. 725 Rufris (CIL X 4830), a. 731 Anguli (CIL IX 3342) et Casini (CIL X 5169), a. 736/7 columnae viae Appiae (CIL IX 5989 ad 5992), a. 742 Aleriae in Corsica (CIL X 8035), a. 750/1 Cinguli (CIL IX 5680), a. 752 Venafri (CIL IX 5977), a. p. C. 2 Capuae (CIL X 3827). Adde titulos a *M. Agrippa* vel ipsi positos Gnathiae (CIL IX 262), Telesiae (CIL IX 2200), in Alba Fucente (CIL IX 3913), Reate (CIL IX 4677), Cubulteriae (CIL IX 4616), Rufris (CIL X 4831), Casini (CIL X 5170), item filio eius ab Augusto adoptato Volceiis (CIL X 405); deinde *Liviae* vivo adhuc Augusto Superaequi (CIL IX 3304), *Gaio* et *Lucio Caesaribus* huic Abellini (CIL X 1115), illi Larini (CIL IX 727) et in Alba Fucente (CIL IX 3914). Bases praeterea habemus honorarias aut monumentorum splendidorum titulos virorum aetatis Augustae clarorum scriptos maximam partem litteris magnis et pulchris certis vel paene certis annis tribuendos hos *L. Staii Murci* a. 710 Sulmonensem (CIL IX 3080), *L. Cornelii Balbi* a. 714 Campanum (CIL X 3854 PLME tab. LXXXV*E*), *L. Munatii Planci* c. a. 712 Formianum celeberrimum (CIL X 6087) et fortasse Montefanensem (CIL IX 5815), *C. Nonii Galli* Aeserninum c. a. 725 (CIL IX 2642), *T. Statilii Tauri* consulis a. 728, ut videtur, Volceianum (CIL X 409, cf. infra n. 208), *C. Calvisii Sabini* a. 715 aut 750 et *L. Silani* c. a. 730 Canusinos (CIL IX 414 332), *L. Arruntii* consulis aut a. 732 aut a. 6 Atinatem (CIL X 5055), *P. Veidii Pollionis* (ut videtur) ante a. 739 positum Beneventi (CIL IX 1556), *Tiberii* nondum Caesaris a. 752/7 Saepinatem (CIL IX 2443), *C. Vibii Postumi* a. 5 Larinatem (CIL IX 730), *Sex. Appuleii* a. 14 Aeserninum (CIL IX 2637). Aetatis item Augustae, quanquam certis annis adscribi nequeunt, monumenta extant Teani Apuli legati alicuius *imp(eratoris) Caesaris Augusti* (CIL IX 702), Canusii *Q. Articuleii Reguli* (CIL IX 331), Auximi *C. Plautii Rufi* (CIL IX 5834 cf. 6384), Foruli *C. Mucii* alicuius *Scaevolae* (CIL IX 4414 cf. 4444 et CIL X 7543), Puteolis *C. Septimii Libonis* (CIL X 1725), quem vidi Neapoli in museo, Atinae *T. Helvii Basilae* (CIL X 5056 5057), Formiis *M. Ampudii N. f(ilii)* (CIL X 6082), Venafri *C. Herennii Melae* (CIL X 4881). Accedunt cippi vel miliarii *M. Aemilii Lepidi* alicuius annorum fortasse 708 aut 713 (CIL IX 6073) et *C. Calvisii Sabini* (CIL X 6899) vel terminales Augusto imperante positi Campani (CIL X 3825 1—4) et Venafrani (CIL X 4843). His addatur titulus [*Augusto dei*]*vi f(ilio) deivo* statim post mortem, ut videtur, positus Segestae in Sicilia (CIL X 7263). Praeterea Grumenti titulus extat ad porticum pertinens a. 711 factam (CIL X 8093), Beneventi dedicatus a. 721 (CIL IX 1554), Telesiae ad amphitheatrum fortasse spectans a. 741 (CIL IX 2197) eiusdemque anni Capuae epistylium aediculae Iovi et Laribus sacratae (CIL X 3803), ibidem Capuae ara Iovis posita a. 742 (CIL X 3804), Interocrii *Lumphieis et Dianae reduci* sacra a. 749 (CIL IX 4644), apud Cereatas Marianas *Iovis et deorum indigetum* a. 750 (CIL X 5779), Amiterni *pro reditu imp(eratoris) Caes(aris) Augusti Fortunai* (CIL IX 4182). Litteris altis (versu primo 0,145) et pulchris scriptus est titulus Caralitanus [*Q.*] *Caecilii M. f(ilii) M. n(epotis) M*[*etelli Cretici*] proconsulis provinciae Sardiniae ea fere aetate (CIL X 7581); qui una cum epistylio Norae in Sardinia a *C. Mucio C. f(ilio) Scaevola* quodam facto (CIL X 7543; cf. quos modo memoravi titulos Forulenses CIL IX 4414 4444) artem pulchre sculpendi iam tum etiam in insulas Italiae vicinas docet propagatam esse.

Satis magnus deinde est numerus monumentorum a magistratibus municipalibus publice privatimque factorum atque basium honorariarum titulorumque sepulcralium, quae omnia liberae rei publicae aetati extremae Augustaeve adscribuntur probabiliter cum propter argumenti et sermonis indolem peculiarem a posterioris aetatis monumentorum facile plerumque distinguendam, tum propter litteraturam grandem fere et pulchram. Difficile tamen est, quae in tota illa monumentorum serie vetustiora habenda sint, quae recentiora, ex indiciis solis definire, quae res vel sermo vel litterarum formae suppeditant. Ad probabilitatem sane propius accedet, qui omnia illa indicia coniunget; tamen restant monumenta non pauca, de quibus ne sic quidem quid statuendum sit coniectura certius fit. Observanda enim est unius cuiusque regionis ac paene loci consuetudo peculiaris, quam ex diutino tantum monumentorum usu licet cognoscere. Quare non mirandum est, quod plurima eius generis monumenta in corporis volumen primum recepta non sunt. Interim ne quid desideretur ab eis, qui eiusmodi studia maiore cum cura aliquando instituere et velint et possint, enumeravi hoc loco servata in Italia inferiore primum monumenta aut sacra aut publica aut honoraria, deinde sepulcralia magna ab honorariis re non diversa, quae in temporum spatium supra scriptum incidunt. Sunt autem haec Tarentina sacra Herculi (CIL IX 6152 6153), Canusina Vestae et Vortumno posita (CIL IX 326), Lucerinum (CIL IX 808), Compsina (CIL IX 936 1048 1050 1089), Aeclanensia publica (CIL IX 1135 1138 1139 1142 1143 1146), Vitulanense (CIL IX 2131), Telesina (CIL IX 2225 2227 2230 2233), Aeserninum (CIL IX 2664), Bovianense (CIL IX 2770 = CIL I 1278), Anxanense aediculae Larum (CIL IX 2996), Sulmonensia sacerdotum Cereris et Veneris (CIL IX 3087 3090), Corfiniensia publica (CIL IX 3163 3164 3167 3175), Superaequana (CIL IX 3312 3315), Aufinatia (CIL IX 3386 3387 3389), Peltuinas (CIL IX 3440), Furfonense (CIL IX 3523), Aveias (CIL IX 3612), ad Lucum Angitiae pertinens (CIL IX

3885), ex Alba Fucente sacra (CIL IX 3906 = CIL I 1169; CIL IX 3907) et honoraria (CIL IX 3926 3927), Carsiolanum (CIL IX 4059), Amiternina (CIL IX 4219 4290), Forulanum (CIL IX 4398), Fori novi repertum (CIL IX 4789), in Trebula Mutuesca extans *Iovis Cacuni* (CIL IX 4876), reperta Interamniae Praetuttianorum (CIL IX 5065 5067 5074 5075), Apuli Piceni (CIL IX 5185 5191), Cingulanum (CIL IX 5688), Ricinense (CIL IX 5748), Anconitanum (CIL IX 5921).

Multo etiam maior est numerus titulorum mere sepulcralium, quos praeter litterarum formas brevitas potissimum aetati illi adsignat. Indico breviter eius quoque generis titulos ex Italiae regionibus secunda quarta quinta oriundos, quorum multi nuper demum investigati sunt, Canusinos (CIL IX 346 347 352 358 373 385), Venusinos (CIL IX 435 442 444 515 cet.), Teanenses (CIL IX 706 707 715 716), Larinates (CIL IX 736 743 767), Lucerinos (CIL IX 816 823), Compsinos (CIL IX 1056 1064), Aeclanenses (CIL IX 1256 1310), Aequo Tutico (CIL IX 1433 1435) et in pago Veiano (CIL IX 1509 1527) repertos, Beneventanos (CIL IX 1624 1710 1718 1721 1747 1837 1917 1929 1946 1952 1992 2026 2056 2115 2117 2118), Caudinum (CIL IX 2182), Telesinum legionarii (CIL IX 2217), Aeserninum (CIL IX 2670), Aufidenatem (CIL IX 2809), Teatinum (CIL IX 3036), Sulmonensem (CIL IX 3128), Lavernatem (CIL IX 3140), Corfinienses (CIL IX 3216 3217 3218 3228 3245 3248 3272 3334 3368), Superaequanum (CIL IX 3321 3330), Angulanum (CIL IX 3346), Aufinates (CIL IX 3393 3398 3399 3403 3410), Peltuinates (CIL IX 3451 3459 3479 3498), Furfonenses (CIL IX 3534 3535 3555), Aveiates (CIL IX 3618 3628 3629 3635 3639 3642), apud Marsos Marruvio (CIL IX 3726), in Luco Angitiae repertos (CIL IX 3899 3903), Albensem (CIL IX 4023), Aequiculanum (CIL IX 4154), Amiterninos (CIL IX 4248 4275 4291 4295 4297 4298 4299 4340—4344 4352 4363), Forulanos (CIL IX 4408 4418 4419 4429), agri Amiternini (CIL IX 4375 4381 4390 4436 4465 4466 4467 4469 4471 4476 4477 4482 4487 4503 4526), Aquis Cutiliis extantem (CIL IX 4666), Reatinum (CIL IX 4729), Trebulanum (CIL IX 4909), Hadrianos (CIL IX 5051 5057), Interamnienses (CIL IX 5092 5102 5124 5127), Truentinos (CIL IX 5164 5169 5170), Asculanos (CIL IX 5221 5224 5253), Firmanum (CIL IX 5393), Falerionenses (CIL IX 5474 5480).

Ex Italiae regionibus prima et tertia hi memorandi sunt Pompeiani (CIL X 8349—8461 add. p. 1007, alii); Campani (CIL X 3886 seqq. cf. p. 374; in quibus est *N. Seii N. l(iberti) Aescini* (CIL X 4335 in museo Neapolitano, scriptus litteris permagnis, altis versu primo 0,125; item *Satelliae M. f(iliae) anus*, cuius litterae altae sunt versu primo 0,092), Teanensis *P. Tapsennae P. f(ilii) Proculi* militis, quem vidi in museo Neapolitano (CIL X 4787), Venafrani (CIL X 4877 seqq.), Fabraterni (CIL X 5582 5583 5586 5614 = CIL I 1180), Arpinas (CIL X 5678), Sorani (CIL X 5680 5689 5713 cet.), Aletrinates (CIL X 5809 5810 5817 cet.), Ulubranus (CIL X 6493). Exemplum scripturae elegantis praebet monumentum Nucerinum *M. Virtii Cerauni aedilis*, ornatum illud anaglyphis bonis (CIL X 1081), cuius ectypum gypseum in museo nostro Berolinensi servatur (*Verzeichniss der Gipsabgüsse* n. 1267*A*). Quae in Graecis olim urbibus repertae sunt tabellae sepulcrales parvae litteris minutis inscriptae plerumque et ipsae magna ex parte saeculi primi sunt, veluti Brundisinae (CIL IX 54 55 61 seqq. 6100—6149 6391—6396), Tarentinae (CIL IX 241 seqq. 6151—6171), in Thermis Himeraeis in Sicilia repertae (CIL X 7368—7450), comparandae illae cum Olisiponensibus Gaditanis Abderitanis (v. infra § X). Sed tamen cavendum, ne usus per aetatem sequiorem servati exempla omnia pro vetustis habeantur; multa enim etiam insunt aperte recentiora. In universum enim, ut iam dixi, aetate illa pulchris et grandibus litteris etiam privatorum monumenta, utpote ab opulentioribus plerumque profecta, solent scripta esse. Neque vero desunt omnino eiusdem sine dubio aetatis monumenta quaedam, quorum in numero etiam sacra nonnulla et publica sunt, scripta illa litteris non pulchris, gracilibus, parum alte incisis, minutis, ad actuariam sive etiam ad vulgarem (ne dicam cursivam) scribendi consuetudinem aliquo modo accedentes. Videntur eius indolis esse Beneventanus (CIL IX 1777), Aeserninus (CIL IX 2662, 'pila litteris minutis sed bonis et antiquioribus'), Bovianensis (CIL IX 2771), Corfiniensis (CIL IX 3158), ex pago Fificulano (CIL IX 3569), Aequiculanus (CIL IX 4104), Amiterninus (CIL IX 4184). Sed rariores sunt; vere vulgaribus formis scriptus est unus tantum apud Marsos ipsi rupi incisus a. 711 (CIL IX 3771 = CIL I 625 PLME tab. LXXX*B*), de quo in prolegomenis dixi. Praeterea militum non evectorum ad superiores gradus tituli et ipsi non ea qua reliqui cura videntur sculpti esse, quod non mireris; veluti Brundisinus militis classiarii, quos scimus pauperes fuisse in universum (CIL IX 42), Lucerinus (CIL IX 796), Carsiolanus (CIL IX 4060). Hi igitur tituli omnes, quorum ego vidi paucos tantum, a Pompeianis Herculanensibusque atque inter se admodum sine dubio diversi sunt, quamvis scripti plerumque cum cura litteris magnis et pulchris; neque dubito, si reliquarum Italiae regionum tituli aliquando collecti prostabunt, fore ut novae ex eis litteraturae diversitates adcrescant.

Aetatis Tiberianae in illis quoque regionibus, ut consentaneum est, non ita multa reperta sunt monumenta. Extat Aveiae basis parva imperatori ei posita (CIL IX 3606); Amiterni cippus litteris gracilibus *aquae Augustae in honorem Ti. Caesaris Augusti nepotumque eius* adductae (CIL IX 4209); Grumenti tabula maxima litteris pedalibus *Tiberio* posita a. 15 (CIL X 207); Puteolis olim nunc Neapoli basis ingens celeberrima ab Asiae urbibus quattuordecim post terrae motus annorum p. C. 17 ad 30 ei dicata (CIL X 1624); epistylium *Tiberio et matri* positum Tarracinae (CIL X 6309); parva basis *Augustae Iuliae Drusi f(iliae) divi Augusti* in agro Amiternino (CIL IX 4514), statua *Liviae* Cereris habitu cum titulo in insula Gaulo (CIL X 7501). Eiusdem deinde aetatis sunt bases et epistylia *Germanico* posita Vibini (CIL IX 962), Aeclani (CIL IX 1106), Allifis (CIL IX 2326), Atinae (CIL X 5050), Antii (CIL X 6649); item *Drusi Caesaris* Brundisii (CIL IX 35) et *Vipsaniae Agrippinae* Drusi Caesaris matris Telesiae fragmentum (CIL IX 2201). Praeterea Ricinae extat basis Nympharum Geminarum a liberto *C. Fufii Gemini* consulis a. 29 posita (CIL IX 5744); Teate basis *Ser. Asinii Celeris* consulis a. 38 (CIL IX 3017); Treae basis *M'. Vibii Balbini* legati divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti (CIL IX 5645). His accedunt monumenta varia Tiberio imperante, ut videntur, posita, veluti Histoniense *P. Paquii Scaevae* (CIL IX 2845 2846 cf. urbanum CIL VI 1484); Interprominum *Sex. Pedii Lusiani Hirruti* (CIL VI 3044 cf. urbana CIL VI 1485 1486); Superaequana *Q. Varii Gemini* (CIL IX 3305 3306); in Marsis Marruvio positum a. 18 (CIL IX 3664); Aequiculanum *T. Raii Crispini* militis (CIL IX 4121); deinde *L. Aufellii Rufi* a vico Palatio Calibus positum et servatum in museo Neapolitano (CIL X 4641), quod scriptum est litteris grandibus et bonis, sed admodum crassis et latis (altae sunt versu primo 0,170, reliquis 0,120 ad 0,075); Venafrana


Sex. Aulieni Sex. f(ilii) Ani(ensi) et *L. Ovinii L. f(ilii) Ter(etina) Rufi* (CIL X 4868 4872); Formiana *L. Arrii Salani* (CIL X 6101); monumentum a *L. Apronio Caesiano* Veneri Erucinae erectum cum epigrammate in monte Eryce (CIL X 7237); denique tituli sepulcrales Puteolanus *C. Octavii Agathopi* a. 41 (CIL X 2792) et Campanus supparis aetatis *Sex. Caneii Pammyri* (CIL X 4057), quem vidi in museo Neapolitano. Exhibui Calenum unum *Drusi iunioris* ad pictorum titulorum elegantiam aliquo modo accedentem (n. 152) et Anagninum aetatis incertae, scriptum litteris elegantibus et ipsum (n. 153).

Aetatis Claudiae nulla mihi ex regionibus illis praesto fuerunt monumenta. Extant titulus theatri Falerionensis a. 42 (CIL IX 5426) et miliarium viae Claudiae Novae a. 47 in museo Aquilano (CIL IX 5959); item fragmenta quaedam Trebulana basium Claudii et Agrippinae inscriptarum 'litteris pulcherrimis' (CIL IX 6361 6362), Aufinas tribuni militum [*donis*] *militaribus donati a Ti. Claudio* [*Caesare Augusto*?] (CIL IX 3380). Propter litteras Claudianas (Ⅎ et Ⱶ) illi aetati tribuenda est basis Cingulana *M. Cernitii Pollionis* (CIL IX 5686) et fortasse (propter *ai* diphthongum) Beneventana *T. Marii Chresti* (CIL IX 1875).

Neronianae quoque aetatis pauca tantum indidem monumenta certa prodierunt atque servata sunt. Fragmentum aliquod Aeclanense (CIL IX 1109) ne certo quidem Neroni tribuitur. Teate Marrucinorum epistylium extat in ipso muro Romano, nunc ecclesiae christianae, a *M. Vettio Marcello* Neronis, ut videtur, procuratore et uxore *Helvidia Priscilla* dedicatum (CIL IX 3019); Casini cippus terminalis ad viam eius oppidi urbanam pertinens, in quo *Neronis* nomina erasa sunt (CIL X 5204). Ibidem servatae sunt bases duae 'litteris magnis et pulcherrimis' scriptae *C. Ummidii Durmii Quadrati* et *Ummidiae Quadratillae* filiae, quas huius esse aetatis constat (CIL X 5182 5183); denique basis dedicata a *M. Obultronio Cultello praef(ecto) fabrum divi Claudi* (CIL X 5188); eorum monumentorum nullum vidi.

143 Herculanei, epistylium marmoreum; in museo Neapolitano ($\frac{1}{10}$).

c. a. 728 v. 1 0,220 v. 2 0,160




M. Nonius M. f(ilius) Balbus proco(n)s(ule) | basilicam portas murum pecunia sua

CIL X 1425 integra.
De aetate cf. Nissen *pompeian. Studien* p. 243. 373; Balbus hic fuit fortasse tribunus plebis a. 722.

144 Herculanei, basis ex lapide calcareo; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

c. a. 26 0,031



Decreto decurion(um) | locus sepultúrae | publice datus | L. Ausidio L. f(ilio) Hor(atia) Montan(o) | comiti C. Calvisi Sabini

CIL X 1468 vv. 4. 5.
Tributur C. Calvisio Sabino consuli anni s. s. probabiliter.

145 Herculanei, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).


a. 37  0,045

Ti(berio) Caesari divi Aug(usti) f(ilio), divi Iuli n(epoti) Augusto, | pontif(ici) max(imo), co(n)s(uli) V, imp(eratori) VIII, trib(unicia) potest(ate) XXXIIX, | d(ecreto) d(ecurionum)

CIL X 1414 v. 1.
Temporis notae cadunt in annum s. s.

---

146 Herculanei, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).

 0,062 0,050

Divae Augustae | L. Mammius Maximus p(ecunia) s(ua)

CIL X 1413 integra.
Aetate Claudia posita.

---

147 Herculanei, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{10}$).

 0,058

Germanico Caesari Ti(berii) f(ilio), divi Augusti n(epoti), | divi Iuli pronepoti, auguri, flam(ini) Augustal(i), co(n)s(uli) II, imp(eratori) II | L. Mammius Maximus p(ecunia) s(ua)

CIL X 1415 v. 1.
Videtur posita esse una cum sequenti aetate Claudia.

---

148 Herculanei, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).


c. a. 49  0,060

Antoniae Augustae, matri Ti. Claudi | Caesaris Augusti Germanici, pontif(icis) max(imi), | L. Mammius Maximus p(ecunia) s(ua)

CIL X 1417 v. 1.

149 Puteolis, fragmentum epistylii marmorei, litteris pulcherrimis; in museo Neapolitano ($\frac{1}{5}$).

0,255



im]p(erator) Caes[ar ......


CIL X 1658.

Cuius imperatoris sit cum certo definiri non possit, tamen non infra priorem saeculi primi partem descendere sinunt litterarum formae.

---

150 Puteolis, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).

post a. 14



0,070

0,060


Divo Augu[sto] | ex s(enatus) c(onsulto) et ....

CIL X 1619 pars laeva tituli a dextra fracti.

---

151 Puteolis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 1



0,035


C. Caesare Aug(usti) f(ilio) L. Paullo co(n)s(ulibus) | Lares Augustos | Q. Numisius Q. l(ibertus) Legio | L. Safinius L. l(ibertus) Hilarus | Sodalis C. Modi Cimbri ser(vus) | Aeschinus Octavi M(arci) ser(vus) | magistr(i) de suo f(aciendum) c(uraverunt)

CIL X 1582 vv. 1. 2.

Basis posita a magistris Larum Augustorum anno s. s.

152 Calibus, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

inter a. 14 et 22



0,066

0,055

Druso Caesari Ti. | *Augusti f(ilio) divi Aug(usti) n(epoti),* | *pontif(ici), trib(unicia) potest(ate) II,* | *co(n)s(uli) II, sodali Aug(ustali)* | *ex s(enatus) c(onsulto)*

CIL X 4638 vv. 1. 2.

---

153 Anagniae, basis marmorea optimis litteris; ibi sub arcubus curiae ($\frac{1}{3}$).



0,048

P. Egulleius Apollonius | *sevir Augustalis* | *Munatia C. l(iberta) nobilis* | *amabilis delicium, vixit* | *annos XII;* | *alius hóc inferetur nemo*

CIL X 5920 vv. 1. 2.
Saeculi primi fere medii.

VI


MONVMENTA ITALIAE SVPERIORIS

In oppidis regionis Italiae octavae quanquam certorum annorum monumenta non videntur frequentia esse, extant tamen Arimini quamvis mutili *Augusti* tituli celeberrimi in fornicibus duobus ad portam Flaminiam (a. 727) et in ponte (a. 14 et 22) inscripti una cum titulo tabulae (a. 754) ad vias Ariminenses pertinentis (CIL XI 365 366 367), qui tamen hic repraesentari non potuerunt. Deinde Bononiae est tabula balinei a *divo Augusto* dati, a *C. Caesare* refecti (CIL XI 720) et in agro Bononiensi puteal *Apollini Genioque Augusti Caesaris sacrum* (CIL XI 804). Veleiae reperti sunt una cum statuis operis maiore ex parte eximii familiam Augustam repraesentantibus etiam tituli *divi Augusti, Iuliae divi Augusti f(iliae), Germanici Caesaris, Agrippinae Germanici Caesaris, divae Drusillae, Ti. Claudii Caesaris,* item *L. Calpurnii L. f(ilii) Pisonis pontif(icis) co(n)s(ulis)* a. 739, servati illi una cum statuis in museo Parmensi (CIL XI 1164—1169 1162), Herculanensibus similes. Praeterea in regionibus illis cippi sepulcrales extant praegrandes saepe protomisque defunctorum aliisque anaglyphis ornati, qui, ut supra iam monui (p. 4), saeculo fere primo videntur attribuendi esse formasque litterarum exhibent plerumque vetustam elegantiam feliciter servantes. Sunt eius generis praeter alios Ravennates aliquot (CIL XI 139 178 194 195 196), Bononienses (veluti CIL XI 753), Mutinenses (CIL XI 852 853 863). Mutinae in museo multa extant scripturae, qua tituli illi utuntur, grandis et simplicis exempla, quorum haec memoro Apollinarium (qui vices ibi Augustalium faciebant) *L. Novii L. f(ilii), Apol(linaris) decurionis Mutinae* (CIL XI 853), *Q. Petronii Q. f(ilii)* (854), *C. Salvii C. l(iberti) Aucti* (855); item *C. Statii C. f(ilii) Salvii* (866); deinde arcae sepulcrales maximae *C. Tatii C. l(iberti) Bodorigis medici* (867), *Peducaeae Sex. l(ibertae) Hilarae* (904). Litteris aliquanto, ut videntur, et gracilioribus et recentioribus scripti sunt cippi in eodem museo servati *Damae Statulli* (871) et *Q. Acutii Sp. f(ilii) Optati* (845). Etiam Parmae in museo eiusmodi lapides vetusto charactere insignes vidi -. *Decimii C. f(ilii)* .. *IIviri Bononi(ae)* (CIL XI 1065), *Petro-*

niae C. f(iliae) Quartae (1102), alios; item Veleiae repertos, ut *Sabini* alicuius *tribuni milit(um)* ad *basilicam* spectantem (CIL XI 1185) et epistylium magnum *calchidici Baebiae Bassillae* (1189). Haec omnia commemorasse sufficiat.

Ex regione decima Italiae, ubi licuit ordinem sequi locorum in corporis volumine quinto observatum, sunt huius aetatis quamvis annorum non certorum tituli pontis Patavini (CIL V 2845), item cippi sepulcrales non pauci Bononiensibus et Mutinensibus non absimiles, quamvis minus grandes plerique, protomis illi aliisque anaglyphis ornati, Ateste (CIL V 2495), Patavii (CIL V 2912 2920 2948 2951 2974 3002 3008) similesque etiam Concordiae (CIL V 1909 1910 1918 1919), Vicetiae (CIL V 3139 3143), Veronae (CIL V 3570 3734 3784), Mantuae (4072 4078 4079 4080), Cremonae (4104 4183), Brixiae (4593 4625 4637 4669 4710 4722) et in agro eius (4888 4891 4903 4910 4923), Bergomi (4966 5154 alii), Mediolanii (5818 5875 6052 6061 alii) non rari sunt. Proposui Patavinum exemplum scripturae aetatis ut puto Claudiae Neronianaeve unum (n. 154), item Vicetinum (n. 155), Veronensia et viciniae sex (n. 156—161), quae cum certis annis adscribi non possint, per maiorem fere saeculi primi partem formas illas litterarum altas et elegantes in usu mansisse demonstrant. Nec videtur magis antiqua esse basis musei Veronensis, quamvis barbara quaedam contineat vocabula (n. 160): Claudianam enim fere litteraturam sapit. Quae Veronae extant certi anni monumenta pauca velut tabula ab *Augusto* posita (CIL V 3325), epistylium ad theatrum spectans cum basi statuae *Claudii* a. 45 positae (3326), fornix *Gaviorum* (3464), quem aetate Neroniana vix puto recentiorem esse, item tituli aliquot sepulcrales velut *Turpiliorum* (3432), *M. Audasii M. l(iberti) Tituri* (3505), non multum differunt litteratura ab eis quae proposui; unde quod illa repraesentare non licuit vix aegre fero. Idemque etiam valet de Mantuano *M. Messii L. f(ilii) Sab(atina) IIII vir(i) i(ure) d(icundo)* (4061). Brixiae inter monumenta multa optimae aetatis multaque arte sculpta memoro epistylium non magnum aediculae alicuius, quod antiquissimum, ut videtur, *Augusti Caesaris* nondum Augusti titulum continet anno 710 adscriptum probabiliter (CIL V 4305), basis eidem *Augusto* anno sequenti positae fragmentum (4306), *divi Augusti* et *Tiberii* cippum ad aquaeductum pertinentem (4307), alia domus Iuliae monumenta honoraria, de quorum uno *Germanico Caesari* a. 18 posito (4308) haec adnotavit Thaddaeus Solatius scriptor Brixianus saeculi XVI ineuntis, quae hic repetenda visa sunt: '*tam eleganti litterarum caractere hoc epigramma scriptum est, ut divino potius quam humano opere litterae ipsae intercisae videantur*'. Ego duo inde proposui exempla aetatis Augustae (n. 163 164), Mediolanio unum aetatis Tiberianae (n. 165). Quem Bergomi vidi titulum sepulcralem *Drusi Caesaris Germanici filii*, multo illum elegantioribus litteris incisum quam quales exhibet imago in corporis volumine quinto proposito (CIL V 4953), item ad Raetiae confinia Tridenti *Augusti* iussu collocatus ad nescio quod aedificium pertinens (CIL V 5027), ei omittendi erant; exhibui Laudenses quattuor *Agrippinae M. Agrippae filiae* (n. 166), *Tiberii et Drusi iunioris* (n. 167), quorum litteratura paene similis est ei, quam alioquin in aetatis Claudiae titulis observamus (cf. n. 172), et privatorum duos (n. 168 169), Ticinensem unum *Tiberii* (n. 170), Novariensem (n. 171), Taurinensem *Claudii* splendidum (n. 172), quem conferas cum urbano supra n. 86, Eporediensem (n. 173), Fossanensem (n. 174) sermone rustico scriptum: qui omnes, quanquam inter se diversi, tamen regionum illarum artem in universum similem fuisse demonstrant. Quae praeterea in his regionibus adhuc extant (arcum Ticini familiae Augusti dedicatum a. 760/1 CIL V 6416 interiisse notum est) monumenta magna aetatis Augustae inscripta *arcus Augusti* Segusinus a. 745/6 (CIL V 7231), *tropaea Augusti 'la Turbia'* dicta a. 747/8 (CIL V 7817, fragmenta quaedam tituli repraesentata sunt *revue archéologique* XX 1869 tab. XVIII), *basis Augusto posita* prope Augustam Bagiennorum a. 749/50 (CIL V 7696), *cippus terminalis* a. 751 in ponte antiquo Alpis Graiae collocatus (CIL V 6899), item Tiberianae aetatis *basis Tiberio posita* a. 21 ad 30 litteris ex aere olim incrustatis Villafrancae prope Veronam (CIL V 8845 p. 1075), Claudiae *basis Claudio posita* a. 42/3 Taurinis (CIL V 7150), ea quoque omnia varias ob causas hic repraesentari non potuerunt. Quorum monumentorum quae ab opificibus urbanis sculpta videntur esse, ab urbanis, quantum iudicare potui de visu vel ex imaginibus photographis ectypisve, vix differunt; etiam privata opera facta, veluti basis quaedam aetatis Claudiae musei Taurinensis litteris parvis inscripta (CIL V 7282), elegantiae sunt paene urbanae.

154 Patavii, basis marmorea litteris pulchris et magnis; ibi in hospitali ($\frac{1}{10}$).



0,130

Dis Mânib(us) | *P. Sepulli* | *P. f(ilii) Fab(ia)* | *Taciti*

CIL V 3037 v. 2.

Videtur esse saeculi primi circiter medii.

155 Vicetiae, basis quadrata marmorea; extat ibidem in domo Tornieri ($\frac{1}{5}$).




0,060
0,045

Fortunai | *Satria Q. f(ilia)* | *Procula* | *v(otum) s(olvit) l(ubens) m(erito)*

CIL V 3103 vv. 1. 2.

Videtur saeculi primi circiter medii esse.

156 Veronae, saxum magnum utrimque similiter inscriptum; ibi in museo ($\frac{1}{10}$).




0,090
0,080
0,070

Diis | parentibus | Augustis | porticum dedit | L. Iunius M. f(ilius) Pauper

CIL V 3290 vv. 1—3.
Videtur esse saeculi primi circiter medii.

---

157 Veronae, basis magna anaglyphis delphinorum et rosae ornata; in museo ($\frac{1}{3}$).



0,085
0,070

V(ivus) f(ecit) | Novicius | Rabutiorum | sibi et P. Rabutio Glago | sodali

CIL V 3679 vv. 1—3.
Videtur esse saeculi primi circiter medii.

158 Veronae, basis magna ex lapide calcareo; in museo ($\frac{1}{10}$).




0,130
0,080

Seiae | Charite | quae vixit | annos XVIIII m(enses) VII | Q. Catius Nicephorus | coniugi | bene merenti

CIL V 3738 vv. 1. 2.
Saeculi fortasse primi exeuntis.

---

159 Hostiliae rep., basis magna ex lapide calcareo; servatur Mantuae in museo ($\frac{1}{5}$).



0,065
0,060

V(iva) f(ecit) | Statia Ɔ (mulieris) l(iberta) Frequens | sibi et | Statiae M. l(ibertae) Icone | matri | M. Statio M. l(iberto) Phelleti, | M. Statio Ɔ (mulieris) l(iberto) Modesto | fratribus | et M. Statio | Verecundo | conlibert(o)

CIL V 3758 v. 1. 2.
Saeculi fortasse primi exeuntis.

160 Ex pago Arusnatium, basis lapidea; extat Veronae in museo ($\frac{1}{5}$).

I HAMNAGALLE — 0,036
S QNNAGALLE

Ihamna Galle | Sqnna Galle | C. Octavius | M. f(ilius) Capito

CIL V 3900 vv. 1. 2.
Saeculi primi fortasse medii. V. 1 et 2 scripta barbara sunt.

---

161 Piubegae inter Mantuam et Veronam, basis marmorea; extat Mantuae in museo ($\frac{1}{10}$).

V F — 0,095
C·QVINCTIVS — 0,090
C· L· — 0,085
PRIMVS — 0,080
SIBI· ET — 0,075
QVINCTIAI — 0,070
C· L — 0,065
LYCININI

V(ivus) f(ecit) | C. Quinctius | C. l(ibertus) | Primus | sibi et | Quinctiai | C. l(ibertae) | Lycinini

CIL V 4040 integra.
Saeculi ut videtur primi medii.

---

162 Ex insula quadam lacus Benaci, basis magna marmorea; extat Brixiae in museo ($\frac{1}{5}$).

MARIONI — 0,072
ESDRICCI·F — 0,060

Marioni | Esdricci f(ilio) | et Vesgasae | Bittionis fil(iae) | et Arruntio | Marionis f(ilio) | Priscus | Marionis f(ilius) | parentibus et fratri

CIL V 4647 vv. 1. 2.
Saeculi primi exeuntis.

---

163 Brixiae, basis ex lapide calcareo; in museo ($\frac{1}{5}$).

L·ACV́TIO — 0,074
L·FÍL — 0,060
FAB·PRÍMO — 0,056
FLÁM·DÍVI·IV́LI — 0,042

L. Acútio | L. fil(io) | Fab(ia) Primo, | equo pub(lico), | II vir(um) i(ure) d(icundo), | aedil(i), q(uaestori) alim(entario), | flám(ini) divi Iúli, | d(ecreto) d(ecurionum)

CIL V 4384 vv. 1—3 et 7.
Certo aetatis Augustae, fortasse extremae.

---

164 Caini prope Brixiam, basis ex lapide calcareo; Brixiae in museo ($\frac{1}{10}$).

P·COELIVS — 0,095
P·L·EMPTVS — 0,085

P. Coelius | P. l(ibertus) Emptus | t(estamento) f(ieri) i(ussit) ...

CIL V 4571 vv. 1. 2.
Litterae elegantissimae aetatis Augustae fortasse exeuntis.

165 Mediolanii, basis marmorea; in museo Brerae (1/8).

c. a. 29

P·T V TILIVS·P·F 0,055
VETERANVS·SIG 0,050
PRAEMIA·DVP 0,045

P. Tutilius P. f(ilius) O[uf(entina)], | veteranus sig[nifer] | aquilifer leg(ionis) V, | curator vete[ranor(um)], | accepit ab impe[ratore] | praemia dup[licia], | natus est A. Hirti[o C. f(ilio), C.] | Vibio Pansa co(n)s(ulibus), de[cessit] | C. Fufio Gemino L. Ru[bellio] | Gemino co(n)s(ulibus) cet.

CIL V 5832 vv. 1. 2 et 6.
Consules, quibus homo hic decessit, sunt anni s. s.; unde aetas definitur.

---

166 Laude Pompeia (*Lodi*), basis marmorea; in museo (1/4).

post a. 743

AGRIPPINAE 0,069
M· AGRIPPAE· F· 0,045
DRVSI·CAESAR·MATRI

Agrippinae | M. Agrippae f(iliae), | Drusi Caesar(is) matri | .... | ...... | d(ecreto) d(ecurionum)

CIL V 6359 vv. 1—3.
Vipsaniae Agrippinae, a Tiberio repudiatae a. 743, postea nuptae C. Asinio Gallo, cuius nomen in hoc titulo erasum esse Borghesius vidit.

---

167 Laude, in marmore magno nigro; olim in porta urbis, nunc in museo (1/10).


a. 14-23

TI·CAESAR·AVG· F 0,100
AVGVSTVS 0,087
DRVSVS·CAESAR·AVG·F 0,076

Ti. Caesar Aug(usti) f(ilius) | Augustus, | Drusus Caesar Aug(usti) f(ilius) | portam f(aciendam) c(urarunt)

CIL V 6358 vv. 1—3.
Drusus Caesar Ti. filius obiit a. 23.

168 Laude, basis cum protomis ex lapide calcareo; ibi in museo ($\frac{1}{6}$).



0,077

Memoriae | *C. Caleius C. f(ilius)* | *Silo VI vir;* | *Capella l(iberta)*

CIL V 6361 v. 3.
Saeculi videtur esse primi circiter ineuntis mediive. Cf. n. 169.

169 Laude, magna basis marmorea, in museo ($\frac{1}{5}$).




0,064

L. Cassio L. f(ilio) Pu[p(inia)] | *Rufo VI vir(o),* | *Carpeiai C. l(ibertae)* | *Rusticai* | *parentibus,* | *Caleiai C. l(ibertae)* | *Capellai* | *uxsori* | *L. Cassius L. f(ilius) Pup(inia)* | *civis* | *VI vir* | *IIII vir*

CIL V 6364 v. 7.
Aetatis mihi videtur esse Augustae Tiberianaeve; nam *ai* diphthongus in illis Italiae regionibus frequentissima ad aetatem Claudiam minime ducit. *Civis* vocabulum utrum cognomen sit an appellativum dubitari potest.

170 Ticini (*Pavia*), pars epistylii marmorei; in museo universitatis ($\frac{1}{5}$).

a. 15-37



0,110

[T]i. Caesari divi Aug[usti f(ilio)], pontifici maximo, con[s(uli)]

CIL V 6417 ex v. 1.

171 Novariae, basis ex lapide calcareo; in canonica ($\frac{1}{5}$).



0,070
0,055


Petroni | *Cintulli f(ilio)* | *patri,* | *Valeriae L. f(iliae)* | *matri* | *fili f(aciendum) c(urarunt)*

CIL V 6604 vv. 1. 2.
Saeculi primi fere medii.

172 Augustae Taurinorum, tabula magna marmorea 'litteris maximis et pulcherrimis'; in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 49

v. 1 0,100 v. 2 0,085 v. 3 0,080 v. 4 0,078




[Ti. C]laudio Drusi f(ilio) Caesari Augusto G[ermanico, pont(ifici) max(imo), | t]ribunic(ia) potest(ate) VIII, imper(atori) XVI, consu[li IIII, p(atri) p(atriae) | -. G]litius T. f(ilius) Stel(latina) Barbarus primipilaris p[raef(ectus) coh(ortis) ...., | t]ribunus militum, praef(ectus) fabr(um) Ti. Claudi Caes[aris Aug(usti) Germ(anici)

CIL V 6969 pars sinistra vv. 1—4.

---

173 Eporediae, basis anaglyphis fascium et bisellii seviralis ornata 'litteris pulchris et certis'; ibi in hortis Giusianae ($\frac{1}{8}$).



0,050 0,074 0,054

[Tr]ib(u) Claudia, | [L.] Aebútius L. l(ibertus) | [F]aústus ménsor | VI vir sibi et | Arriae Q. l(ibertae) Aúctaé | uxóri et suis et | ·Zepyre libert(ae) | v(ivus) f(ecit)

CIL V 6786 vv. 1—3.
Saeculi primi fere medii. V. 1 videtur postea adiectus esse.

174 Fossani in agro Saluzzensi, basis magna marmorea 'litteris bonis et certis'; in museo Taurinensi ($\frac{1}{8}$).



0,066 0,042 0,034 0,022

V(ivus) f(ecit) | Q. Minicius | faber | ab asse quesitum | VI vir Aug(ustalis) | recuie et memoriae | diuturnae Lolliae Severae uxsori e. q. s., | *P. Minicius marmuris | quram hegit; | in fr(onte) p(edes) L, in ag(ro) p(edes) L*

CIL V 7647 vv. 2—4 et 14.
Videtur esse saeculi primi exeuntis.

VII

MONVMENTA HISTRIAE ET DALMATIAE

Monumentorum Histricorum specimina ita ordinavi, ut praecederent Augustae aetatis Tergestinum (n. 175), quod hic repetivi quia non satis bene videbatur repraesentatum esse in opere Ritscheliano, et Aquileiense (n. 176); ambo enim simili fere ratione, quam supra iam observavimus in eius regionis monumentis antiquioribus (p. 4), formas litterarum habent rudes et vetustas. Idem videtur cadere in titulum, qui Polae extat in epistylio templi olim Romae et Augusti (CIL V 18), quatenus iudicare sinunt imagines; ipse titulus enim delineari non potuit propter loci quo extat incommoditatem. Formas contra paullo elegantiores habet titulus ibidem servatus in eiusdem aetatis arcu Sergiorum (CIL V 50); conveniunt illae cum arte eximia, quae in arcu illo cernitur. Dolendum est quod titulis eius aetatis in Graecia Asiave positis fere careamus (Mitylenaeum enim a. 723 CIL III 455 Cyriacus solus servavit): qui superest Atticus *L. Aquillii Flori* (n. 185) tam est eleganter scriptus, ut, nisi de aetate constaret ex argumento, recentiorem esse credideris. Sequuntur aetatis Tiberianae Claudiaeque monumenta quattuor: Polensia duo (n. 180 181), Salonitanum (n. 182), Tergestinum (n. 183). Eiusdem aetatis titulum Epidauri repertum *P. Cornelii Dolabellae* (CIL III 1741) obtinere non potui charta expressum. Quod Aquileiae extat fragmentum basis *Neroni* positae (CIL V 853) habui charta expressum (litterae altae sunt versu primo 0,067, altero 0,055); sed omisi consulto. Unum aetatis Neronianae testem protuli titulum epistylii satis magni Tergeste servati (n. 184). Ceterum Tergeste quoque ut in oppidis Italiae propriae Bononia Mutina Verona reliquis cippi illi extant quamvis rariores saeculi primi plerique protomis ornati (velut CIL V 579) iidemque etiam in Noricum propagati sunt (cf. CIL V 5499 al.). Scripturae epigraphicae qualis saeculo primo in regionibus illis obtinuit exempla memoro praeterea titulum Salonitanum *T. Fuficii C. f(ilii) Pol(lia) vet(erani) leg(ionis) XX* et suorum servatum in museo Spalatensi (CIL III 2030), item Noricum *Vercaii Sattulli* (ita enim ectypum clare, non *Saitulli*) sepulcralem simplicem (CIL III 5422); quos tamen non putavi necessario repraesentandos esse.

175 Tergeste, tabula magna lapidea ex muris; ibi in museo ($\frac{1}{12}$).

a. 721



0,120
0,115
0,090


Imp(erator) Caesar co(n)s(ul) desig(natus) tert(ium) | III vir r(ei) p(ublicae) c(onstituendae) iter(um) | murum turresque fecit

CIL V 525 quod superest; PLME tab. LXXXIV *G*.

Fragmentum tituli alterius eodem anno positi CIL V 526 (PLME tab. LXXXIV *F*) non multum videtur differre; litterae tamen sunt paullo graciliores.

176 Aquileiae, basis marmorea; extat Tergeste in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 14




0,090
0,080

Imp(eratori) Caesari | Divi f(ilio) Augusto, | pontif(ici) maxim(o), trib(unicia) potest(ate) XXXVII, co(n)s(uli) XIII, p(atri) p(atriae), sacrum

CIL V 852 vv. 1. 2.

177 Naronae in Dalmatia (*Viddo*), basis marmorea; servatur Zarae in hortis publicis ($\frac{1}{6}$).

post a. 14



0,056

0,022


Divo Aug(usto) sacr(um) | *Q. Sextilius Corinthus, C. Stertinius Synegdemus* | sequuntur nomina quattuor *IIIIII viri m(agistri) M(ercuriales) ob h(onorem)*

CIL III 1770 vv. 1. 2.

---

178 Salonis, basis marmorea 'litteris maximis et optimis'; in museo ($\frac{1}{12}$).

inter a. 14 et 37



0,115

0,095


[-. *Cor*]*nelio C. f(ilio) Tro(mentina) N*....., | [*praef(ecto) fab*]*r(um) bis, trib(uno) mil(itum) bis leg(ionis)* ..... | *corona aurea et hasta pura a* [*Ti. Caesare* | *di*]*vi Augusti f(ilio) Augusto do*[*nato* .....]

CIL III 2018 vv. 1. 2.

---

179 Aenonae in Dalmatia (*Nona*), basis marmorea; extat ibi in aedibus privatis ($\frac{1}{5}$).

a. 37



0,057

0,047

0,040

0,035


L. Volusio [*L. f(ilio)*] | *Saturni*[*no*] | *co(n)s(uli), augu*[*ri, sodali*] | *August(ali), so*[*dali*] | *Titio,* | *leg(ato) divi Aug*[*usti, leg(ato)*] | *Ti. C*[*aesaris* | *divi Aug*]*usti f(ilii),* | [*pa*]*trono*

CIL III 2975 vv. 1—6 pars sinistra.

Extant eiusdem viri praeterea indidem prodeuntes tituli duo, Venetus alter (CIL III 2974), alter Aenonae (2976); item cippus terminalis, qui eius meminit, Corinii in Dalmatia (CIL III 2882). Vidi Venetum, qui easdem fere formas litterarum habet atque hic delineatus.

180 Polae, basis marmorea; in museo (1/8).

inter a. 37 et 41




0,058
0,045

[*Ti. C*]*laudio* | [*Dru*]*si German(ici) f(ilio)* | [*Ner*]*oni Germanico* | *auguri,* | *sodali Aug(ustali),* | *sodali Titio, co(n)s(uli)*

CIL V 24 vv. 1—3.

181 Polae, basis marmorea; in museo (1/10).

a. 46




0,065
0,050
0,045

Ti. Claudio | *Drusi f(ilio) Caesar(i)* | *Augusto Germ(anico),* | *pontif(ici) max(imo), trib(unicia) pot(estate) V,* | *imp(eratori) VIII, co(n)s(uli) III desig(nato) IIII, p(atri) p(atriae)*

CIL V 25 vv. 1—3 pars laeva.

182 Salonis, ara marmorea; Spalati in museo (1/8).

a. 54




0,092
0,060
0,056
0,040

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) e[*t*] | *divo Claudio Caesar*[*i*] | *Aug(usto) German(ico) trib(unicia) pot(estate) XIIII* | *P. Anteius P. Antei Syri l(ibertus)* | *Herma IIIIII vir et Aug(ustalis)* | *porticum v(oto) s(oluto) l(ibens) m(erito) loc(o) accep(to) d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL III 1947 vv. 1—3 et 6.

183 Tergeste, cippus terminalis ex lapide calcareo repertus in via publica prope urbem; in museo (1/6).

inter a. 41 et 54



0,056
0,032

[*H*]*anc viam, derectam* | *per Atium centurion(em) post* | *sententiam dictam ab A. Plautio* | *legato Ti. Claudi Caesaris Aug(usti)* | *Germ(anici), et postea translatam a Rundictibus in fines C. Laecani* | *Bassi, restituit iussu Ti. Claudi* | *Caesaris Aug(usti) Germ(anici) imperatoris* | *L. Rufellius Severus primipilaris*

CIL V 698 vv. 8—10.

184 Tergeste, epistylium marmoreum; in museo ($\frac{1}{12}$).

ante a. 57 — 0,090

P·PALPELLIVS·P·F·MAEC·CLODIVS

P. Palpellius P. f(ilius) Maec(ia) Clodius | Quirinalis, p(rimus) p(ilus) leg(ionis) XX, trib(unus) milit(um) leg(ionis) VII C(laudiae) p(iae) f(idelis), proc(urator) Aug(usti), praef(ectus) classis, dedit

CIL V 533 v. 1.

---

185 Athenis, tabula marmorea in turri portae propylaeorum ex parte tecta ($\frac{1}{8}$).

QVILLIO·C·F·POM·FLÓRO 0,065
TVRCIANO·GALLO 0,045
STL·IVD·TRIBVNO·MIL·LEG·VIIII 0,035
QVAESTOR·IMP·CAESARIS·AVG 0,028

L. Aquillio C. f(ilio) Pom(ptina) Flóro | Turciano Gallo | X vir(o) stl(itibus) iud(icandis), tribúno mil(itum) leg(ionis) VIIII | Macedonic(ae), quaestór(i) imp(eratoris) Caésaris Aug(usti), | proquaest(ore) provinc(iae) Cypri, tr(ibuno) pl(ebi), proco(n)s(ule) Achaiae | sequuntur Graeca

CIL III 551 cf. add. p. 985 (CIA III 1 n. 578) vv. 1—4 quantum licuit.
V. 4 apices in lapide sunt, in ectypo desunt. Aetatis Augustae.

VIII

MONVMENTA GALLIAE ET GERMANIAE

Prorsus singulare est monumentum Augusto Nemausi positum (n. 186), a quo hoc caput incipere volui; formae litterarum (P potissimum clausae et M) nisi quadratario peregrino tribuuntur una cum singulari numeros perscribendi ratione, de restitutione fortasse aliquis cogitaverit saeculo altero tertiove facta. Basim Augusti Drusomagensem (CIL XII 136) non vidi. Genuinas aetatis Tiberianae formas, sed ad elegantiam curvis lineis pictarum prope accedentes (cf. titulus Pompeianus supra n. 135) basis item Nemausensis honoraria *T. Iulii Festi militis* (n. 187) exhibet. Nec multum ab Italicarum ratione distant, quamvis suas habent proprietates, Avenniensis *Germanici* (n. 188), *C. Caesaris* Viennensis (n. 189). Contra qui inter exempla mea sequitur eidem *C. Caesari* a pago quodam devio positus (n. 190) — certum enim locorum ordinem secutus non sum —, meram barbariem sapit provincialem. Cum Nemausensi Festi illius (n. 187) comparandus est *divae Drusillae* a Biturigibus positus (n. 193) propter litterarum contignatarum et varie collocatarum artificia conspicuus. Comparentur cum his *Drusi Caesaris* titulus apud Nantuates servatus (CIL XII 147) et *Iuliae Drusillae Germa-n(ici) Caesar(is) f(iliae)* Avenniensis (CIL XII 1026). Subiunxi aetatis minus certae Arelatenses duos privati argumenti, alterum vetusta simplicitate conceptum (n. 191), sed non sine elegantiae studio incisum (ut docent puncta vario artificio formata) aetatis fortasse Neronianae; alterum (n. 192) litterarum pictarum gracilitatem imitatum, de qua infra agetur accuratius. Hunc Claudiae fere aetatis esse apparet; illum Augustae tribuo. Non dissimilis eius, sed recentior, est Burdigalensis qui sequitur (n. 194). Augustae item Tiberianaeve aetatis esse crediderim titulum sacrum in oppido Novioduno (*Nevers*) repertum (n. 195). Quem aetatis Tiberianae titulum olim continuisse nunc constat arcus Arausionensis (CIL XII 1230), eius titulus ipse periit; foramina tantum, in quibus litterae ex aere olim incru-

statae fuerunt, supersunt et quo modo illae restituendae essent docuerunt. Idem accidit eiusdem aetatis titulo Viennae in epistylio templi servato (CIL XII 1845).

Non pauci praeterea extant in Gallia Narbonensi tituli saeculi primi ineuntis, ut Genavenses aetatis Augustae (CIL XII 2600 2633) aliique, quos Allmeri tabulae exhibent, qui tamen non magis repraesentari potuerunt quam titulus, quem in arcu pontis prope *St.-Chamas* in agro Arelatensi *L. Donnius C. f(ilius) Flavos flamen Romae et Augusti* inscripsit (CIL XII 647), fragmentaque epistylii magni ad monumentum sepulcrale viri alicuius militaris pertinentis Vasiensia (CIL XII 1358): sunt autem haec monumenta saeculi primi incipientis teste Hirschfeldio. Titulum coaevum ad amphitheatrum Viennense spectantem (CIL XII 1904) et aetatis Tiberianae basim *C. Passerii Afri* item Viennensem (CIL XII 1872) ex Allmeri tantum tabulis novi. Saeculi primi fere medii tituli videntur esse arcus eius, quem *L. Pompeius Campanus* suis erexit prope Aquas (*Aix*) in Sapaudia (CIL XII 2473).

De reliquarum Galliarum titulis cum certum iudicium ferri nondum possit, de Lugudunensibus tamen Alphonsi de Boissieu opus splendidum illud docet, certorum saeculi primi annorum monumenta ibi rara esse. Aetatis Augustae potest esse basis magna *Augustae deae Vestae, Aug[usto] d[eo] Vol[cano]* posita (Boissieu p. 15), de qua haec adnotat editor: '*le style grandiose de ce monument et la beauté des charactères le classent parmi ceux du premier siècle*'. Quodsi revera ad idem monumentum altera basis pertinet, quanquam aperte sepulcralis, dedicata illa *Iuliae | Thermiolae filiae, M. Tullio | Thermiano | nepoti* et mulieri alicui, cuius nomina paene perierunt (Boissieu p. 101), de Tiberii minimum aetate cogitaverim; sed nexus ille inter haec duo monumenta mihi esse visus est incertissimus. Tiberianae certe aetatis bases tres sunt *Mercurio Augusto et Maiae Augustae* ab eodem homine *M. Herennio M. l(iberto) Albano* positae *cum imagine Ti. Augusti* (Boissieu p. 606); litterarum formae ab Italicis eiusdem aetatis vix differunt. Aetatis Claudiae exemplum elegans scriptura est columnae miliariae ab imperatore illo a. 43 posita (Boissieu p. 366 seq.) et optime delineata; litterae aliquanto sunt graciliores et altiores quam quales imperii eius annis posterioribus in usu fuisse videmus; quod non mirere, praesertim in provincia. Claudiae item aetatis, cuius in urbe illius imperatoris natali tamque ei cara plura vestigia expectaveris, basis rotunda videtur esse, quam posuit *[Tibe]rius Cl(audius) Felix | aliquis ex testamento | arbitratu Gam ...* (Boissieu p. 500). Tituli reliqui Lugudunenses recentioris aetatis sunt plerique; quantum ipse observare potui in museo urbico primi saeculi visi sunt aperte esse tituli hi tantum *C. Mansueti Brasi civ[is] Tre[veri]* (Boissieu p. 516, 72), *Pompeiae Cn. fil(iae) Potitae* a *P. Pantio Prisco uxori et sibi* positus (p. 519, 87), *L. Gavi Firm[i] liberti* a *L. Gavio Gr[....]* factus (p. 614). De basi alius Gavii, cuius versum primum infra repetivi (n. 196), haec recte adnotat editor (p. 188): '*ce monument nous offre un des plus beaux modèles qu'on puisse rencontrer de la capitale rustique; ce serait une grande erreur de le rapporter à une époque barbare; sans les quatre ligatures qui rappellent la manière du second siècle*[?], *on pourrait le placer au premier. Sous une forme d'exécution systématiquement grossière et irrégulière, on reconnaît le principe de la lettre romaine aux plus beaux temps de l'art; il y a même dans cette hardiesse quelque chose d'élégant et de grandiose qui frappe au premier abord*'. Adscripsi haec integra, quia pauci tantum inter disciplinae epigraphicae cultores ad minutias illas respicere solent. Comparanda sunt cum exemplo illo elegantiore magis barbara Matavonicense (n. 190) et Rhenanum (n. 207); tamen nullum eorum ad eam, quam infra illustraturus sum, scripturam epigraphicam vulgarem ita accedit, ut ab hac operis parte videatur secludendum esse.

Saeculi primi tituli certis annis attribuendi quanquam non multi reperti sunt in Germaniis duabus, tamen sat magnus servatus est numerus cipporum sepulcralium a militibus exercitus Germanici utriusque positorum, qui aetati illi sine dubio adscribendi sunt. Initium feci a cippo sepulcrali celeberrimo *M. Caelii* centurionis in exercitu Variano qui fuit, servato illo in museo Bonnensi (n. 197); aetatis enim est paene certae, cum brevi aut post pugnam Varianam aut post Germanici expeditionem in Castris Veteribus positus esse putandus sit. Ex Germaniae inferioris regionibus Batavorum conterminis praeterea non multa servata esse monumenta vetustiora consentaneum est. Vix tamen recentiores sunt tituli Noviomagensis *L. Cassii L. f(ilii) Stell(atina) Clementis Tauri* [sic] *mil(itis) leg(ionis) X gem(inae)* (Bramb. 99) et prope Novaesium repertus *C. Cornelii C. f(ilii) Fab(ia) Longini Heraclea eq(uitis) leg(ionis) XVI* (Bramb. 269), quorum ectypa chartacea habui. Proposui inde aetatis Neronianae basim *Marti Camulo* a civibus Remis prope Cliviam statutam (n. 198), satis illam commode sculptam. Eidem fere aetati tribuo sepulcralem in Batavis repertam *Salviae Fledimellae* (n. 199).


Colonia Agrippina non pauca possidet monumenta aetatis fere Tiberianae, quorum haec memoro propter litteraturae proprietatem, *Hori Pabeci f(ilii) proretae Alexsandrini ex classe* (Bramb. 410) et *Mansueti Arraceni f(ilii) mil(itis) chortis III Lusitanorum* (Bramb. 312); tituli scripti sunt litteris admodum gracilibus, hominis Aegyptii neglegenter, utpote militis classiarii pauperis, elegantioribus Lusitani. Longe eos superat arte Galli hominis in cohorte prima Thracum militantis, quem exhibeo (n. 200).

Aetatis Claudiae indidem procedentem aram nomino *matronis Mahlinehis* (sic) votam a *Tib. Claudio* aliquo *Taticeno* (Bramb. 467) litteris inscriptam crassis et brevibus aliunde satis notis. Plura etiam litteraturae eius epigraphicae ut ita dicam militaris exempla castrum Bonnense servat in museo eius urbis commode exposita. Exhibeo duo, elegans alterum (n. 201) aetatis Tiberianae Claudiaeve subscriptum anaglyphae imagini militis ipsius, alterum rusticum (n. 202), quod rectius poteram tribuere ei operis huius parti, qua scripturae epigraphicae vulgaris quam dico specimina composui; sed tamen propter comparationis facilitatem hoc loco movere nolui. Inter antiquiora musei Bonnensis exempla numero praeterea titulos *M. Cominii L. f(ilii) Pol(lia) Asta* militis item legionis primae (Bramb. 473) et *P. Clodii P. f(ilii) Vol(tinia) Alb(a)* militis legionis eiusdem (Bramb. 486), utrumque scriptum litteris optimis praeterquam quod in alterius versu primo quadratarius neglegentia quadam puncta ponere omisit; deinde *Pintaii Pedilici f(ilii) Asturis transmontani castelo Intercatia signiferi cho(rtis) V Asturum*, notum illud anaglypha item militis imagine (Bramb. 478), quod tribuo aetati Claudiae Neronianaeve; denique monumentum sepulcrale hominum privatorum inscriptum ita *C. Scaptio C. f(ilio) Cor(nelia) Attico, Scaptiae Phyllidi, C. Scaptio Nucerino, Octaviae Liberali* (Bramb. 483), simplici quadam elegantia, litterarum contignationibus artificiosis, punctorum intra litteras collocatione conspicuum, quod eidem fere aetati videtur adscribendum esse. Sequitur monumentum unum castelli prope Bingium siti (n. 203) et ipsum paullo neglegentius scriptum ad exemplum fortasse pictum tantum. Non multum differunt cippi similes ibidem reperti *Hyperanoris Cretici* (Bramb. 739), *Batonis Dasantis f(ilii)* et *Annai Pravai f(ilii)* Delmatarum (Bramb. 741 742); quorum hi lineas habent in lapide incisas ad versus sustentandos. Castrorum om-

nium Rhenanorum et vetustissimum et maximum Mogontiacum plurima quoque et optima inde ab aetate Augusta monumenta continere epigraphica notum est. Cum in exemplis paucis consistendum esset, selegi tria: unum quod ad aetatem fortasse Augustam ascendit (n. 204) militis Hispani litteris praegrandibus et gracilibus scriptum; alterum aetatis Tiberianae senatoris Romani (n. 205), quod tamen in provincia incisum esse a quadratario provinciali manifestum est; tertium eiusdem aetatis militare (n. 206), quod formas litterarum exhibet neglegentius factas. Formas vetustas item, sed paullo crassiores habet lapis *L. Antestii C. f(ilii) Vet(uria) Plac(entia) mil(itis) leg(ionis) XVI* (Bramb. 1197), similesque sed graciliores *Petronii Disacentii Dentubrise f(ilii) eq(uitis) turma Longini ex cho(rte) VI Thra(cum)* (Bramb. 990). Contra qui aetatis Claudiae Neronianaeve sunt *Andis Sex(ti) f(ilii) civis Raetinii eq(uitis) ala Claud(ia)* (Bramb. 1228) et *C. Romanii eq(uitis) alae Noricorum Claud(ia) Capitonis Celeia* (Bramb. 1229), etiam formas litterarum exhibent aetati Claudiae convenientes latiores quam altiores. Ipsius Claudii ante aliquot annos prodiit monumentum *a civibus Romanis manticulariis negotiatoribus* imperatori positum a. 43 (editum est in annal. Bonnens. LXVII a. 1879 p. 4), cuius ectypum servo; formae elegantissimae sunt miliarii Lugudunensis, quod supra memoravi (p. 61), non dissimiles. Quae praeterea Mogontiaci reperta sunt monumenta privati argumenti magna et curiose inscripta, veluti *Blussi Atusiri f(ilii) nautae* (Bramb. 939) et *Iucundi M. Terenti l(iberti) pecuarii* (annal. Bonnens. LXXII a. 1882 p. 137 s.), anaglyphis rudibus utrumque, hoc etiam carmine ornatum, et ipsa mihi visa sunt litteraturam exhibere saeculi primi fere medii satis scite insculptam. Minus scite contra sculptum est monumentum Bingii repertum *C. Vescii C. l(iberti) lanii* (n. 207), quod propter clausulam *per auctorem tutorem* saepius editum est; videtur sane saeculi primi esse fere medii, sed scriptura subrustica est fere ut in Lugudunensi supra proposito (n. 196). Eiusdem fere ut Mogontiacensis scripturae exempla praebent tituli aliquot aquis Mattiacis reperti et in museo eius oppidi (*Wiesbaden*) servati, altae et accurate factae, cippus *L. Veturii Sp. f(ilii) Vot(uria) Plac(entia) Primi veter(ani) ex leg(ione) XIIII gem(ina)* (Bramb. 1516), paullo rudioris sed gracilis *Dassii Daetoris f(ilii) Maeseii mil(itis) coh(ortis) V Delmatarum* (Bramb. 1518), minoris, profundae, sed rudis *Licaii Seri f(ilii) militis ex cho(rte) I Pannonioru* [sic] (Bramb. 1519). Neque dissimiles sunt, quos in fine memorare iuvat, Borbetomagensis *M. Sempronii L. f(ilii) domo Termestini equitis alae Sebosianae* (Bramb. 894), in castello Taunensi (*Saalburg*) repertus musei Darmstadiensis *Fortunae* positus a *C. Mogillonio Prisciano praef(ecto) coh(ortis) II Raet(orum) c(ivium) R(omanorum)* (Bramb. 1427), denique in vico vicino *Praunheim* repertus musei Cassellani, quem *dis Man(ibus) Q. Favonio Varo f(ilio) Q. Favonius Varus coh(ortis) XXXII vol(untariorum) pater* posuit (Bramb. 1496): hi autem omnes tam propter litterarum formas quam propter verba videntur tribuendi esse aetati Neronianae vel adeo saeculo primo exeunti.

186 Nemausi, tabula lapidea; cum altera gemella extat ibi in muro iuxta fontem publicum (½).

a. 729



0,073

0,050


imp(eratori) Caesari divi f(ilio) | Augusto, co(n)s(uli) nonum, | designato decimum, | imp(eratori) octavom

Ménard *histoire de Nîmes* VII p. 77 integra.

V. 2 COS vocabulo impositum esse apicem huius formae T adnotat Hirschfeldius, quem in ectypo ego et pictor meus non vidimus.

187 Nemausi, cippus lapideus; ibi in hortis Séguerii ($\frac{1}{8}$).

inter a. 14 et 37



0,082
0,072
0,062
0,054


Ti. Caesaris | divi Aug(usti) f(ilii) Augusti | miles missicius T. Iulius | Féstus militávit annos XXV | in legione XVI, decreto decurion(um) | accepit frumenti m(odios) L, balneum et | sui gratuitum in perpet(uum) aream in|ter duos turres per P. Pusonium Pere|grinum IIII vir(um) et XI vir(um) adsignatam

Herzog Gallia Narbonensis p. 29 n. 109 vv. 1—4.

---

188 Massiliae, basis e marmore nigro; Avennione in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 19



0,031


Germanico Caesari Ti[b. Caesaris Aug(usti) f(ilio)], | L. Valerius, | L. Tonneius Le... | A. Mevius V... | magistri Larum August(orum), | anno V Ti. Caes[aris Aug(usti)]

CIL XII 406. Titulus post Germanici mortem positus.

---

189 Viennae Allobrogum, tabula lapidea una cum altera simillima reperta; ibi in museo ($\frac{1}{10}$).

ante a. 37




0,092
0,072
0,067

C. Caesari | Germanici f(ilio), | Ti. Aug(usti) n(epoti), | divi Augusti | pronepoti, | Germanico | pontifici, q(uaestori)

CIL XII 1849 vv. 1—3.

190 In pago Matavonico (*Cabasse*) Galliae Narbonensis, tabula lapidea; extat ibi in pariete domus Gérard ($\frac{1}{8}$).

inter a. 37 et 41



0,046

Pro salute | C. Caesaris German(ici) | f(ilii) Germanici August(i) | pagus Matavonicus

CIL XII 342 integra.

---

191 Arelate, cippus lapideus; in museo ($\frac{1}{6}$).




0,060
0,052
0,046

Oteia C. f(ilia) pia | Tertulla hic | adquiescit

CIL XII 855*a* integra.

---

192 Arelate, cippus lapideus; in museo ($\frac{1}{8}$).




0,066
0,050
0,044

Cemello | Ti. Claudi Poci | Eutychus conservos bene | merenti posuit

CIL XII 779 integra.

193 Avarici Biturigum (*Bourges*), tabula marmorea; in museo ($\frac{1}{8}$).

c. a. 41



0,054
0,042
0,032
0,030
0,024
0,034
0,028

Pro salute | Caesarum et p(opuli) R(omani) | Minervae et divae | Drusillae sacrum | in perpetuum | C. Agileius Primus | IIIIII vir Aug(ustalis) c. c. R. d(e) s(ua) p(ecunia) d(at)

Congrès archéologique 1873 p. 188 integra.

---

194 Burdigalae, tabula lapidea quadrata; in museo ($\frac{1}{8}$).



0,088
0,068

L. Antonio L. f(ilio) | Gal(eria) Statuto | domo Bilbil(i) | Ocellio l(ibertus)

Revue épigraphique du midi de la France I a. 1882 p. 305.
V. 4 post Ocellionis nomen avicula (*aucella ocella*) lapidi insculpta est.

---

195 Masavae (*Mesve*) prope Noviodunum (*Nevers*), tabula magna lapidea; in museo Noviodunensi *de Croix* ($\frac{1}{8}$).

a



0,090

b



0,120
0,090

Aug(usto) sacr(um) deae Cluto[n]|dae et v[i]canis Masavensibu[s] | Medius Sacer Medianni f(ilius) murum inter arcus duos c[um] | suis ornamentis d(e) s(uo) d(onum) d(at)

Revue archéologique XII a. 1865 p. 386 vv. 1 et 2 particulae.

196 Luguduni, fragmentum basis lapideae; in museo ($\frac{1}{10}$).



0,130

L. Gavius Fronto IIIII [vir . . .] | Benignae uxori [et] Gav[iae filiae . . .]

Boissieu *inscriptions de Lyon* p. 188.

Aetatis fortasse Claudiae Neronianaeve, cf. praefatio huius paragraphi.

---

197 In Castris Veteribus, cippus magnus e lapide calcareo anaglypho ornatus; in museo regio Bonnensi ($\frac{1}{8}$).

post a. 9 vel 16



0,100

0,070

M. Caelio T. f(ilio) Lem(onia) Bon(onia), | Ͻ (centurioni) leg(ionis) XIIX ann(orum) LIII s(emis), | cecidit bello Variano; ossa | inferre licebit. P. Caelius T. f(ilius) | Lem(onia) frater fecit. | M. Caelius | M. l(ibertus) | Privatus. | M. Caelius | M. l(ibertus) | Thiaminus


Brambach 209 vv. 1. 2.

Ͻ centuriae nota singularis; neque vero cogitari potest de ○ (*optioni*). Quod vitis in ipsam centuriae notam directa est a scalptore, casui tribuo. Qui cecidit bello Variano, monumentum in Castris Veteribus potuit obtinere ossibus demum collectis in expeditione Germanici a. 16. Monumentum fortasse cenotaphium fuit, cui propterea licuit ossa inferre eorum, qui ad familiam pertinebant.

---

198 *Rinderen* prope Cliviam, basis lapidea, 'litteris a manu recenti redintegratis' ($\frac{1}{10}$).

inter a. 54 et 68



0,090

0,082

0,074


0,068

Marti Camulo | sacrum pro | salute [Neronis] | Claudi Caesaris | Aug(usti) Germanici imp(eratoris) | cives Remi | qui templum constitu|erunt

Brambach 164 vv. 1—5.

V. 3 *Tiberii* nomen in litura repositum est a manu recenti pro *Neronis*.

199 *Vechten* prope Traiectum, tabula marmorea; in museo Leidensi (⅕).




0,060
0,048
0,045
0,042

Salviae | Fledimellae | Sex. Salvius | patronus pie

C. Leemans annal. Bonnens. XLVII/XLVIII a. 1869 p. 160. Aetatis videtur esse circiter Neronianae.

---

200 In Colonia Agrippina, basis magna ex lapide calcareo anaglypho viri in lectulo recumbentis ornata; in museo (⅕).




0,087
0,075
0,063
0,057

C. Iulius C. (filius) Gale|ria Baccus Lugu|duni, mil(es) coh(ortis) I Th|racum, ann(orum) XXXIIX, | stip(endiorum) XV; Antistius | Atticus et Bassius | Communis h(eredes) f(aciendum) c(urarunt)

Brambach 310 vv. 1—4. Aetatis fere Tiberianae.

---

201 Bonnae, cippus magnus anaglypho militis ornatus; ibi in museo regio (⅕).




0,070
0,062
0,054

Q. Petilius Q. f(ilius) Ofen(tina) | Secundus, dom(o) | Medio(lanii), miles leg(ionis) | XV prim(igeniae), ann(orum) XXV | stip(endiorum) V; h(eres) ex t(estamento) f(aciendum) c(uravit)

Brambach 479 vv. 1—3.

Legio XV Primigenia creditur ex XV Apollinari facta esse imperante Claudio post expeditionem Britannicam indeque ab illa aetate ad Neronis mortem in Germania inferiore tetendisse. Unde titulus hic adscribendus videtur esse saeculo primo fere medio; quocum convenit litteratura.

202 Bonnae, cippus ex lapide calcareo; in museo regio ($\frac{1}{8}$).




0,080
0,070

C. Cornelius C. f(ilius) Pap(iria) Tic(ino), | veter(anus) miss(us) exs leg(ione) I, | her(es) exs testa(mento) fec(it) pie; h(ic) s(itus) e(st)

H. Nissen mus. Rhen. XXII a. 1867 p. 434 et J. Freudenberg annal. Bonnens. XLII a. 1867 p. 138 ss.
Aetatis Tiberianae esse probant quae de legione prima Germanica statui solent.

---

203 Ad pontem Navae (*Bingerbrück*), cippus cum anaglypho militis; extat *Kreuznach* in curia ($\frac{1}{8}$).



0,060

Tib(erius) Iul(ius) Abdes pantera, | Sidonia, ann(orum) LXII, | stipen(diorum) XXXX, miles exs | coh(orte) I sagittariorum | h(ic) s(itus) e(st)

Brambach 738 v. 1. Aetatis Claudiae vel Neronianae.

---

204 *Zahlbach* prope Mogontiacum, cippus magnus fastigio ornatus, in quo caput cum duobus leonibus est, infra titulum sertum est; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).




0,120
0,105

Reburrus Co|roturetis f(ilius) mil(es) | cho(rtis) I Lucensiu(m) | Hispanorum, | an(norum) IIIIL, sti(pendiorum) XXIIII; | h(ic) s(itus) e(st), h(eres) ex t(estamento) f(aciendum) c(uravit)

Brambach 1235 vv. 1. 2. Aetatis Augustae Tiberianaeve.

205 Mogontiaci, cippus fastigio et anaglyphis ornatus; ibi in museo (1/3).




0,070
0,060
0,067
0,055
0,060

Cn. Petronius | Cn. f(ilius) Pom(tina) | Asellio, | trib(unus) militum, | praef(ectus) equit(um), | praef(ectus) fabrum | Ti. Caesaris

Jac. Becker *die römischen Inschriften des Museums der Stadt Mainz* p. XIX vv. 1—4 et 7.

---

206 *Kleinwinternheim* prope Mogontiacum, cippus cum anaglypho militis; ibi in museo (1/8).



0,062


P. Flavoleius P. f(ilius) Pol(lia) | Mutina Cordus, mil(es) | leg(ionis) XIIII gem(inae) h(ic) s(itus) e(st), | ann(orum) X[L?]IIII, stip(endiorum) XXIII; | C. Vibennius L. f(ilius) ex t(estamento) fec(it)

Brambach 923 vv. 1. 2.

Legionem XIV usque ad Claudii expeditionem Britannicam, deinde post tumultum a. 70 denuo Mogontiaci tetendisse notum est. Quod geminae cognomen deest minus me movet quam litteratura ut tribuam aetati fere Tiberianae.

---

207 Bingii ad confluentes Rheni et Navae cippus fastigio et anaglyphis ornatus; servatur ibi (1/7).



0,058
0,050
0,045
0,035

C. Vescius C. lib(ertus) | Primus lanius h(ic) s(itus) e(st). | C. Vescius G. f(ilius) Sev(e)rus | et Peregrina G. | Vesci filia feceru|nt per auctorem | tutorem G. Vescio | C. l(iberto) Vaaro

Ephem. epigr. I a. 1872 p. 228 vv. 1. 2 et 6—8.

Saeculi videtur esse primi fere medii.

IX

MONVMENTA HISPANIAE

In Hispaniis quanquam ut in reliquis provinciis longe maxima titulorum multitudo saeculi alterius tertiique est, tamen in nulla alia fortasse regione praeter ipsam Italiam Galliamque Narbonensem tantus monumentorum saeculi primi numerus servatus est. Neque mirum in provincia vasta varieque habitata titulorum quoque litteraturam non aequabilem esse, sed differre aliquo modo Baeticae titulos a Lusitanis, a Tarraconensibus utrosque. Tamen, cum in parvo exemplorum numero consistendum esset, omissis locorum discriminibus temporum in universum ordinem secutus primum annorum certorum vel paene certorum titulos honorarios composui ab Augusto ad C. Caesarem (n. 208—225). Antiquissimus est *T. Statilio Tauro* positus ab Ilicitanis in provincia Tarraconensi (n. 208), cuius litterae rei publicae liberae simplicitatem exhibent ornatu carentem; comparare cum eo aliquando iuvabit titulum eidem, ut videtur, homini positum Volceiis (CIL X 409). Qui paullo ante *Caesari* filio positus est titulus in Luco Augusti a *Paullo Fabio Maxumo legato Caesaris* (CIL II 2581) periit. Sequitur *P. Silii* titulus Carthaginiensis (n. 209) litteras habens magis iam elegantes et singulari quadam ratione ornatas, quales in reliquis quoque titulis Hispanis saeculi primi publice potissimum positis observare licet. Marmoris vel potius lapidis calcarei in Hispania frequentis durities videtur effecisse, ut litterae altae et graciles minus profunde inciderentur neque tamen carerent angulis paullulum curvatis et lineis in cornua exeuntibus. Similis fere litteraturae sunt qui illum excipiunt *Augusti* ipsius anno incerto, sed post a. 725 positus item Ilicitanus (n. 210), intra annos 745 et 751 inscriptus dignitatibus a quadratario provinciali minus recte numeratis Saguntinus (n. 211), Urgavonensis a. 11 (n. 212). Contra litteras crassiores et alte incisas, quod sinit lapis arenarius minus durus Gallaeciae, fulguris titulus habet magnus Bracaraugustanus (n. 213): nam quanquam litteras eius redintegratas esse tempore recenti nuper demum observavi, cum lapidem reviserem (a. 1881), scilicet a manu eadem, quae litteram unam supplendi causa addidit male, tamen formas earum non prorsus mutatas esse docet inter alia P aperta ter repetita. Simile est miliarium *Augusti* Baeticum (CIL II 4931), cuius ectypum habeo. Periit ut supra dixi (ad n. 50) *M. Agrippae* titulus ad theatrum Emeritense spectans a. 738 (CIL II 474); perierunt item cippi terminales Mirobrigenses *Augusti* a. 6, cum aut redintegrati sint aut pessum dati; neque videre potui *terminum* aliquem *Augustalem* ex eorum numero, qui *prata legionis IV et agrum Iuliobrigensem* dividebant (CIL II 2916). Periit deinde basis *Augusto* posita a. 9 in Asturia (CIL II 2703); item titulus *Genio Augusti divi f(ilii)* sacer Murciensis (CIL II 3524). Qui extat titulus *Augusti* Urgavonensis a. 6 (CIL II 2107) nimis evanidus est, quam qui repraesentari possit. Ad aetatem Tiberianam transitum faciunt *divi Augusti* tituli, velut Emeritensis (II 473) et Tarraconenses (II 4093 4094); qui perierunt omnes. In multis Hispaniae oppidis similiter atque in Italicis una cum Augusto vel imperatore vel deo etiam filiis eius totique familiae Iuliae statuae positae erant, veluti, ut aliquot tantum memorem praeter columnas miliarias, *C. Caesari* Sagunti (n. 214), Metellini (CIL II 607), Bracarae (CIL II 2422) qui perierunt, Castulone (II 3267), cuius superest fragmentum; *L. Caesari* Urgavone (n. 215), Arvae in Baetica (II 1063), Eporae (II 2157), qui item perierunt; *pupo Agrippae M. f(ilio)* Uliae (n. 216); *Tiberio* privato adhuc, ut Uliae (n. 217), Emeritae (II 476), Italicae (II 1113 qui periit), et adoptato: in Tucci oppido Herculi invicto videtur Tiberius ipse aram dedicavisse (n. 218); reliqui eius tituli (II 2062 2181) perierunt praeter Ilurconensem, quem exhibui (n. 219), et Anticariensem (II 2037), quem repraesentare supersedi. Sequuntur tituli *Liviae* Anticariensis item (II 2038), Urgavonensis (II 2108), oppidi incerti (II 3102); sed perierunt omnes. Miliarium *Tiberii* Baeticum, cuius ectypum habui (CIL II 4935), scriptum est litteris satis bonis. Extat *Drusi Tiberii filii* Saguntinus (n. 220): reliqui eius tituli Ucubitanus (II 1553), Anticariensis (II 2040), oppidorum incertorum (II 2338 3103) perierunt; ut perierunt *Germanici* Anticariensis (II 2039), Cordubensis (II 2198), oppidi incerti (II 3104); item *Drusi Germanici filii* Emeritensis (II 609). His adiunxi aetatis sive Augustae sive Tiberianae *regis Iubae* titulum Carthaginiensem (n. 221). *C. Caesaris* unum exhibeo miliarium Cordubensem (n. 223): reliqui enim eius aetatis miliarii Cordubenses quamvis eleganter incisi, *Augusti* (CIL II 4701—4711) et *Tiberii* (4712—4715) eiusdemque Bracarenses (CIL II 4749), aut perierunt aut redintegrando paene novicii facti sunt. Sequitur *Agrippinae Germanici* Mentesanus (n. 224); atque hi quidem fere omnes formis illis quas dixi elegantibus utuntur.

Praeterea vero etiam in usu mansisse formas minus elegantes, crassiores, tria exempla demonstrabunt: titulus Cordubensis sepulcralis litteris parvis scriptus a. 735 (n. 225), honorarius senatoris Romani Ursonensis (n. 226), Carthaginiensis denique (n. 227), qui tamen omnes non sine arte quadam sculpti sunt. Vetustiorem habitum, rei publicae liberae temporibus paene aequalem observavi in monumentis his tam publicis quam privatis, quorum elenchum addere visum est non inutile, cum aetas eorum paene certa sit; sunt autem haec: Ossetanum *L. Caesio L. f(ilio) Pollioni aed(ili) II vir(om) censu et duomviratu bene et e r(e) p(ublica)* acto a municipibus positum (II 1256); Asidonense *Q. Fabio Cn. f(ilio) Gal(eria) Senicae IIII vir(um)* item a municipibus Caesarinis positum (II 1315); Ursonense, quod *L. Vettius C. f(ilius) Ser(gia), centur(io) leg(ionis) XXX, II vir(um) iterum, c(olonis) c(oloniae) C(laritatis) I(uliae)* [i. e. Ucubitanorum] *sacrum* dedit (II 1404); Cordubensia sepulcralia *T. Accleni T. f(ilii) Qui(rina) centu[rionis]* et uxoris (II 2215), item *M. Lucii M. f(ilii) Sergia* et suorum (II 2286); ex oppido ignoto prope Castulonem sito procedens *[C.] Cornelii C. f(ilii) Gal(eria) Vetuli, II vir(um), pontif(icis) Caesaris primi* (II 3350), quod simillimum est litteratura exemplo meo Ursonensi (n. 226); Aurgitanum *Cosanae C. f(iliae) Fidentinae matronae post mortem* positum (II 3373). Praeterea ad Augusti fere aetatem adscendere mihi videntur inter tabellas columbariorum Romanorum similes Olisiponenses (II 200 ss.), Gaditanas (II 1744 ss.), Abderitanas (II 1980 ss.) non paucae; item nonnulli ex titulis anaglyphis, protomis, aliis rebus ornatis ad modum titulorum Italicorum (v. praef.

ad paragr. VI VII), Emeritae (II 508 525 544 562), Turgalii (II 625 ss.), Larae (II 2856 ss.) reperti. Etiam Segoviae, Compluti et in aliis quibusdam oppidis provinciae Tarraconensis similes reperiuntur; neque multo recentiorum temporum titulus mihi visus est tauro illi lapideo sepulcrali inscriptus, qui extat prope Avilam (CIL II 3052). Tiberianae aetatis tituli privati argumenti non multi supersunt certi; praeter Olisiponenses aliquot, veluti *L. Iulii Maelonis caudic(arii) flaminis divi Aug(usti)*, qui periit (CIL II 260), vidi Tuccitanos (CIL II 1679—1688), Gaditanos (II 1726 1731 al.), Eporenses (II 2159 2160), Cordubenses (II 2225), Saetabitanum (II 3620), Saguntinos (II 3475 3479 3852 3854 3855 3859), qui omnes ab Augustae aetatis arte et elegantia Italica satis differunt; exhibui unius prope Iliberrim reperti exemplum (n. 222).

Aliquanto magis etiam in Hispania differunt Claudiae aetatis monumenta, quorum unum exhibui exemplum scripturae parvae et paene actuariae Nabrissense a. 49 (n. 228); perierunt fragmentum a. 43 in provincia Tarraconensi repertum (II 3105), Eporense eiusdem anni (II 2158), Metellinense a. 46 (II 608), Ostipponense a. 49 (II 1438), Tarraconense a. 51 (II 4095), Magacelense anni incerti (II 2364); Castulonense autem (II 3269), quod extat, hic non potuit repraesentari. Cartimitanum a. 53 (II 1953) restitutum est saeculo secundo, unde suo loco memorabitur. Columnam miliariam *Claudii* vidi unam servatam Valentiae ad Minium (CIL II 4875), sed calce tectam; Bracarensis, ut pleraeque ibi servatae, renovata est (CIL II 4750).

Neronianae denique scripturae exemplum item unum dedi columnam miliariam Cordubensem (n. 225), in qua genuinae quidem litterarum formae servatae sunt, sed neglegenter incisae. Interierunt enim theatri Olisiponensis, quod fuit, titulus magnus a. 51 (II 183), item Salpensanus eiusdem anni (II 1281), atque *Agrippinae Neronis* Aruccitanus (II 963). Scripturam eius aevi monstrare mihi visus est titulus arae deo alicui peregrino Aquis calidis prope Bracaram sitis dicatae, quem proposui (n. 230). Eiusdem generis scripturam altam titulus Asturicensis *Pelliae Visali f(iliae)* aliorumque hominum peregrinorum sepulcralis praebet (II 2657); item altam admodum, sed diversam, fragmentum Astigitanum (II 1513); magis rotundam et satis profundam, quam non recte aevo Augusto olim tribui, basis *Genio oppidi* sacra Aciniponensis (II 1346), cuius ectypum servo.

Haec fere sunt, quae de scripturae epigraphicae in Hispaniis per saeculi primi partem priorem diversitate potui enotare.

208 Ilici, basis rotunda; ibi extat ($\frac{1}{8}$).

a. 728




0,070

T. Statilio | Tauro imp(eratori) | III co(n)s(uli) II | patrono

CIL II 3556 vv. 1. 2.
Taurus iterum consul fuit anno s. s.

209 In Carthagine nova Hispaniae, basis marmorea; ibidem in aedibus publicis ($\frac{1}{10}$).

inter a. 734 et 738?



0,060

P. Silio leg(ato) pro | pr(aetore) patrono | colonei


CIL II 3414 integra.

P. Silius Nerva cos. a. 734 quando Hispaniam rexerit traditum non est; sed putandus est secundum Vellei testimonium (II 90) fere successisse C. Antistio Veteri, qui a. 729 Cantabros devicit. Itaque post consulatum, sed antequam gentes Alpinas Pannoniosque debellavit, statua ei videtur posita esse a colonis Carthaginiensibus. Dolendum quod eiusdem hominis titulus in alia provincia positus (CIL III 2973) perierit.

Propter spatium v. 1 extremo deficiens o littera minor facta est.

210 Ilici, basis rotunda; ibi extat ($\frac{1}{8}$).

post a. 725?



0,055

0,045

Augusto Divi f(ilio) | C. Maecius C. f(ilius) Celer | dedit dedicavit

CIL II 3555 vv. 1. 2.
Basis videtur posita esse eodem fere tempore quo T. Statilii Tauri n. 208, certe post bellum Hispanum a. 725.

211 Sagunti, basis ex lapide calcareo; ibi extat ($\frac{1}{8}$).

a. 750/1



0,055


0,045

Augusto | pontifici max(imo), imp(eratori) | XIIII, co(n)s(uli) XII, trib(unicia) | potest(ate) XV municip(es) | Saguntini

CIL II 3827 v. 1. 2.
Pro cos. XII requiritur cos. XI, aut pro trib. potest. XV scribendum XX. Cf. n. 214.

212 Urgavone in Hispania, basis marmorea rotunda; extat ibidem (1/6).

a. 11



0,048
0,038


Imp(eratori) Caesari Aug(usto), pont(ifici) max(imo), | *trib(unicia) pot(estate) XXXIIII, co(n)s(uli) XIII,* | *patri patriae, Victoriae sacr(um)* | *L. Aemilius L. f(ilius) Nigellus aed(ilis), II vir, d(e) s(ua) p(ecunia) f(ecit)*

CIL II 2106 vv. 1. 2.

---

213 Bracarae in Hispania; extat ibi, litteris redintegratis tempore recenti (1/12).

post a. 752



0,100
0,110

conditum sub [*divo ex iussu*] | *imp(eratoris) Caesaris* [*Augusti Divi f(ilii)*], | *patris patri*[*ae, pontif(icis) max(imi)*]

CIL II 2421 vv. 1—3.
Titulus fulguris est. Pater patriae Augustus dictus est anno s. s.

---

214 Sagunti, basis ex lapide calcareo; ibi extat (1/8).

a. 748-753



0,045

C. Caesari Augusti f(ilio) | *pontif(ici) co(n)s(uli) design(ato)* | *principi iuventutis*

CIL II 3828 vv. 1. 2.
Videtur posita esse una cum n. 211.

---

215 Urgavone in Hispania, basis rotunda marmorea; ibi extat (1/6).

a. 2



0,052
0,040

L. Caesari Augusti f(ilio), | *Divi nepoti,* | *principi iuventutis,* | *auguri, co(n)s(uli) designato, d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL II 2109 vv. 1. 2.

216. 217 Uliae in Hispania, cippi marmorei duo ingentes; extant ibidem ($\frac{1}{3}$).

ante a. 4

216



217



0,045

Pup(o) Agrippae M. f(ilio)

Ti. Claudio | Neroni patro[no]


CIL II 1528 1529 integrae.

Reperti sunt una cum cippo M. Agrippae patroni municipii, quem una exhibere non potui (CIL II 1527). Tiberius et Agrippa postumus ab Augusto adoptati sunt anno s. s.

---

218 Tucci (*Martos*) in Baetica, basis oblonga ex marmore nigro, litteris optimis; extat ibi ($\frac{1}{10}$).

a. 14?



0,064
0,044

Herculi invicto | Ti. Iulius Augusti f(ilius) divi nep(os) Caesar Aug(ustus) | imp(erator), pontifex maxumus, ded(it) ....

CIL II 1660 integra; sequitur in fine versus erasus.

---

219 Ilurcone prope Iliberrim Baeticae; extat Iliberri (*Granada*) ($\frac{1}{10}$).

a. 26




0,052

Ti. Caesari divi Aug(usti) f(ilio) divi Iuli | n(epoti) Augusto, pont(ifici) max(imo), trib(unicia) | potes(tate) XXVIII, co(n)s(uli) IIII, imp(eratori) VIII, | auguri, XV vir(um) s(acris) f(aciundis), VII vir(um) epulonum | T. Papirius Severus

CIL II 2062 vv. 1. 2. Numeri quadrant in annum s. s.

220 Sagunti, basis ex lapide calcareo; extat ibi ($\frac{1}{5}$).

a. 15



0,060

0,058

[Dr]uso Caesa[ri] | Ti. Aug(usti) f(ilio), deiv[i] | Aug(usti) nepoti, | deivi Iuli | pro nepoti, co(n)s(uli)

CIL II 3829 vv. 1—3.

221 In Carthagine nova, basis marmorea; extat ibidem ($\frac{1}{6}$).



0,050
0,040

Regi Iubae, re[gis] | Iubae filio, regi[s] | Iempsalis n(epoti), regis Gau[dae] | pronepoti, regis Masiniss[ae] | pronepotis nepoti, | II vir(o) quinq(uennali), patrono | coloni

CIL II 3417 vv. 1. 2. Cf. infra n. 227. Homo aetatis Augustae notus.

---

222 Ad fontem *el Campillo de Arenas* sex ab Iliberri leugis Matritum versus, basis non magna ex lapide calcareo; servatur Iliberri ($\frac{1}{3}$).

a. 26



0,018
0,016


L. Valeri Laeti, | M. Valeri Vetusti | libertus Verna, | M. Valeri Vetusti | Prima Vernae ux(or) | v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito) Saluti; | posita k(alendis) Mart(iis) | Cn. Cornelio Gaetulico | C. Calvisio Sabino co(n)s(ulibus)

CIL II 2093 vv. 8. 9.

---

223 Cordubae, columna miliaria, litteris elegantibus; servatur ibi ($\frac{1}{10}$).

a. 39



0,055
0,040
0,035

C. Caesar Germa|nicus Germanici | Caesaris f(ilius), Ti. Aug(usti) n(epos), | divi Aug(usti) pro n(epos), divi | Iuli ab n(epos), Aug(ustus), pat(er) patr(iae) | co(n)s(ul) II, imp(erator), trib(unicia) pote|state II, pontif(ex) max(imus) | a Baete et Iano Augusto ad Oceanum [m. p. ....]

CIL II 4716 vv. 1—5.

224 Mentesae (*la Guardia*), cippus ex lapide calcareo litteris bonis; extat ibi ($\frac{1}{8}$).

a. 37-41




0,050
0,045

Agrippinae | C. Caesaris Augusti | Germanici matri | Q. Fabius Hispanus | flamen August(orum) decreto ordinis ded(it)

CIL II 3379 vv. 1—3.

225 Cordubae, cippus parvus ex lapide calcareo; ibi extat in museo (1/6).

a. 735



0,032 0,024 0,020 0,032 0,024

C. Sentio Sat(urnino) co(n)s(ule) | k(alendis) Sextilib(us) | dei Manes | receperunt | Abulliam N. l(ibertam) | Nigellam

CIL II 2255 integra.

226 Ursone, basis rotunda marmorea; in museo Hispalensi (1/8).




0,034 0,026

L. Sergio Regis f(ilio) | Arn(iensi) Plauto, q(uaestori), | Salio Palatino, | patrono

CIL II 1406 vv. 1. 2.
Homo aliunde non notus, sed certo aetatis Augustae.

---

227 In Carthagine nova, basis rotunda; servatur ibi in aedibus publicis (1/6).



0,027 0,022 0,020


C. Laetilio M. f(ilio) A[palo?] | II vir(o) quinq(uennale) | Lares Augustales et | Mercurium piscatores | et propolae de pecun(ia) sua | f(aciendum) c(urarunt) i(dem)q(ue) p(robarunt)

Ephem. epigr. III p. 44 n. 32 vv. 3—5.
Rex Ptolemaeus regis Iubae filius et C. Laetilius Apalus duoviri inscripti sunt nummo Augusti Carthagine cuso. Cf. n. 221. 233.

---

228 Nabrissae in Hispania Baetica, sub signo non magno Atlantis, in plintho; servatur Hispali in museo (1/2).

a. 49




0,015

Ti. Claudio Caesare Aug(usto) Ger|manico, pont(ifice) max(imo), tr(ibunicia) pot(estate) VIII, | imp(eratore) XVI, co(n)s(ule) IIII, p(atri) p(atriae), censori | Terpulia Sauni f(ilia) ex testamento | Albani Sunnae f(ilii) viri sui

CIL II 1302 vv. 1. 2.
Notae sunt anni s. s. *Caesari* olim legebam, sed in ectypo itemque in lapide ipso denuo inspecto a. 1881 *Caesare* potius mihi videor dispicere; de *censori* v. 3 dubitavi, sed potest esse pro ablativo. Signum Atlanti potius quam imperatori dicatum a negotiatore fortasse, qui Hispali in Africam mercaturam faciebat, anno imperatoris illo. Litterae formis saeculo secundo solitis similes sunt.

229 Cordubae, columna miliaria; extat ibi in domo *Cevallos* (1/8).

a. 55




0,045

0,040

Nero Claudius divi Claudi f(ilius), Germanici Caesaris n(epos), divi | Aug(usti) ab n(epos), Ti. Caesaris pro n(epos), | tr(ibunicia) pot(estate), imp(erator), co(n)s(ul) [m. p. . . . . .]

CIL II 4719 vv. 1. 2.

230 Aquis calidis *de Vizella* prope Bracaram in Hispania Tarraconensi, ara ex lapide arenario; extat ibidem (1/8).



0,055

0,045

Medam|us Camal(i) | Bormani|co v(otum) s(olvit) l(ibens) m(er(ito)

CIL II 2402 integra.

X

MONVMENTA AFRICAE

Provinciae Africanae, in quibus aedificia sacra publica privata epistyliis inscriptis magnis ornata frequentiora sunt, quam in ulla alia provincia, tamen non multa habent monumenta saeculo primo certo attribuenda; splendor enim earum maximus in saecula alterum tertiumque incidit. Formas vetustas sed elegantes exhibet titulus Uticensis, quem primo loco posui, *L. Domitii Ahenobarbi* proconsulis a. 742 ad trimodium salis pertinens (n. 231). Iuvabit comparare eum cum titulorum Africanorum omnium vetustissimo Curubitano (supra n. 44). Qui aetate sequitur eiusdem oppidi titulus a. 734 (CIL VIII 978) periit. Imperatoris *Augusti* certum unicum in Africa adhuc repertum Sufetanum (CIL VIII 255), cuius ectypum habemus, brevissimum illum — verba enim haec tantum continet *imp(erator) Caes(ar) | Aug(ustus) p(ater) p(atriae)* litteris scripta duodecim altis et bonis — repraesentandum non putavi. Contra ex *Liviae* item unico Cirtensi a. circiter 18 verba quaedam exhibui (n. 232), cum formas habeat admodum altas et graciles, quales etiam Leptitanus *M. Aemilii L. f(ilii) Pal(atina) Superi, praef(ecti) fabr(um), flam(inis) divi Aug(usti) perp(etui)* in museo Leidensi servatus monstrat (CIL VIII 58). Etiam qui *Romae et Ti. Caesari Augusto* positus est in vico Mogravae (CIL VIII 685) litteras habet, ut ectypum docet, tam graciles tamque minus profunde incisas, ut apte repraesentari nequeat, praesertim cum maxime evanidae sint; equidem primum de restitutione cogitavi saeculo fortasse tertio facta (versus finem partis detritae -ES litterae maiores supersunt), sed artem provincialem in causa esse magis putaverim. Pontis a. 29 a *Tiberio* dati titulus (CIL VIII 10568) nondum ex ectypis nobis innotuit; miliarium Capsitanum a. 14 (CIL VIII 10018) periit; fragmentum Carthaginiense (CIL VIII 10526) nimis exiguum est. Aetatis Augustae exeuntis sive Tiberianae unicum testem proferre potui titulum Icositanum *regis Ptolemaei regis Iubae filii* (n. 233), qui aliquanto elegantioribus litteris (similibus illis Hispani n. 225) scriptus est. C. Caesare non multo recentior est titulus Rusicadensis *C. Caecilii Q. f(ilii) Gal(eria) Galli*, qui inter alia munera etiam flamonio divi Iulii functus est, servatus ille in museo Parisino (CIL VIII 7986 cf. *Hermes* I a. 1866 p. 59 s.): litterae eius non magnae (versu primo altae sunt 0,045, versuum ultimorum minimae, 0,002 ad 0,003) graciles item sunt et elegantes, quales in monumento urbano sive Italico saeculo alteri confidenter tribueres.

Aetatis Claudiae item rarissima sunt in Africa monumenta. Arcus Thuggensis titulus (CIL VIII 1478) periit; unius ectypum vidi tituli Phuensis, qui servatur Constantinae in museo; cippus est equitis anaglypho ornatus *Ti. Claudii Mantai f(ilii) Cilii Lusitani* (CIL VIII 6309), qui similis est cippis saeculi primi medii Rhenanis; litterae enim profunde incisae sunt et bonae.

Neronis nullum ibi superesse monumentum vix mireris; exemplum aetatis eius proferre licuit unum servi eius alicuius cippum sepulcralem Calamae repertum (n. 234), inscriptum illum litteris vulgaribus; tamen ab hoc ordine eum segregare nolui. Comparandus cum eo est urbanus supra exhibitus (n. 95), item *Saturninae Ti. Claudi Cae(saris) vil(icae)* et ipse Calamensis (CIL VIII 5384), cuius tamen ectypum praesto non est; item conterraneus *Gaetulici Domitiani Caesaris servi* infra proponendus (n. 451). Eidem aetati coniectura tribui miliarium Cirtense *C. Vellei Paterculi* alicuius legati Augusti (n. 235): videntur enim litterae eius altae neque inelegantes, sed cornibus illis paene carentes, P aperta, R cum cauda recta, vix adscribi posse saeculo alteri.


Inter tabellas sepulcrales parvas in Africae oppidis variis repertas esse etiam quasdam saeculo primo inscriptas non negaverim. Certa litteraturae saeculi eius indicia tituli tantum aliquot eius generis Caesareae in Mauretania reperti mihi visi sunt praebere secundum ectypa (veluti CIL VIII 9423 9430 9442 9450 9473 carmen; paullo recentiores sunt 9441 9455); nomina quoque peregrina defunctorum vetustatem eorum indi-

cant. Etiam titulus bilinguis Naraggarensis templi alicuius (CIL VIII 4636) saeculo primo non videtur recentior esse. Carthaginienses vero tituli sepulcrales fere omnes recentiores sunt, nisi fallor; nam num recte Africae tributus sit titulus omnino Italico modo scriptus CIL VIII 10553 valde dubito. Reliquorum eius generis exempla proferre visum non est; scripti enim sunt tituli illi sepulcrales litteris maximam partem parvis et admodum malis.

Finem capitis, quod non multa continet scripturae bonae exempla, titulus faciat prope Alexandream Aegypti repertus (n. 236), aetatis ille Tiberianae, litteraturae vero optimae et plane urbanae.

231 Uticae, basis ex lapide calcareo; in museo Leidensi (⅛).

a. 742



0,065 0,050 0,036

L. Domitius Ahenobarbus | pro co(n)s(ul) | trimod(ium) posuit qua civitates sal em(unt)

CIL VIII 1180 integra. Ahenobarbus Africam pro consule rexit anno s. s.

---

232 Cirtae, tabula epistylii ex marmore candido; extat Constantinae (⅛).

post a. 18



0,072

Divae Aug[ustae sacrum] | Q. Marcius C. f(ilius) Barea co(n)s(ul) X[V vi]r(um) s(acris) f(aciundis), fetialis, pro [co(n)s(ule) . . . . . | Coelia Sex. f(ilia) Ur[. . . .]ria Potita flaminica di[vae Augustae . . . .]

CIL VIII 6987 pars v. 3. Barea consul creditur fuisse a. 18.

233 Icosii (Algerii) in Mauretania Caesariensi, basis marmorea; extat ibi in museo (⅙).

c. a. 30?




0,032 0,025

[R]egi Ptolemae[o], | reg(is) Iubae f(ilio), | L. Caecilius Rufus Agilis f(ilius), honoribus omnibus patriae suae consummatis d(e) s(ua) p(ecunia) f(aciendum) c(uravit) et consacravit

CIL VIII 9257 vv. 1. 2. Cf. supra n. 221.

---

234 Calamae (*Gelma*), cippus ex lapide calcareo; servatur ibi (⅛).



0,055 0,035 0,045 0,035

Ianuariu[s] | saltuarius | Neronis Ca[es(aris)] | Aug(usti) ser(vus) vix(it) a(nnis) | XXX h(ic) s(itus) e(st)

CIL VIII 5384 integra. Cf. n. 95.

235 In via Cirta Rusicadem, miliarium; servatur *Philippeville* in museo ($\frac{1}{10}$).



0,075

C. Velleio | Paterculo | leg(ato) Aug(usti) leg(ionis) III Aug(ustae) | XXIX

CIL VIII 10311 vv. 1. 2.

Quando Paterculus hic provinciam Numidiam et legionem tertiam rexerit non magis constat, quam qua parentelae ratione cum rerum scriptore coniunctus fuerit; videtur tamen tribuendus esse aetati fere Neronianae.

236 Nicopoli prope Alexandream Aegypti, basis marmorea; ibi extat (1/8)



0,062
0,056

L. Publilius [*Labeo viator*] | *consulum praetor*[*um*], | *Ti. Caesaris, praef*(*ectus*) *stato*[*rum*], | *philalexandreus* | sequuntur Graeca

Ephem. epigr. II p. 291 n. 339 vv. 2. 3.

SECTIO SECVNDA

MONVMENTA AETATIS VESPASIANAE AD COMMODIANAM

A Vespasiano novum caput non ideo incipere volui, quod nova prorsus inde ab eius aetate scribendi ratio in titulis obtinuerit — quod per se incredibile esset —; sed cum aetatis Neronianae monumenta certa rara sint, rariora etiam, ut consentaneum, anni Galbiani Othoniani Vitelliani, spatio temporis paullo longiore interposito nova quasi series monumentorum inscriptorum hic incipit, quam continuare visum est per saeculi fere integri spatium usque ad Commodi mortem. Atque cum aetatis Flaviae monumenta scripturam exhibeant simplicem, sed minus in universum elegantem et nobilem, quam aetas inde ab Augusto quae praecedit, ideoque mirum in modum cum universa aetatis eius indole congruentem, a Nervae statim imperio usque ad Hadriani redit formarum eadem fere aut maior etiam nobilitas, quam tamen ab illa antiquiore saeculi primi incipientis mediique facile distinguet, qui accuratius examinaverit. Artis tectonicae perfectio, quam produxerat summus urbis imperiique qui illa aetate erat splendor, etiam in quadratariorum opificio non urbanorum tantum perspicitur. Quorum quanquam post Hadrianum sollertia minuta non est, deficiunt tamen eiusdem perfectionis specimina quaeque sollerter et eleganter sculpta servata sunt, ea carent fere varietate illa in ipsa artis aequabilitate conspicua, quam in aetatis anterioris monumentis admiramur. Nam si illud omittimus, quod scripturae sive actorum sive vulgaris formae in monumentis cuiusvis generis frequentius adhibentur (ut docent exempla infra proposita satis multa), scriptura monumentalis ipsa eiusdem fere per totum orbem Romanum generis est, quanquam non eadem ubique, ut expectaveris, arte incisa. Inde nascitur varietas illa scripturae vere monumentalis, quadratae, crassae, solidae, atque actuariae quamvis in monumentis adhibitae, longiusculae, gracilis, tenuis, quae variis praeterea ornamentis cornuum et caudarum distinguitur castaque vetustioris aetatis simplicitate caret. Duo igitur haec scripturae monumentalis genera infra saepius distinguenda sunt.

CAPVT PRIMVM

MONVMENTA VRBANA

I

MONVMENTA VRBANA AETATIS FLAVIORVM

Operum publicorum aetatis Flaviae tituli supersunt non multi: perierunt quae ad aedificia duo incerta pertinuerunt fragmenta (CIL VI 935 936), item tituli templi *divo Vespasiano* erecti in foro a senatu populoque, restituti a Severo et Antonino (CIL VI 938, cf. infra n. 469), *divo Tito* a Traiano facti (CIL VI 946), *atrii*, ut videtur, *Libertatis*, qui eidem aetati tribuitur probabiliter, litteris semipedalibus scriptus (CIL VI 470); eius, quo *amphitheatrum Flavium* creditur dedicatum esse fragmenta tantum aliquot exigua supersunt (CIL VI 1796*a*). Supersunt *aquarum Claudiae* (n. 239 244) et *Marciae* (n. 242), *arcus Titi* in summa sacra via (n. 245), quos exhibendos curavi; *arcus* alterius eidem *Tito* adhuc vivo in circo extructi titulus periit (CIL VI 944). Ex maiore numero basium tabularumque in honorem imperatorum et domus eorum positarum exempla praebuerunt *arae Victoriae* (n. 237), *Pacis* (n. 238), *Iovis* (n. 250), monumenta *Tito* (n. 240 243; cum huius scriptura fere consentit tituli urbani *Tito* a. 79 positi CIL VI 942), *Vespasiano et Tito* (n. 241) posita. Ex hisce monumentis peculiares litterarum aetatis Flaviae formae, quales Romae obtinuerunt, satis perspiciuntur. Easdem fere litterarum formas minore modulo (altae sunt 0,035) exhibet parva *basis Isidis Capitolinae* (CIL VI 346) a Crescente Caesaris Vespasiani (i. e. Titi) servo posita. Bases magistrorum

fontanorum a. 69 (CIL VI 155) et 83 (CIL VI 163) interierunt. Addidi aetatis eiusdem, sed annorum non omnino certorum exempla haec desumpta ex titulis sepulcralibus *M. Iunii Silani* iuvenis nobilissimi (n. 246), eius fortasse, cuius Iuvenalis meminit (sat. VIII 26), *Appii Severi et Appiae Severae* (n. 247 248), *Fortunati* Titi vel Domitiani liberti (n. 249), *Rubriorum Trophimi et Agathonis* (n. 251). In fine posui quae aut sola litterarum specie ductus, cui tamen res in titulis memoratae non repugnant, aut aliis de causis aetati huic adscribenda esse putavi monumenta sepulcralia varia (n. 252—256). Sufficient haec, nisi fallor, ad dignoscendas scripturae lapidariae eius aetatis formas reliquas praeter monumenta magna, de quibus dixi; quae praeterea notae sunt ex monumentis non paucis optime scriptis. Veluti, ut pauca memorem eis, qui comparare volent, ex numero a me ipso diligenter inspectorum, *P. Calvii Sp. f(ilii) Iusti mancipis officinarum aerariarum quinquae* [sic] (CIL VI 8455), *Lémni Aug(usti) l(iberti) proc(uratoris) patrimóni et hered(itatum)* (CIL VI 8499), *Hermae Aug(usti) lib(erti) á cubiculo Domitiae Aug(ustae)* (CIL VI 8570), *M. Iunii Pudentis pistoris magnarii pepsiani* (CIL VI 9810). Insignioribus hisce monumentis accedunt Flaviorum libertinae condicionis tituli sepulcrales paene tam frequentes quam Claudiorum; e multitudine eorum memoro propter litteraturae indolem bonam hos e museo Capitolino *T. Flavii* alicuius *Quirin(a) Athenaei, T. Flavii Nerei filii*, ex villa Albania *Flaviae Aug(usti) l(ibertae) Doridis* et *Idaei Caesaris n(ostri) ser(vi) coniugis* (Visconti *indic.* p. 200, 60), qui omnes nondum editi sunt in corporis inscriptionum volumine sexto. Neglegentius scripti sunt tituli *T. Flávii Aug(usti) lib(erti) Créscentis tabularii Burriáni* (CIL VI 9059), *T. Flavii Heracleonis tabularii a rationibus* (CIL VI 8428), item *Isiadis Domitiae Domitiani ser(vae)* nondum editus; in museo Vaticano illi extant omnes et quanquam litteris scripti non prorsus aequalibus, tamen similitudine quadam a reliquis distinguuntur.

237 Romae, basis magna marmorea rep. a. 1547 una cum basibus Fortunae et Pacis in foro ad arcum Septimii Severi; Neapoli in museo (c. $\frac{1}{9}$).

c. a. 70 IMP·CAESARIS·VESPASIANI 0,052

Victoriae | imp(eratoris) Caesaris Vespasiani | Augusti | sacrum | trib(us) Suc(usana) corp(oris) Iuliani | C. Iúlius Hermes mensor | bis hon(ore) in curat(ela) functus et nómine | C. Iúli Regilli fili de suó fécit, | cui populus eius corporis inmunitatem | sex centuriarum decrevit

CIL VI 198 v. 2.

---

238 Romae, basis magna marmorea rep. una cum n. 237; in museo Neapolitano (*a* c. $\frac{1}{18}$; *b* c. $\frac{1}{5}$; *c* c. $\frac{1}{3}$).

a. 70 *a* IMPVESPASIANI 0,084

b K·DEC 0,039


c Ↄ TI·CLAVDI·NICIAE 0,012
C ACILIVS ABASCANTVS 0,009

In fronte: *Paci aeternae | domus | imp(eratoris) Vespasiani | Caesaris Aug(usti) | liberorumq(ue) eius | sacrum | trib(us) Suc(usana) iunior(um)*
In latere sinistro: *dedic(ata) XV k(alendas) Dec(embres) | L. Annio Basso, | C. Caecina Paeto co(n)s(ulibus)*
In latere dextro et a tergo inscripta sunt nomina tribulium centuriis octo, quarum prima incipit a verbis
Ↄ (centuria) Ti. Claudi Niciae | C. Acilius Abascantus

CIL VI 200 frontis v. 3, lateris sinistri pars v. 1, lateris dextri pars v. 1.
Punctum post P in titulo frontis (*a*) in exemplo meo chartaceo optimo deest.

239 Romae, in arcu aquae Claudiae (*porta maggiore*); ex imagine photographa (c. 1/40).

a. 71 0,400



Imp(erator) Caesar Vespasianus August(us), pontif(ex) max(imus), trib(unicia) pot(estate) II, imp(erator) VI, co(n)s(ul) III desig(natus) IIII, p(ater) p(atriae) | aquas Curtiam et Caeruleam perductas a divo Claudio et postea intermissas dilapsasque | per annos novem sua impensa urbi restituit

CIL VI 1257 vv. 1—3 pars sinistra; Canina *edifizi* tab. CCXXVI, unde mensuras desumpsi.

240 Romae, tabula marmorea reperta ad viam Appiam; in museo Lateranensi (c. 1/12).

a. 72 0,074




T. Caesari | Aug(usti) f(ilio), im(peratori) V, | trib(unicia) pot(estate) II; | Iu[liae] | T. C[aesaris] | im[p(eratoris) filiae]

CIL VI 941 v. 1.

241 Romae, cippus marmoreus parvus; in museo Vaticano (c. 1/3).

a. 75 0,020



Pro salute | dominorum | Genio horreorum | Saturninus et | Successus | horreari | donum dederunt | Caesare Vespasiano VI | Tito Caesare imp(eratore) IIII | co(n)s(ulibus)

CIL VI 235 vv. 8—10.

242 Romae, in arcu aquae Marciae (*porta S. Lorenzo*); ex imagine photographa (c. 1/24).

a. 79 0,120



Imp(erator) Titus Caesar Divi f(ilius) Vespasianus Aug(ustus), pontif(ex) max(imus), | tribuniciae potestat(is) IX, imp(erator) XV, cens(or), co(n)s(ul) VII desig(natus) IIX, p(ater) p(atriae) | rivom aquae Marciae vetustate dilapsum refecit et aquam quae in úsú esse desierat reduxit

CIL VI 1246 vv. 1. 2; Canina *edifizi* tab. CCXXVIII, unde mensuras desumpsi.

243 Romae, basis marmorea reperta prope arcum Titi; in museo Neapolitano (c. $\frac{1}{12}$).

a. 79-81



0,071

0,061


Imp(eratori) T. Caesari | Divi f(ilio) | Vespasiano Aug(usto) | pleps urbana | quae frumentum | publicum accipit et tribus [*XXXV*]

CIL VI 943 vv. 1—3 pars dimidia.

---

244 Romae, in arcu aquae Claudiae (*porta maggiore*); ex imagine photographa (c. $\frac{1}{40}$).

a. 81



0,400


Imp(erator) T. Caesar Divi f(ilius) Vespasianus Augustus, pontifex maximus, tribunic(ia) | potestate X, imperator XVII, pater patriae, censor, co(n)s(ul) VIII | aquas Curtiam et Caeruleam perductas a divo Claudio et postea | a divo Vespasiano patre suo urbi restitutas, cum a capite aquarum a solo vetustate dilapsae essent, nova forma reducendas sua impensa curavit

CIL VI 1258 vv. 1—4 pars sinistra; Canina *edifizi* tab. CCXXVI, unde mensuras desumpsi.

---

245 Romae, in arcu Titi in summa sacra via, litteris aere olim incrustatis; ex imagine photographa (c. $\frac{1}{37}$).

a. 81




0,400

Senatus | populusque Romanus | divo Tito divi Vespasiani f(ilio) | Vespasiano Augusto

CIL VI 945 integra; Canina *edifizi* tab. CCXLVI, unde mensuras desumpsi.

I alteram *divi* vocabuli, item Vespasiani ultimam non vidi longiorem esse reliquis litteris. Puncta desunt. Litterarum cava in universum bene conservata sunt, unde imago photographa veram plerumque earum formam reddit.

246 Romae, tabula marmorea ex sepulcro Scipionum; in museo Vaticano. Ex imagine photographa.



M. Iunius Silanus | D(ecimi) Siláni f(ilius), Gaetulici | nepos, Cossi pron(epos) | Lutatius Catulus, X vir(um) | stlitib(us) iudic(andis), Salius Collin(us), vixit | annis XX mensibus VIIII


CIL VI 1439 vv. 1. 2.

Anno 63 pater eius videtur cooptatus esse inter sodales Augustales. Saeculi primi exeuntis certo est, sed quanquam fortasse iam aetati Traianae tribuenda, tamen propter similitudinem quandam cum titulo praecedenti hic posui.

---

247 Romae, tabula marmorea magna effossa a. 1791 prope sepulcrum ad viam Cassiam; in museo Vaticano ($\frac{1}{12}$).

inter a. 69 et 78



0,074 0,064 0,048

[Sex. Appio] Sex. f(ilio) | Volt(inia) Severo, | [IIII vir]o viárum curandárum, | [tribu]no milit(um) leg(ionis) III Gallicae, | [sodal]i Titio, quaestori | [T. Ves]p(asiani) Caésaris Augusti | fili, patrí piissimo | [Appia Sex.] fil(ia) Severa Ceioni Commodi

CIL VI 1348 vv. 1—8 pars dimidia.

Tempus definivit Borghesius op. III p. 10.


V. 2 elementum ultimum non C est, sed O dimidiata.

Culpa ectypi exciderunt quae clare in lapide distinguuntur apices ab Henzeno quoque omissi in vocabulis VIÁRVM [CVRANDÁRVM], CAÉSARIS, *pa*TRÍ.

---

248 Romae, tabula marmorea magna effossa a. 1791 prope sepulcrum ad viam Cassiam; in museo Vaticano ($\frac{1}{12}$).

post a. 78



0,095 0,073 0,079


Appiae Sex. f(iliae) Severae | Ceioni Commodi co(n)s(ulis) | VII vir(i) epulonum

CIL VI 1349 vv. 1—3 pars dimidia.

Cf. Borghesi op. III p. 10 s.

---

249 Romae, ara magna marmorea; extat in museo Florentino ($\frac{1}{6}$).



0,045 0,042


Sécuritáti | cognationis suae | Fortunatus Aug(usti) l(ibertus) | verna paternus | ab epistulis, | accénsus patron(o) | divo Aug(usto) Vespasiano, | lictor cúriat(us), | viát(or) honór(atus) dec(uriae) co(n)s(ularis) et pr(aetoriae) | et sibi et | Epaphrodito Aug(usti) l(iberto) | ab epistulis fratri suo

CIL VI 1887 vv. 6—8.

Errore in textu CIL VI v. 7 DIVO·AVÇ· impressum est; G enim formam habet lapidariam optimam, non paene cursivam illam Ç sive vulgarem.

250 Romae, arae quattuor marmoreae repertae in templo Iovis Dolicheni in Aventino; in museo Capitolino (c. ⅓).

a. 86



0,016


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | et Soli divino | et Genio | venalici | Q. Iulius Maximi | lib(ertus) Felix | cum Iulia Q. f(ilia) Romana | coniuge libens anim(o) | vot(um) solvit | imp(eratore) [Domitiano] Caesar(e) Aug(usto) Ger(manico) XII, | Ser. Cornelio Dolabella co(n)s(ulibus)

CIL VI 398 vv. 11. 12.
Arae illae omnes *Iovi o. m. et Genio populi Romani venalici* positae sunt inter annos 60 et 86. Domitiani nomen erasum est funditus.

---

251 Romae, ex vinea Codini (cf. CIL VI 5346 5797) tabula marmorea; in museo Vaticano (c. ⅓).

a. 94




0,015

P. Rubrius Trophimus et | Rubrius Agatho solarium | refecerunt et vermiculum | straverunt, item pavimentum spicam strave- r(unt) et sedilia | circumitum refecerunt impensa sua | L. Nonio Torquato Asprenate | T. Sextio Magio Laterano co(n)s(ulibus)

Orelli 4240 vv. 6. 7.

---

252 Romae, basis marmorea; in villa Borghesiorum (c. ⅕).




0,042
0,038

T. Antonius T. f(ilius) | Martialis Pu|dentianus q(uae- stor) | p(rovinciae) Afr(icae), tr(ibunus) p(lebi), praet(or), | leg(a- tus) pr(o) pr(aetore) p(rovinciae) Afr(icae)

CIL VI 1346 vv. 1—3.
Aetatis videtur esse fere Vespasianae.

253 Romae, tabella marmorea; in museo Neapolitano (c. ⅕).



0,042
0,032
0,030

P. Turpilius | P. l(ibertus) Eros | hoc monumentum | fecit sibi et suis et eis | qui infra scripti sunt | Viviae Ɔ (mulieris) l(ibertae) Appiae, | Q. Attio Q. l(iberto) Nestori, | Viviae Ɔ (mulieris) l(ibertae) Thymeleni, | Q. Attio Q. l(iberto) Fausto

Cardinali *iscrizioni antiche inedite* n. 161, IN 7112 vv. 1—3 et 6.
Literae videntur esse saeculi primi exeuntis.

254 Romae, ara marmorea; in museo collegii Romani (c. $\frac{1}{3}$).




0,016

Diis Manibus | *M. Trebellio Argolico* | *tabulario viatorum* | *quaestoriorum ab* | *aerario, amico optimo* | *Priscus T. Flavi* | *Polycliti v(iatoris) q(uaestorii) ser(vus)* | *et Trebellia Graphice con(iugi) b(ene) m(erenti)*

CIL VI 1930 vv. 2. 3.
Aetati Flaviae videtur tribuenda esse.

255 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).




0,028

Q. Múlius Q. l(ibertus) Olympus | *Múlia Q. l(iberta) Secunda,* | *C. Lúcilius Q. l(ibertus) Dius* | *vixit ann(is) IV*

Mazochi epigr. urbis f. 136 (cf. emend.; in CIL VI nondum edita); v. 1.
Visa est saeculi primi exeuntis esse.

256 Romae, basis marmorea; in museo Florentino ($\frac{1}{8}$).



0,030

Diis Manibus sac(rum); | *Ser. Sulpicio Aug(usti) l(iberto)* | *Alcimo, aedituo* | *ab Isem Pelagiam,* | *vix(it) an(nis) XXXVII, aedita|vit an(nis) X; fecit uxor Veneria Aprodisia*

CIL VI 8707 vv. 2. 3.
Nomina indicant aedituum Isidis Pelagiae libertum fuisse Galbae imperatoris; unde tempus aliquo modo definitur.

II

MONVMENTA VRBANA AETATIS NERVAE TRAIANI HADRIANI

Initium hic quoque faciendum est ab aedificiis magnis aetate illa conditis eorumque titulis. Atque fori quidem a Nerva dedicati a. 98 titulus (CIL VI 853) periit, sed extat qui litteraturae eius, qualis fuisse putanda videatur, exemplum praebere potest et ipse operis alicuius publici incerti magnificus a. 97, a quo hoc caput incipit (n. 257). Continuavi ei titulum notum ad *clivom Martis* pertinentem (n. 258), quem propter litteraturae pulchritudinem aetati vel huius imperatoris vel Traiani tribuendum esse existimo. Qui praeterea in Nervae annos paucos cadunt tituli, veluti basium aliquot parvarum (CIL VI 951 952) litteris minutis scripti, potuerunt omitti.

Traianae aetatis ars lapidaria quam perfecta fuerit demonstrant qui supersunt maximi moduli tituli *columnae cochlidis* pulcherrime sculptus (n. 265) et *statuae* iuxta eam *Traiano publice positae* non minus elegans (n. 264). Itaque quanquam recte sine dubio imperator Constantinus *Traianum herbam parietariam ob titulos multos aedibus inscriptos appellare solitus erat* (Victoris epit. c. 41; cf. Ammianus XXVII 3, 5), tamen ex urbe ipsa sane non multa servata sunt herbae eius exempla disciplinae huic epigraphicae et palaeographicae utilissimae.


Hadrianus *cum opera ubique infinita fecisset*, ut Spartianus ait (vitae c. 19), *nunquam nisi in Traiani patris templo nomen suum inscripsit.* Eius *templi* ipsius cum servata sit ex parte inscriptio, exemplum inde desumptum curavi repraesentandum (n. 269). *Pontis Aelii* titulus periit (CIL VI 973); e titulo *arcus* sive alius monumenti alicuius *Hadriano* publice erecti superest fragmentum (n. 273); alterius alicuius tituli litteris magnis scripti fragmentum, quod e foro prodiit (CIL VI 3754), nondum vidi. Extant praeterea saxa aliquot magna in foro Traiani reperta, quae *legionum cohortiumque nomina* inscripta habent litteris grandibus et pulchris (CIL VI 2943 3493); quarum elegantia mihi digna visa est aetate Hadriana. In his reliquiis

exiguis sane ex ingenti numero monumentorum, quae Hadriani furor ille aedificandi creaverat, necessario consistendum erat; quae enim praeterea aut extant aut extabant fragmenta titulorum minorum ad Hadrianum spectantium (CIL VI 979—983) nimis exigua sunt, quam ut inde exempla desumi potuerint. Tituli vero sine dubio eleganter scripti, qui olim in *mausoleo Hadriani* fuerunt (CIL VI 984—995), interierunt omnes.

Neque vero desunt alia aetatis huius testimonia epigraphica quamvis aliquanto minoris moduli, sed tamen cum cura sculpta. Exhibere potui exempla desumpta ex epistylio *aediculae Larum* a. 100 restitutae (n. 259), in quo tamen consulum nomina postea addita sunt post opus perfectum opificio minus accurato; item *aediculae* a servo aliquo publico Hadriano factae post annum 103 (n. 260); denique *basis Volcano positae* Traiano imperante (n. 267). Ex basibus *magistrorum fontanorum* unica, quae huius aetatis est (a. 105) periit (CIL VI 156); ex aediculis, quae *geniis centuriarum* consecrari solebant, tres annorum 113 118 130 quae servatae sunt, exempla praebuerunt (n. 266 269 272), scripta illa ex parte litteris exiguis et satis malis (ut n. 272). Contra multo elegantiores habet *basis* Hadriano *a tribulibus tribus Claudiae posita* (n. 268), quae ad pictum exemplum videtur incisa esse. Accedunt monumenta quaedam litteris parvis quidem scripta sed elegantibus, *bases Silvani duae* a. 107 et 111 (n. 261 263) atque *elogium Surae* (n. 262). Qui praeterea extant annorum certorum tituli *a collegio tibicinum et fidicinum* positus a. 102 (CIL VI 2191) scriptus litteris optimis, sed paullo quam reliqui gracilioribus, *epistylium lararii* a. 108, cuius exigua tantum pars superest (CIL VI 958), *titulus aedificii* alicuius incerti a M. Calpurnio Pisone Frugi olim a. u. 683 dedicati, a *Traiano* a. 108 *restituti* (CIL I 594 = VI 1275), *basis agitatoris* alicuius *factionis Venetae* eodem anno inscriptae (CIL VI 10055), *aediculae Larum* a. 109 restitutae (CIL VI 452), *terminus aquae Traianae* anni eiusdem (CIL VI 1260), *epistylium sacrarii numinum* restituti a. 114 (CIL VI 962), cuius tamen litterae ex parte prorsus detritae sunt, *basis Herculis Augusti* a *signatoribus suppostoribus malliatoribus* posita a. 115 (CIL VI 44), basis a *magistris vicorum urbis* posita a. 136 (CIL VI 975), — eos omnes vidi et charta expressos habeo; neque vero ut repraesentarem necessarium duxi. Sunt enim charactere illi scripti omnes fere aequabili, bono, inter nimis altam formam et gracilem nimisque crassam et brevem feliciter temperato, quem praeterea novimus ex magno numero titulorum sepulcralium potissimum, in quibus Ulpii nominantur. Exempla titulorum eius generis esse volui Hadrianae aetatis alterum, i. e. a. 126 (n. 271), incertae, sed paullo etiam nisi fallor recentioris alterum (n. 280). Alia eiusdem litteraturae nominare sufficiat *M. Ulpii Aug(usti) lib(erti) Phaedimi divi Traiani Aug(usti) a potione* cet. positum a. 130 (CIL VI 1884); *Cocceiae Aug(usti) l(ibertae) Restitutae* et *M. Ulpii Aug(usti) l(iberti) Fortunati a comm(entariis) rat(ionis) patrim(onii)* (CIL VI 8502); *Parthenionis Caesaris (servi) et Ulpiae Restitutae uxoris*, item *Ulpiae Calllirhoe* [sic], denique *Ulpiani* alicuius *Aug(usti) n(ostri) vernae*, qui sunt in museo Vaticano omnes nondum in Corpore editi. Unde etiamsi aliis rationibus demonstrari non posset, propter litterarum formam aetati Traianae Hadrianaeve tribuendi essent necessario tituli *Sex. Pedii Hirruti praetoris* (n. 274), *M. Valerii Quadrati* item *praetoris* (n. 275), ara *Bonae Deae* a Caesaris vilico restituta (n. 276); item quae memoro comparandi gratia monumenta sepulcralia haec *C. Clodii C. l(iberti) Euphemi negotiatoris penoris et vinorum* in museo Lateranensi (CIL VI 9671); *Sozontis* alicuius et socii eius *negotiantum vinariorum* (epistylium est magnum in museo Vaticano, cuius litterae in primo versu altae sunt 0,110, CIL VI 9681); mensa rotunda *Petroniae Pelagiae* eius, quae signum *Pleps* habet singulare (CIL VI 10353), si quidem urbana haec est. Contra litteris neglegentioribus et ad scripturam actorum prope accedentibus minutis utuntur tituli *Bonae deae* alter (infra n. 277) et *Deae Syriae* (n. 278), item *Arruntiae Cyrillae* (n. 279), quem propter interpunctionis signa supra litteras posita exhibui. Similiter scripti sunt, sed aliquanto minus accurate sarcophagus *M. Ulpii Romani eq(uitis) R(omani)* in museo Vaticano servatus (CIL VI 1637) et cippus eiusdem musei marmoreus *L. Trebii Fidi quinquennalis collegi perpetui fabrum soliarium Baxiarium* (CIL VI 9404).

257 Romae, basis magna ex lapide Tiburtino, alta palmos $8\frac{1}{3}$, lata palmos $4\frac{1}{2}$; frons et postica pars desectae in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).

a. 97



0,110

0,100


Imp(erator) Nerva | Caesar | Augustus | Germanicus, | pontifex maximus, | tribunicia | potestate II, | co(n)s(ul) III | designatus IIII, | pater patriae | faciundum curavit

CIL VI 952 v. 1. 2.

Ad quale opus publicum sacrumve pertineat titulus, cuius vocabula paene omnia perscripta sunt (praeter *imp.* et *cos.*), ignoratur.

258 Romae, tabula magna marmorea reperta ad portam Capenam; in museo Vaticano. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{14}$).

c. a. 100?



0,140
0,100
0,125
0,100
0,075
0,070
0,075
0,070

Senatus | populusque | Romanus | clivom | Martis | pecunia publica | in planitiam | redigendum | curavit


CIL VI 1270 integra.

---

259 Romae, epistylium marmoreum aediculae repertum in insula Tiberina, longum circiter m. 1,30; in museo Capitolino (*a* c. $\frac{1}{5}$; *b* c. $\frac{1}{3}$).


a. 100

a



0,040
0,030
0,026
0,019

b



0,025
0,022

Laribus Augustis et Genis Caesarum, | imp(eratori) Caesari divi Nervae filio Nervae Traiano Aug(usto) Germ(anico), pontifici maximo, trib(unicia) pot(estate) IIII, co(n)s(uli) III desig(nato) IIII, | permissu C. Cassi Interamnani Pisibani Prisci praetoris aediculam reg(ionis) XIIII vici censori magistri anni CVII | vetustate dilapsam inpensa sua restituerunt, idem pr(aetor) probavit, | L. Roscio Aeliano, | Ti. Claudio Sacerdotae co(n)s(ulibus)

CIL VI 451 vv. 1—4 et 5. 6 pars prior.

Annus definitur tribunicia potestate Traiani quarta et consulatu tertio; consulum nomina postea adiecta sunt sermone rustico et scriptura actuaria. Punctum v. 3 extremo errore adiectum est.

260 Romae, epistylium marmoreum, longum circiter m. 2, scriptum versibus duobus, repertum in Aventino; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).

a. 103-117



0,042

Numini imp(eratoris) Caesaris Nervae Traiani Aug(usti) Germanici Dacici n(ostri) | Crescens Alypianus disp(ensator) fisci frumentari fecit

CIL VI 544 particula v. 1. Dacici titulus incipit ab a. 103, inde tempus definitur.

---

261 Romae, ara marmorea; in villa Ludovisia ($\frac{1}{5}$).

a. 107



0,030


In ara: *Voto suscepto | Tropus | Pomponiae Galeriae | signum | Silvani | cum basi inpensa sua | posuit dedicavitq(ue) | VIII k(alendas) I(ulias) Sura III co(n)s(ule)*
In corona: *C. Cornelius Vitalis | refecit usque maceria(m)*

CIL VI 622 v. 11.
Coronae titulus videtur postea adiectus esse; unde de tempore, quo ara dedicata sit, non dubitandum quin annus sit s. s., quo L. Licinius Sura tertium consul fuit. Litterarum magnitudo variat; Silvani et Tropi nomina scripta sunt litteris altioribus (0,044 et 0,042), versus paenultimus minoribus (0,020).

---

262 Romae, basis magna in Caelio monte reperta; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{5}$).

post a. 107



0,022

[L. Licinio L. f(ilio) Serg(ia) Surae, co(n)s(uli) ter | ...... cum?] | imp(erator) Caesar Nerva Traianus [Aug(ustus) Germanicus] | Dacicus gentem Dacor(um) et regem Decebalum | bello superavit sub eodem duce leg(ato) pro pr(aetore) ab | eodem donato hastis puris VIII vexillis VIII coronis muralib(us) II vallaribus II classicis II | auratis II e. q. s.

CIL VI 1444 vv. 4—6 pars prior.
Elogium inscriptum in basi statuae a senatu positae L. Licinio Surae claro duci, consuli III a. 107; unde tempus definitur.

---

263 Romae, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

a. 111




0,034
0,024
0,015

Silvano sancto | L. Vallius Solon | porticum | ex voto fecit, | dedicavit k(alendis) Aprilib(us) | Pisone et Bolano co(n)s(ulibus)

CIL VI 691 vv. 1. 3. 5. 6.

264 Romae, basis marmorea in foro Traiano, ubi extat $(\frac{1}{6})$.

a. 113



0,075

0,073


0,065

S(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) | imp(eratori) Caesari divi | Nervae f(ilio) Nervae | Traiano Augusto Germanico Dacico, | pontif(ici) max(imo), tribunicia | [po]test(ate) XVI, imp(eratori) VI, co(n)s(uli) VI, p(atri) p(atriae), | optime de re publica | [merit]o domi fori[sque]

CIL VI 959 vv. 1—3.

265 Romae, in basi columnae cochlidis Traiani in foro eius $(\frac{1}{8})$.

a. 113



0,103

Senatus populusque Romanus | imp(eratori) Caesari divi Nervae f(ilio) Nervae | Traiano Aug(usto) Germ(anico) Dacico, pontif(ici) | maximo, trib(unicia) pot(estate) XVII, imp(eratori) VI, co(n)s(uli) VI, p(atri) p(atriae) | ad declarandum quantae altitudinis | mons et locus tantis operibus sit egestus

CIL VI 960 vv. 1—6 particulae.

Specimina, quae exhibui, litterarum omni ratione perfectarum exempla praebent omnium alphabeti praeter has B G H K; litterae K H omnino in hoc titulo desunt. Vv. 4. 5 huius exempli in eodem versu extant.

266 Romae, tabella marmorea effossa in monte Caelio; in museo Vaticano (c. ⅓).

a. 113



0,025

C. Clodio Crispino co(n)s(ule), | Q. Rammio Martiale pr(aefecto), C. Maesio Tertio s(ub) pr(aefecto), | L. Numerio Albano tr(ibuno) | 7 (centuria) C. Iuli C. f(ilii) Serg(ia) Rufi Iader principales | infra scripti aediculam et Genium centuriae d(onum) d(ant) | sequuntur nomina principalium duodecim

CIL VI 221 v. 1.
Dedicatio aediculae genii centuriae cohortis quintae vigilum facta anno s. s. P non tam clausa est, quam in imagine mea apparet.

---

267 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (⅕).

inter a. 98 et 117



0,030


Cn. Octavius Titinius Capito | praef(ectus) cohortis, trib(unus) milit(um), donat(us) | hasta pura corona vallari, proc(urator) ab | epistulis et a patrimonio, iterum ab | epistulis divi Nervae, eodem auctore | ex s(enatus) c(onsulto) praetoriis ornamentis [sic], *ab epistul(is) | tertio imp(eratoris) Nervae Caesar(is) Traiani Aug(usti) Ger(manici), praef(ectus) vigilum Volcano d(onum) d(at)*

CIL VI 798 v. 1. Traiano imperante aram positam esse apparet.

---

268 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano (⅙).

inter a. 117 et 138



0,036

[Imp(eratori) Caesari divi Nervae nepoti], | divi Traiani Parthici f(ilio), [Traiano Hadriano Aug(usto)] | voto suscepto p[ro incolumitate itu ac] | reditu victoria[que eius ......] | tribul(es) trib(us) Claudia[e ...

CIL VI 980 vv. 3. 4.

---

269 Romae, tabella marmorea parva, reperta prope templum Martis Ultoris; in museo Capitolino (½).

a. 118




0,012
0,008

Genio centuriae C. Tu .... [aram] | et aediculam omni im[pensa cum colum]nis et cancello aereo cum [..........] | A. Pontius L. f(ilius) Scap(tia) Pris[cus ....] | ordinatus missus hon[esta missione ex praeto]rio ab optimo maximo im[p(eratore) Hadriano Aug(usto)] | imp(eratore) Caesare Traiano [Hadriano Aug(usto)] | II et Libone co(n)s(ulibus) d(onum) d(edit)

CIL VI 207 vv. 7. 8 pars dimidia servata.
Consulatus Hadriani alter et Libonis in mensem Aprilem anni s. s. creditur incidere.

270 Romae, tabula magna marmorea litteris maximis olim aere incrustatis; in museo Vaticano. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{25}$).

post a. 119



0,150


[Ex s(enatus) c(onsulto)· di]vis Traiano Parthico et | [Plotinae im]p(erator) Caes(ar) di]vi Traiani Parthici [f(ilius) | divi N[ervae nepos Traia]nus Hadrianus Au[gustus] | p(ontifex) m(aximus), | trib(unicia) pot(estate) ..., co(n)s(ul) III parentibus sui[s]

CIL VI 966 (cf. add. p. 841) vv. 2. 3. Huius quoque tituli litterae aereae ipsae videntur fuisse elegantiores, quam cava earum minus bene servata.

---

271 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{3}$).

a. 126



0,033
0,030


D(is) M(anibus) | M. Ulpio Aug(usti) l(iberto) | Menophilo adiutori | proc(uratoris) ab ornamentis; | vixit annos XXXV mens(es) V; | posuerunt | P. Aelius Aug(usti) l(ibertus) Menophilus | pater et Caminia Fortunata | mater infelicissima et Iulia | Passerilla coniux pientissima ex decretu | sociorum Annio Vero III et Eggio Ambibulo co(n)s(ulibus)

CIL VI 4228 vv. 2. 3.

---

272 Romae, basis marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{2}$).

a. 130




0,018
0,016
0,014

C. Marcius C. f(ilius) | Serg(ia) Salvianus | Norba | Genio centuriae | coh(ortis) X pr(aetoriae) 7 (centuriae) Mari Bassi, | in qua militavit a(nnos) XIIX, | voto suscepto | missus honesta missi|one pr(idie) Non(as) Ianuarias | Q. Fabio Catullino M. Flavio | Apro co(n)s(ulibus)

CIL VI 208 vv. 8—11. Scriptura est actuaria neglegenter incisa.

273 Romae, fragmentum tabulae marmoreae litteris olim aere incrustatis repertum in foro; in museo Capitolino ($\frac{1}{5}$).

a. 135



0,130 0,110 0,085 0,062

[S(enatus) p(opulus)q(ue)] R(omanus) | imp(eratori) Caes(ari) divi Traiani] Parthici f(ilio), | divi Nervae n(epoti), Traiano Ha]driano Aug(usto) | [ponti(fici) max(imo), imp(eratori) II, trib(unicia) pot(estate) XVI]II, co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae), | [quod summo animi a]rdore misso | [exercitu exantlatis lab]oribus max[imis | rem publicam ab ho]ste liberaverit

CIL VI 974 vv. 1—4 pars superstes. Litterae aereae cum ex marmore evellerentur, videntur cava earum hic illic paullo latiora facta esse neque pristinam formarum elegantiam servavisse.

---

274 Romae, cippus magnus marmoreus cum protome viri; in villa Borghesiorum (c. $\frac{1}{15}$).




0,095

Sex. Pedio | Sex. f(ilio) Arn(iensi) | Hirruto | praet(ori) | Sex. Pedius Hirrutus Lucilius Pollio fil(ius) fecit

CIL VI 1485 vv. 1—3. Aetatis fere Traianae sive Hadrianae.

275 Romae, basis marmorea; in villa Borghesiorum ($\frac{1}{8}$).



0,050 0,033

M. Valerio M. f(ilio) Quirina | Quadrato, X viro | stlit(ibus) iud(icandis), trib(uno) laticl(avio) | leg(ionis) III Aug(ustae), seviro | equitum R(omanorum), q(uaestori) Aug(usti), | trib(uno) pleb(is) candidato, | praetori, VII viro | epulonum

CIL VI 1533 vv. 1. 2. 7.

Homo aliunde ignotus, sed pertinet sine dubio ad Valerios multos illustres saeculi alterius, qui noti sunt. Propter litteraturam aetati Hadrianae fere videtur tribuenda esse.

---

276 Romae, basis marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{6}$).



0,034

Voto suscepto | Bonae deae | Astrapton Caesaris vilic(us) | aediculam aram saeptum clusum | vetustate diruta restituit

CIL VI 56 v. 3. Litterae sunt elegantes, minus profunde incisae, aetatis puto Hadrianae.

277 Romae, tabula marmorea reperta in via Ostiensi; in museo Vaticano (c. 1/7).



0,040

0,010

Felix publicus | *Asinianus pontific(um) Bonae Deae agresti felici* | *votum solvit iunicem alba(m) libens animo ob luminibus restitutis, ... derelictus a medicis post* | *menses decim bineficio dominaes medicinis sanatus, per* | *eam restituta omnia ministerio Canniae Fortunatae*

CIL VI 68 vv. 1 et 8.

278 Romae, ara marmorea cum imagine deae sedentis inter duos leones; in museo Capitolino (c. 1/4).



0,026

0,012

P. Acilius Felix | *d(onum) d(at) Diasuriae cum suis*

CIL VI 115 integra.

279 Romae, tabella marmorea; in museo Kircheriano (c. 1/3).



0,014

D(is) M(anibus) | *Arruntia Cyrilla* | *Paccio Agathino con|iugi b(ene) m(erenti) fecit*

CIL VI 12442 vv. 1. 2.

280 Romae, cippus marmoreus; in villa Borghesiorum (1/5).



0,030

D(is) M(anibus) | *et m(emoriae) m .... M. Ulpi Heliadi* | *fecerunt M. Ulpius* | *Praenestinus et* | *Aelia Helias filio* | *dulcissimo;* | *v(ixit) an(num) I m(enses) II d(ies) XXIV*

Grut. p. 716, 4 (in CIL VI nondum edita) v. 2. Altera M videtur errore addita esse; nisi est *m(e)m(oriae)*.

III

MONVMENTA VRBANA AETATIS ANTONINORVM


E Pii divorumque fratrum imperio tituli aedificiorum magni non supersunt; supersunt titulus columnae cochlidis *divo Pio* erectae et epistylii aedis *divi Antonini et divae Faustinae,* quos exhibui (n. 294 295). Qui sequitur aetate arcus *Marco* factus a. 176 (CIL VI 9014) periit; extat fragmentum epistylii marmorei ad *Ianum* aliquem pertinens, ut videtur, inscriptum a. 191 in museo Vaticano (CIL VI 1541), quod non curavi repraesentandum. Exempla scripturae quadratae pulchrae bases praebent *a pullariis* posita a. 146 (n. 282), *L. Aemilii Kari* (n. 283), *loci adsignati* a. 150 et a. 161 a curatoribus aedium

sacrarum (n. 288 293), *arae Soli* a. 158 et *Soli invicto Mithrae* a. 184 positae (n. 291 305), cippus *Corneliae Proculae* (n. 296), statua *Marci fratris Arvalis* (n. 297), epistylium *aediculae Genio* alicui *exstructae* a. 168 (n. 298), cippus terminalis *L. Veri* (n. 300). Quae praeterea servatae sunt basis una *a magistris fontanis* posita (reliquae enim eiusdem aetatis perierunt omnes) a. 123 (CIL VI 157), *Geniis centuriarum* a praetorianis positae annis 150 168 174 181, quarum proposui exempla aliquot (n. 289 298 299 302 303; reliquarum enim pleraeque perierunt), minus pulchre scriptae sunt, ut in hoc genere monumentorum a militibus factorum saepius iam observavimus. Eadem scriptura neglegenti utuntur *arae Silvani* a. 149 posita (CIL VI 644) et *Solis* a. 161 (CIL VI 725). Nec multo maiore cura incisus est *titulus sepulcralis* a. 149 (n. 284), cui addidi specimina ex basibus Herculis et Silvani atque ex altero titulo sepulcrali eodem anno scripta omnia, sed admodum diverse (n. 285 286 287), deinde a. circiter 160 (n. 293), item militis anno incerto positus (n. 311). Idem cadit in titulum sepulcralem hominis senatoriae dignitatis (n. 301), qui incisus est litteris paene cursivis. Tamen in universum hac quoque aetate artem lapidariam urbanam nondum defecisse tituli docent permulti optime inscripti, quanquam litteris interdum minutis tantum, quorum hos memorare iuvat annis plerumque certis tribuendos, basis *Pio* positae *a scribis armamentariis* a. 138 in museo Capitolino (CIL VI 999), arae *Herculis salutaris* a. 159 in museo Neapolitano (CIL VI 338), tabulae honorariae *M. Servilii Q. f(ilii) Hor(atia) Fabiani Maximi legati Augustorum pro praetore provinciae Mysiae* in museo Vaticano (CIL VI 1517), basis *divae Piae Faustinae* in museo Capitolino (CIL VI 1019), tabulae marmoreae honorariae *M. Macrinii Aviti M. f(ilii) Claud(ia) Catonii Vindicis* consulis anno incerto in museo Vaticano (CIL VI 1449), fragmenti tabulae magnae honorariae *Petronio Mamertino* fortasse consulis a. 182 positae in eodem museo (CIL VI 1488). Quorum comparatione ductus titulum a decemviris stlitibus iudicandis inscriptum plintho protomae iuvenis, quam *M. Aurelii Caesaris* faciem referre puto, ei aetati adscripsi (n. 281); item titulos sepulcrales *P. Iunii Numidae* (n. 304), *L. Pompei Aug(usti) lib(erti) Fortunati* (n. 306), *Genii Noricorum* (n. 307), *Cn. Arrii* alicuius *Apheteri* (n. 308).

Aetate Commodiana, sive saeculo altero ad finem vergente, scripturam minus accuratam frequentiorem fieri tituli docent permulti; veluti, ut unum memorem, qui in *statione cohortis secundae vigilum* fuit Iovi Dolicheno et Commodo primum a. 181, deinde Septimio Severo sacer in museo Capitolino servatus (CIL VI 414). Satis accurate scriptus est, quamvis sermone graecissante, titulus *arae Solis Mithrae* a. 184 (n. 306). Unde hic ponere placuit etiam *Cerelliae Fortunatae* titulum (n. 309); quem ipse olim saeculi primi esse credidi, litterarum autem forma diligentius considerata aetati fere Commodianae tribuo; comparetur cum eo quamvis accuratius scriptus *arae Solis* a. 158 (n. 291). Atque cum hac aetate etiam versuum Graecorum artem convenire ab harum rerum peritis audio. Nam ut e Claudiorum Flaviorum Ulpiorum titulis urbanis et suburbanis, saeculi illis primi exeuntis secundique ineuntis, ita ex Aeliorum Aureliorumque ingenti multitudine saeculi secundi exeuntis χαρακτήρ in universum satis clare deprehenditur. Quem quamvis putem apparere in exemplis hoc capite propositis, tamen praeterea memoro eiusdem generis titulos a me inspectos sepulcrales hos *Pieri Caesaris vern(ae) a commentariis fisci Asiatici* in museo Vaticano (CIL VI 8572); *M. Aurelii Aug(usti) lib(erti) Phileti prepositi* [sic] *unctorum* cet. in museo Neapolitano (CIL VI 8582), qui formas habet crassas breves angulatas aetatis Commodianae (fere ut n. 307); *Alcimi Caes(aris) n(ostri) ser(vi) structoris* in museo Lateranensi (CIL VI 8795); *Alexandri Aug(ustorum) ser(vi)* in museo Kircheriano, conceptum illum neglegenter et scriptum subrustice (CIL VI 8987); *L. Aelii* [sic enim, non *Allii*, ut in corpore editum est, legitur in lapide aperte] *Proti scrib(ae) unctorum* in museo Vaticano (CIL VI 9995), qui scriptus est litteris altioribus et gracilibus, fere ut *Cn. Arrii Apheteri* (supra n. 308); *Aelii Euporisti* in eodem museo (CIL VI 10690); *Aeliae Arsinoe* et *Aelii Hilari* tabulam marmoream musei Neapolitani (CIL VI 10848); denique *L. Arrii Pistiani* in museo Vaticano servatum (CIL VI 12377). Ceterum scribendi rationem in urbe aliquanto prius degenerasse quam in municipiis Italicis et ex parte etiam in provinciis tituli huius aetatis videntur docere, quos proximis paragraphis proponam; quanquam non mirum est, saepius etiam provinciales titulos male scriptos esse.

281 Romae, in pede protomae iuvenis togati; in museo Britannico (c. $\frac{1}{3}$).

c. a. 138



0,017


Decemviri stlitibus iudicandis

CIL VI 1579 integra.

Iuvenis mihi visus est esse M. Aurelius Caesar, cui protomen fortasse posuerunt decemviri collegae circiter anno s. s.

282 Romae, basis marmorea reperta in Aventino; in museo Capitolino (c. 1/7).

a. 146



0,050
0,042

In fronte: *M. Aurelio Caesari | co(n)s(uli) II, | imp(eratoris) Caesaris | T. Aeli Hadriani | Antonini Aug(usti) Pii | pontific(is) maximi, | tribunic(ia) potest(ate) VIIII, | imp(eratoris) II, co(n)s(ulis) IIII, p(atris) p(atriae) filio | decuriales pullari | et h(onore) u(si)*

In latere: *locus adsignatus | Lolliano Avito et Statilio M[aximo] | cur(atoribus) operum publicorum; | dedicat(a) pr(idie) nonas Iunias | Sex. Erucio Claro II Cn. | Claudio Sev[ero co(n)s(ulibus)]*

CIL VI 1008 vv. 1—4 pars prior. Consules in titulo lateris indicati sunt anni s. s.

---

283 Romae, tabula magna marmorea; in museo Capitolino (c. 1/9).

inter a. 138 et 161



0,056
0,034

L. Aemilio L. f(ilio) Cam(ilia) Karo co[(n)s(uli)], | leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provinciae Cappadociae, | leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) censitori provinciae Lugdunensis, | leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provinciae Arabiae, | curatori viae Flaminiae, leg(ato) leg(ionis) XXX U(lpiae) v(ictricis), | praet(ori), trib(uno) pleb(is), quaest(ori) Aug(usti), | trib(uno) militum leg(ionis) VIII Aug(ustae), | trib(uno) militum leg(ionis) VIIII Hispanae, | X viro stlitib(us) iudic(andis), | sodali Flaviali, XV viro s(acris) f(aciendis), | C. Iulius Erycianus Crispus praef(ectus) alae primae Ulpiae Dacorum | amico optimo

CIL VI 1333 vv. 1. 2. Aemilius Karus consul est anni incerti, legatus Cappadociae sub Antonino Pio. Observa tituli cola singula magna cum aequalitate versibus fere singulis comprehensa esse.

---

284 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. 1/7).

a. 149




0,043

L. Balbilius Numitorianus natus pr(idie) idus Maias Antonio Hibero et Mummio Sisenna co(n)s(ulibus) decessit VII k(alendas) Ianuarias | Orfito et Prisco co(n)s(ulibus), | q(ui) vix(it) an(nos) XVII m(enses) VII d(ies) XII Numitoria Cleopatra mater infelicissima fecit

CIL VI 13505 v. 6. Consules sunt anni s. s.

285 Romae, ara marmorea parva; in museo Capitolino (2/3).

a. 149



0,008 — 0,007 — 0,005


Sanctissimo Herculi | invicto | corpor(is) custodiarior(um) | L. Curtius Abascantus cum | Curtio Gaudente f(ilio) | imm(uni) a(nnis) IIII | crateram argyrocorintham cum basi sua et hypobasi marmorea | sua pecunia donum | dederunt; | dedicat(a) VIII k(alendas) Iun(ias) | Ser. Scipione Orfito Q. Non(io) Prisco co(n)s(ulibus)

CIL VI 327 vv. 9—11. Lapidarius alterius consulis nomen gentilicium videtur ignoravisse et postea demum adiecisse.

---

286 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (1/4).

a. 149



0,024 — 0,023 — 0,020

Silvano Flaviorum | Cassianus T. Flavi Aug(usti) lib(erti) | Celadi libertus fecit una cum Flavis Cassiano et Amando filis; inchoata Antonino Aug(usto) Pio p(atre) p(atriae), dedicata XV k(alendas) April(es) | Scipione Orphito et | Sosio Prisco co(n)s(ulibus)


CIL VI 644 vv. 1—3 pars prior et 8. 9.

Cum exempla huius tituli duo novicia extent Urbini (si vere novicia sunt), de huius quoque antiquitate mota est dubitatio inprimis propter *Orphito* scripturam graecissantem. Neque vero condemnare ausus est Henzenus; recte, nam scriptura videtur vetusta esse, sed neglegenter sculpta.

---

287 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (1/2).

a. 149




0,016

D(is) M(anibus) | P. Ael(ius) Aug(usti) lib(ertus) Iobacchus fecit et | pedaturam dedit ante titul(um) p(edes) XXX, | ante front(em) p(edes) XXX et in agro quoq(uo) | p(edes) centenos; Yacintho verna(e) suo | et sibi liber(is) lib(ertis) libertabus suis pos|terisque eorum excipit itus actus | aditus ambitus, item aquae aeram(enta?), | funem pistrini, furni | virgar(ia) ligni | sacrificiis faciundis et cetera quae | in lege publica continentur; hoc mo|numentum heredem non sequitur; | h(uic) m(onumento) d(olus) m(alus) a(besto) b(ene) m(erentis) m(emoriae) c(ausa)?; | Orfito et Prisco co(n)s(ulibus)

CIL VI 10235 v. 14.

288 Romae, basis ingens marmorea, cuius facies periit; in museo Vaticano (1/5).

a. 150



0,032 0,025 0,022

Locus adsignatus | *a Salvio Iuliano et Popilio Pedone cur(atoribus)* | *aedium sacrarum locorumque publicorum* | *dedic(atum) XIII k(alendas) Oct(obres) Gallicano et Vetere co(n)s(ulibus)*

CIL VI 855 vv. 1—4 pars dimidia. Consules sunt anni s. s.

---

289 Romae, tabula marmorea; in villa Albania. Ex imagine photographa (c. 1/5).

a. 150



0,032 0,027


Gallicano et Vetere co(n)s(ulibus) | *VII id(us) Ian(uarias) coh(orti) I pr(aetoriae) 7 (centuria)* | *Satri genio 7 (centuriae) missi* | *honesta missione VII* | *Hibero co(n)s(ule)* | sequuntur nomina quinque | *Serviano III co(n)s(ule)* | sequuntur nomina duo

CIL VI 209 vv. 1. 2. Consules sunt anni s. s.

---

290 Romae, fragmentum tabulae marmoreae pertinentis ad aediculam, quae fuit in monte Caelio; in museo Vaticano (c. 1/6).

a. 156




0,016

C. Calpurnio Pisone M. Vettio Bolano co(n)s(ulibus) | [i. e. a. 111] e. q. s. *aedicula facta cum* | *Genio* ....., *quam* | *M. Ceionio Silvano C. Serio Augurino co(n)s(ulibus)* [i. e. a. 156] e. q. s. | *Ti. Claudius Ti. f(ilius) Fab(ia) Messallinus Heracl(ea) 7 (centurio) coh(ortis) s(upra) s(criptae)* [i. e. quintae vigilum] | *vetustate corruptam adampliavit columnis* | *purpuriticis, valvis aereis, marmore et omni* | *ornamento a novo ex pecunia furfuraria* | *7 (centuriae) volentibus manipulis suis quor(um)* | *nomina in tab(ula) aer(ea) scripta sunt*

CIL VI 222 vv. 8. 9 pars prior.

291 Romae, ara parva marmorea cum protome dei Solis; in museo Capitolino (c. 1/6).

a. 158



0,029 0,025 0,020 0,016


Soli invicto deo | ex voto suscepto | accepta missione | honesta ex nume|ro eq(uitum) sing(ularium) Aug(usti) P. | Aelius Amandus | d(onum) d(at) Tertullo et | Sacerdoti [sic] *co(n)s(ulibus)*

CIL VI 715 vv. 1—8, i. e. tituli integri, pars dimidia.

---

292 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. 1/4).

post a. 160



0,022

D(is) M(anibus) | Iul(io) C. f(ilio) Fabia Roma | Seio iuniori veteran(o) | Aug(usti); militavit in chorte | XI urb(ana) 7 (centuria) Valeri annis X, | missus honesta missio(ne) | V idus Ianuarias Appio | Annio Atilio Bradua | T. Vibio Varo co(n)s(ulibus), vixit | annis XXXX diebus XX; | fecit Iul(ia) Palestrice co|iugi benemerenti


CIL VI 2896 vv. 7—9.

Videtur mortuus esse paullo post missionem acceptam anno s. s. Praenomen consulis alterius T. fuisse aliunde constat.

---

293 Romae, tabula marmorea e basi desecta; in museo Vaticano (c. 1/4).

a. 161



0,021


Locus adsignatus ab | Iallio Basso et | Commodo Orfitiano | cur(atoribus) oper(um) publ(icorum) c(larissimorum) v(irorum) | cur(antibus) M. Caecilio Athenaeo | M. Valerio Midia | L. Aelio Amphitale, | dedic(ata) XVIII k(alendas) Ian(uarias) | Augustis n(ostris) | Antonino III et Vero II co(n)s(ulibus)

CIL VI 1119*b* vv. 1—4.

Facies anterior basis inscriptione antiquiore erasa titulum Diocletiani exhibet. In latere circa simpulum titulus hic inscriptus est. Annus Marci III et Veri II consulum est s. s. Cf. n. 288.

294 Romae, basis columnae cochlidis Antoninianae, litteris olim aere incrustatis; in horto Vaticano *della pigna*. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{20}$).

post a. 161 0,200




Divo Antonino Aug(usto) Pio | Antoninus Augustus et | Verus Augustus filii

CIL VI 1004 integra; Piranesi vol. X tab. XXXII satis accurate; Canina *edifizi* tab. CCLXI, unde mensuras desumpsi. Tenendum est litterarum cava tantum extare, litteras aereas ipsas desiderari.

---

295 Romae, in epistylio porticus aedis Antonini et Faustinae in foro, litteris olim aere incrustatis. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{60}$).

post a. 161 0,425



Divo Antonino et | divae Faustinae ex s(enatus) c(onsulto)


CIL VI 1005 integra; Canina *edifizi* tab. XXIV, unde mensuras desumpsi. Vide quae adnotavi ad n. 294.

---

296 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano ($\frac{1}{3}$).

inter a. 161 et 180

0,048
0,040
0,037
0,035



D(is) M(anibus) | Corneliae | Procula et | Placida fecer(unt) | L. Stertinio Quin|tiliano Acilio | Straboni Q. Corne|lio Rustico Apronio | Senecioni Proculo | proconsuli provin|ciae Asiae patri bene | merenti

CIL VI 1387 vv. 2—6. Homo hic polyonymus proconsul Asiae fuit Marco et Vero imperantibus.

297 Romae, basis marmorea ex luco fratrum Arvalium; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).

a. 163



0,039
0,034

Imp(eratori) Caes(ari) divi A[ntonini] | Pii f(ilio), divi Had[riani] | nepoti, divi Tr[aiani] | Parthici prone[poti], | divi Nervae abnepoti | M. Aelio Aurel[io] | Antonino Aug(usto), p(ontifici) m(aximo) | trib(unicia pot(estate) XVII, co(n)s(uli) III, | fratri Arvali

CIL VI 1012 vv. 6. 7. Temporum notae incidunt in annum s. s.

---

298 Romae, tabula marmorea reperta ad forum Traiani; in museo Vaticano ($\frac{1}{9}$).

a. 168



0,067

[*L. Valerio Aproniano II L.*] *Sergio Paulo II co(n)s(ulibus)* | [*genium cum aede et alta*]*rib(us)? V, sedem exstructo tribunali* | [*cum opere tecto*]*rio? milites infra scripti fecerunt* sequitur laterculum militum

CIL VI 3559 v. 1 pars servata. Supplementa apposui ludendo; consules sunt anni s. s.

---

299 Romae, ara parva marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).

a. 174



0,028

M. Autius M. f(ilius) | *Stel(latina) Agricola* | *Taurinis* | *missus honesta* | *missione* | *Flacco et* | *Gallo co(n)s(ulibus)* | *aram genio* | *centuriae* | *d(onum) d(at)*

CIL VI 211 vv. 6. 7.

---

300 Romae, lapides magni tres terminales, quorum hic qui solus extat est in villa Albania (c. $\frac{1}{5}$).

post a. 175




0,068

Imp(erator) Caesar M. Aurelius | *Antoninus Aug(ustus)* | *Germanicus Sarmat(icus) et* | *imp(erator) Caesar L. Aurelius* | *Commodus Aug(ustus)* | *Germanicus Sarmatic(us)* | *hos lapides constitui iusserunt* | *propter controversias quae* | *inter mercatores et mancipes* | *ortae erant uti finem* | *demonstrarent vectigali* | *foriculari et ansarii* | *promercalium secundum* | *veterem legem semel dum* | *taxat exigundo*

CIL VI 1016 vv. 4. 5 pars prior. Anno s. s. imperatores nomina Germanicorum et Sarmaticorum susceperunt.

301 Romae, basis parva marmorea litteris malis; in museo Kircheriano (c. $\frac{1}{4}$).



0,027

0,025

C. Sabucio | *Maior[i]* | *Caecilian[o]* | *cons(ularis) m(emoriae) v(iro)* | *C. Sabucius* | *Maior Plotinus* | *Faustinus c(larissimus) i(uvenis)* | *nepos*


CIL VI 1510 vv. 1—4. Aetate Commodiana vir ille consul fuit.

---

302 Romae, epistylium marmoreum aediculae; in museo Vaticano (*a* $\frac{1}{4}$; *b* $\frac{1}{3}$).

a

a. 181




0,022

0,021

b

0,015




Signum geni centuriae cum aede marmoribus exornata et ara sua pecunia fecerunt | *7 (centurio) Q. Socconius Q. f(ilius) Cru(stumina) Primus Tuder et evocati et milites quorum nomina in ara scripta sunt;* | *dedicat(a) kal(endis) Iunis* | *imp(eratore) M. Aurelio Commodo Antonino Aug(usto) III L. Antistio Burro co(n)s(ulibus)*

CIL VI 213 vv. 1. 2 init. et v. 4 pars prior. Consules sunt anni s. s.

---

303 Romae, epistylium aediculae marmoreae; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).

a. 181




0,038

In fastigio: *Gen(io) 7 (centuriae)*

In epistylio: *Signum genium centuriae* e. q. s. *fecer(unt) 7 (centurio) C. Veturius C. f(ilius) Pol(lia) Rufinus L(epido) R(egio) item et evocati et milites* e. q. s. *imp(eratore) Commodo III et Burro co(n)s(ulibus)*

CIL VI 212 v. 1.

304 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).



0,055


0,049

D(is) M(anibus) | *P. Iunii M. f(ilii)* | *Hor(atia)* | *Numidae* | *tr(ibuni) m(ilitum) leg(ionis) VI* | *victricis patris* | *piissimi*

CIL VI 3525 vv. 2—4.

305 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano ($\frac{1}{5}$).

a. 184



0,030 0,027 0,024 0,023 0,021 0,016


M. Aurelius | *Aug(usti) lib(ertus) Euprepes* | *Soli invicto Mi*|*thrae aram* | *ex viso posuit* | *prosidentibus Bi*|*ctorino patre et Ia*|*nuario dedicata* | *IIII non(as) Iunias L. Eggi*|*o Maryllo et Papi*|*rio Ailiano co(n)s(ulibus)*

CIL VI 723 integra.

Graecum scriptorem indicant soloecismi *prosidentibus Bictorino Maryllo Ailiano.*

Consules sunt anni s. s.

306 Romae, cippus marmoreus; servatur Florentiae in museo publico ($\frac{1}{4}$).



0,023 0,026

D(is) M(anibus) | *L. Pompeio Aug(usti) lib(erto)* | *Fortunato,* | *numiclatori* | *a census, lictori* | *Aug(usti) III decuriar(um)* | *Pompeia Pia* | *uxor viro* | *rarissimo fecit*

CIL VI 1878 vv. 4. 5. Saeculi visa est circiter secundi medii.

307 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{6}$).



0,036 0,044

Genio | *Noricorum* | *L. Iulius Bassus* | *stationarius eorum* | *d(onum) d(at)*

CIL VI 250 vv. 1. 2.

308 Romae, tabella marmorea; in museo Neapolitano (c. $\frac{1}{5}$).




0,032

D(is) M(anibus) | *Cn. Arri Apheteri* | *Arrius Anicetus* | *et Arria Successa* | *conliberto* | *b(ene) m(erenti)* | *fecerunt*

CIL VI 12368 vv. 1. 2.


309 Romae, tabula marmorea; extat in columbario villae Pamphiliae, ubi reperta est (1/3).



0,010



0,017



0,011

D(is) M(anibus). | *Cerelliae Fortunatae coniugi carissimae* e. q. s. *et A. Lelio Apeliti clienti karissimo; quem boluerit dodationis causa sarcofagum eligat sibi, [pr]opter quod in tam ma[g]na clade non me reliquerit cuius beneficia [h]abeo*


Carmen Graecum ita incipit: μή μου παρέλθῃς τὸ ἐπίγραμμα, ὁδοιπόρε,
ἀλλὰ σταθεὶς ἄκουε καὶ μαθὼν ἄπι·
οὐκ ἔστι ἐν Ἅδου πλοῖον, οὐ πορθμεὺς Χάρων
οὐχ Αἴακος κλειδοῦχος, οὐχὶ Κέρβελος κύων.
Ἡμεῖς δὲ πάντες οἱ κάτω τεθνηκότες
ὀστέα τέφρα γεγόναμεν, ἄλλο δὲ οὐδὲ ἕν
sequuntur versus octo

H(uic) m(onumento) d(olus) m(alus) a(besto). A. Laelius Apelles in hoc monumento aditum ambitum iubeo habere. Iusso Antoni Encolpi Olo Lelio Apelleti uno sarchofago itum ambitum havere devevet, amico optimo

CIL VI 14672 vv. 13. 14. 15. 21. 22 pars sinistra, vv. 11. 12 pars dextra. Omnia sic barbare scripta sunt.

---

310 Romae, cippus ex lapide Tiburtino forma tabulae altae; in museo Capitolino (c. 1/6).



0,038

Q. Aconius | *Q. f(ilius) Pup(inia)* | *Messor* | *Laude,* | *mil(es) coh(ortis) XI pr(aetoriae)* | *7 (centuria) C. Calpurni* | *Taciti,* | *stipend(iorum) XIIX,* | *vix(it) ann(os) XL,* | *test(amento) fieri* | *iussit;* | *h(ic) s(itus) e(st)*

CIL VI 2762 vv. 6. 7.

CAPVT SECVNDVM

MONVMENTA ITALICA

I

MONVMENTA LATII ET ETRVRIAE

E regionibus supra scriptis urbi vicinis selegi monumenta quaedam scripturae genere insignia, quae urbana potissimum musea suppeditabant, cum ante volumen XIV corporis absolutum plenius de eis iudicari nequeat. Disposui ita, ut praecedant municipiorum suburbanorum monumenta origine unius cuiusque neglecta, sequantur Ostiensia, finem faciant oppidorum trans Tiberim sitorum Tuscorum potissimum; in uno quoque autem ordine tempora respexi, quoad fieri potuit.

Itaque initium facit aetatis Traianae ara *Dianae Nemoresi Vestae* sacra a. 100 in eius nemore reperta (n. 311). Quacum conferatur minoribus litteris, sed elegantibus iisdem scripta, quae indidem prodiit, a *M. Acilio Prisco Egrilio Plariano* dedicata (Orell. 1453); hominem enim illum aetate Hadriani Piique floruisse probabile est (cf. annal. inst. archaeol. a. 1868 p. 371), cum eiusdem tituli aliquot extent Ostienses (CIL XIV 72 155; cf. etiam in Sardiniam asportatus CIL X 7955 et Parmensis CIL XI 1075). Aliquanto quam hic vetustior est *Torquati Novellii Attici* Tiburtinus (Henzen 6453; cf. Plinius n. h. XIV 144).

Deinde titulum aetatis Hadrianae proposui Gabinum non admodum eleganter scriptum atque vocabulis quibusdam postea insertis privatum elegantia quadam in dispositione vocabulorum et simplicitate scripturae conspicua (n. 312). Litteris paullo minoribus sed satis accurate incisis scripta est basis nota Nomentana *Gn. Munatii M. f(ilii) Pal(atina) Aurelii Bassi proc(uratoris) Aug(usti)* cet. et *censitoris civium Romanorum coloniae Victricensis quae est in Britannia Camaloduni* (Orell. 208; litterae versus primi altae sunt 0,045). Paullo vetustiores, i. e. fortasse Traianae aetatis, mihi videntur litterae tituli Tusculani, qui sequitur (n. 313), altae simplices aridae; similes sunt litteris tituli urbani supra propositi *Cn. Octavii Titinii Capitonis* (n. 267) quamvis paullo minoribus. Qui deinde sequitur Bovillensis (n. 314) litteras habet altas item, sed ad pictarum libertatem et rotunditatem propius accedentes; sculptus est imperante Pio. Scripturae quidem indoles titulum Praenestinum *C. Helvidii Prisci* (n. 315) Domitianae Traianaeve aetati adscribi non vetat; recentior sine dubio est indidem proveniens quem cum illo coniunxi propter parentelam uxoris *P. Helvidii Prisci* (n. 316). Tiburtini duo Marco imperante sculpti (n. 317 318) scriptura utuntur non dissimili Tusculani quamvis antiquioris (n. 313); eandem fere scripturam habet Tiburtinus item *C. Popilii C. f(ilii) Quir(ina) Cari Pedonis co(n)s(ulis) VII viri epulonum* cet. (Henzen 6501), quem constat scriptum esse paullo post a. 150; sed scriptus est litteris minutis (altis versu primo 0,028). Memoro praeterea aetatis Hadrianae exemplum elegans titulum Lavinatem statuae *Iunonis Sospitis matris reginae* ab ipso imperatore consecratae a. 136 (Orell. 2503), servatum illum in museo Vaticano (litterae versus primi altae sunt 0,050). Marco positus est a. 162 Ficolensis villae Albaniae *a pueris et puellis alimentariis Ficolensium* (Orell. 3364), scriptus litteris optimis (altis versu primo 0,065). Aetatis minus certae, sed optime scriptus saeculoque fere alteri medio tribuendus videtur Praenestinus *M. Scurreii Fontinalis* in museo Vaticano (ineditus est, nisi fallor; litterae versus primi altae 0,075). Ceterum suburbana illa monumenta ab urbanis sola litterarum forma omnino distingui non posse consentaneum est: comparentur *C. Silenii Reguliani eq(uitis) R(omani) diffu(soris) olearii ex Baetica* titulus (Orell. 4077), item *M. Iunii Rufi Pythonis Aquis Sextis patroni* coloniae nescio cuius.

Peculiarem locum cum propter multitudinem tum propter elegantiam monumenta epigraphica Ostiensia sibi postulant; saeculi enim alterius tertiique eorum plurima sunt in musea urbana translata atque ex effossionibus nuperis provenientia. Praecedit vetustissimum tabula *Vespasiani* a. 75, scripta litteris magnis iisque optimis (n. 319). Traiani nulla novi; Hadriani sunt bases aliquot Ostiae servatae (CIL XIV 93 94), tabula a. 133 extans in coenobio S. Pauli (CIL XIV 95 cf. 96), in museo Vaticano servata a. 139 (CIL XIV 97), quas vidi, neque vero hic exhibendas duxi. Proposui exempla tituli in epistylio magnifico inscripti, quo Pius *thermas* a patre promissas dedicavit a. 139 (n. 320), basis deinde parvae *Terrae matris* inscriptae a. 142 litteris minutis, sed actuariis, ex metroo Ostiensi prolatae (n. 321); deinde basis *Liberi patris* pro salute Commodi positae (n. 322). Atque haec quidem monumenta certae aetatis sunt; minus certae, quae tamen intra Hadriani et Commodi regna certo contineatur, reliqua duo *C. Nasennii Marcelli* scriptum litteris ad pictum exemplum formatis (n. 323) et *C. Fabii Agrippae* (n. 324), qui maiorum nominibus et dignitate principali adscriptis gloriatur fere ut Hispani homines solebant aetate circiter eadem (cf. CIL II 1064). Ad Pii deinde et Marci aetatem pertinet basis villae Albaniae scripta litteris parvis (CIL XIV 100); Veri est Florentiam in baptisterium delata posita a. 166 *a collegio fabrorum tignuariorum Ostis* (CIL XIV 105); Commodi in palatio Portuensi servata *Iovi Duliceno a militibus classis Misenensis* vota a. 186 (CIL XIV 110). Ex magno eiusdem generis monumentorum Ostiensium numero, in quibus adeo sibi constitisse lapidarii Ostienses videntur ea fere aetate, ut titulorum in museis urbanis dispersorum origo Ostiensis inde non raro certo agnoscatur, memoro praeterea


P. Martii Philippi a. 195 in museo Neapolitano servatum (CIL XIV 169), *T. Annii Victoris* musei Lateranensis (CIL XIV 293), *C. Granii Maturi* (CIL XIV 362 363).

Titulorum duorum Veientanorum qui sequuntur (n. 326 327) litterae pictis similes sunt; conferas eas cum urbano Hadriano a tribulibus tribus Claudiae posito (supra n. 268). Neque dissimiles sunt tabulae Castronovanae *Hadriani* (n. 325) et suburbanae, ut videtur, sepulcralis *Sulpicii Similis* (n. 328).

In fine posui Pisanos duos consulis, ut videtur, a. 87 (n. 329) et miliarium Pii a. 143 (n. 330), quod satis neglegenter sculptum est. Addere potueram Pisanos item *Aelii Diogenis*, in quo Sergiae tribus vocabulum postea additum est supra versum (CIL XIV 1451), et *M. Ulpii Aug(usti) lib(erti) vernae ab epistulis Latinis* (CIL XI 1434), qui urbanis simillimi sunt; unde omisi. Neque mirum est, ea iam aetate per totam fere Italiam unam fere eandemque scripturae formam in usu fuisse.

311 Prope Ariciam ad lacum Nemorensem, basis marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{4}$).

a. 100



0,049 — 0,043 — 0,033


Dianae | Nemoresi, Vestae | sacrum dict(atore) | imp(eratore) Nerva Traiano Aug(usto) | Germanico III co(n)s(ule), praef(ecto) | T. Voltedio Mamiliano, | quaestorib(us) | L. Caecilio Urso II | M. Lucretio | Sabino II, aedilib(us) Q. Vibenna Quieto | Ti. Claudio Magno, | P. Cornelius Trophimus pistor | Romaniensis ex reg(ione) XIIII idem cur(ator) | vici quadrati et Lania C. f(ilia) Thyonoe coniux | eius votum libens [sic] *solverunt*

Orell. 1455 vv. 1—4. Traiani consulatus tertius incidit in annum s. s.

---

312 Gabiis, basis marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{3}$).

a. 119



0,070 — 0,064

Hadriano | Augusto co(n)s(uli) III p(atri) p(atriae), Sabinae | Augustae | locupletatoribus municipii | ex d(ecreto) d(ecurionum) publice

Orell. 816 vv. 1. 2. Vocabula quae sunt COS III P P apparet post titulum perfectum interposita esse.

---

313 Tusculi, tabula marmorea; in villa Albania ($\frac{1}{3}$).




0,055 — 0,049

Sex. Octavius Sex. f(ilius) Pal(atina) Felicianus | senator municipi et aed(ilis), rexs sacr(orum) | ob honorem oblatum sibi praefectur(ae) | a collegio dendroforum scholae eo|rum loco inpetrato ab ordine partem au|xit totamque [*omne opere*] *pecunia sua consummavit*

Marini *iscrizioni Albane* p. 24 n. XXIV (Orell. 2279) vv. 1. 2.

Vocabula *omne opere* postmodo adiecta sunt supra versus ultimi vocabulum *pecunia.* Litterae sunt elegantes aetatis Traianae fere Hadrianaeve. Cf. supra n. 267.

314 Bovillis, tabula magna marmorea, in qua tituli tres patris et filiorum duorum iuxta inscripti sunt; Romae in horto palatii *Colonna* ($\frac{1}{8}$).



0,075 — 0,058 — 0,100

C. Dissenio Quir(ina) | Fusco praef(ecto) fabr(um) | curatori et patrono | Albani Longani | Bovillenses oblatae | statuae h(onore) c(ontento)

Orell. 119 vv. 1. 2. 4.

Titulos filiorum *C. Dissenii C. f(ilii) Quir(ina) Fusci Hadriani* et *C. Dissenii C. f(ilii) Quir(ina) Fusci Sabiniani*, quos *pater honore publice oblatae statuae content(us) sua pec(unia) fec(it)*, omisi.

C. Dissenius C. f(ilius) Quir(ina) Fuscus curator rei publicae Bovillensium idem sine dubio memoratur in titulo altero Bovillensi Orell. 3701, qui annorum 157 et 158 mentionem facit. Unde tempus definitur.

---

315 Ad viam Praenestinam lapide XVIII, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).



0,043 — 0,035 — 0,031


C. Helvidio C. f(ilio) Arn(iensi) Prisco

Fabretti p. 174, 337 integra.

Fabrettius rettulit ad oratorem clarum; cf. sententia *Helvidii Prisci* fortasse praetoris a. 70, aut patris aut filii eius (CIL IX 2827).

---

316 Ad viam Praenestinam lapide XVIII, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{8}$).



0,045 — 0,041 — 0,035 — 0,031 — 0,033


Plautiae | Quinctiliae A. f(iliae) | P. Helvidi | Prisci et | P. Helvidi Prisci

Fabretti p. 57, 315 integra.

V. 4. 5 'ET P · HELVIDI · PRISCI' vocabula postea in lapide addita.

317 Tibure, basis marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).

a. 172



0,075 — 0,052 — 0,055

In fronte: *Q. Hortensio | Q. f(ilio) Col(lina) | Faustino, | advocato fis|ci, praef(ecto) fabr(um), | patrono municipi | collegium fabrum | Tiburtium ob | merita l(oco) d(ato) s(enatus) c(onsulto)*


In latere dextro: *curantibus | M. Helvio Exspectato | C. Alliano Tiburtino*

In latere sinistro: *curantibus C. Alliano Tiburtino | M. Helvio Exspectato | dedic(ata) | III id(us) Mai(as) Maximo et | Orfito co(n)s(ulibus)*

Orell. 3352 vv. 1—5. Consules in latere indicati sunt anni s. s.

318 Tibure, basis magna marmorea; in museo Florentino ($\frac{1}{7}$).

a. 172 — 0,045



In fronte: *P. Mummio P. f(ilio) Gal(eria) Si|sennae Rutiliano | co(n)s(uli), auguri, pro co(n)s(uli) | provinc(iae) Asiae, legato Aug(usti) | pr(o) pr(aetore) Moesiae superioris, | praef(ecto) aliment(orum) per Aemiliam, | praef(ecto) aer(arii) Saturni, | leg(ato) leg(ionis) VI | victric(is), praetori, tr(ibuno) pl(ebis), quaest(ori), | trib(uno) leg(ionis) V Maced(onicae), X viro stli|tib(us) iudic(andis), patrono munici|pii, cur(atori) fani H(erculis) V(ictoris), Salio Her|culanii Augustales | l(oco) d(ato) s(enatus) c(onsulto)*

In latere dextro: *dedicata kal(endis) Iuniis Maximo | et Orfito co(n)s(ulibus)*


In latere sinistro: *curantibus P. Ragonio Satur|nino et C. Manlio Marciano q(uaestoribus) ordinis Augustalium Tiburtium*

Henzen 6499 vv. 1—3. Consules in latere indicati sunt anni s. s.

---

319 Ostiae, tabula magna marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).

a. 75 — 0,100



[Imp(eratori) Caesa]ri Vespasiano | [Aug(usto), pont(ifici)] max(imo), trib(unicia) pote[s]t(ate) VII, | [imp(eratori) XIIII, p(atri) p(atriae), c]o(n)s(uli) VI design(ato) VII, censori | [. . . . . . P]rimigeni

CIL XIV 86 v. 1 pars maior.

---

320 Ostiae, epistylium magnum marmoreum; in museo Vaticano ($\frac{1}{7}$).

a. 139 — 0,060




Imp(erator) Caesar divi Hadriani fil(ius) divi Traiani Parthici nep(os) divi [Nervae) | pronepos T. Aelius Hadrianus Antoninus Aug(ustus) Pius, pontifex max(imus), trib(unicia) potes[t(ate) II, co(n)s(ul) II | thermas in quarum exstructionem divos pater suus HS (sestertium) |XX| (viciens milia) polli[citus erat] | adiecta pecunia quanta amplius desiderabatur item marmoribus ad omne c[. . . . . dedit]

CIL XIV 98 v. 3. Litterae v. 1 altae sunt 0,070. Titulus ad a. 139 probabiliter refertur in CIL.

321 Ostiae, parva basis marmorea; in museo Lateranensi ($\frac{2}{3}$).

a. 142 v. 1 0,022 v. 4 0,012 v. 5 0,010



Sex. Annius Merops | honoratus dendrophoris | Ostiensium signum Terrae matris | d(onum) d(edit); dedicat(um) XIII k(alendas) Mai(as) L. Cuspio Rufino | L. Statio Quadrato co(n)s(ulibus)


CIL XIV 67 vv. 1. 4. 5. Consules sunt anni s. s.

---

322 In Portu Romano reperta, basis marmorea; in villa Albania ($\frac{1}{5}$).

inter a. 180 et 192

0,033
0,028
0,033
0,028



Pro salute [imp(eratoris)] | M. Aureli Commodi | Antonini Aug(usti) | Pii Felicis) | Libero patri | Commodiano | sacrum | Iunia Marciane | ex voto fecit

CIL XIV 30 vv. 1—4. *Imp(eratori)* vocabulum postea adiectum est aperte; unde paullo ante tempus s. s. titulus videtur positus esse. Quanquam v. 2 punctum deest, tamen vocabula illa non videntur postea in litura addita esse.

---

323 Ostiae (ut videtur), tabula marmorea: in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).


0,046
0,034



C. Nasennio C. f(ilio) Marcello seniori | praef(ecto) coh(ortis) I Apamenae, trib(uno) coh(ortis) I Italicae civium Romanorum volun|tariorum cet. praetori et pontifici Laurentium Lavinatium p(atrono) c(oloniae) Ostensium | Nasennia Helpis fecit patrono indulgentissimo et C. Nasennio Sa|turnino coniugi carissimo sibi liberis libertis libertabus posteris|que eorum ....

CIL XIV 171 vv. 1. 2. Aetatis videtur esse fere Hadriani Piive. Titulum Ostiensem esse probabile est propter ea quae ad CIL XIV 47 adnotantur.

324 Ostiae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).



0,032 0,027 0,024 0,020 0,017


C. Fabió Longí p(rimi) p(ilaris) f(ilio), | *Longí p(rimi) p(ilaris) n(epoti), Fabí Rufí* | *pró n(epoti), C. Gratti ab n(epoti),* | *Vot(uria) Agrippae,* | *praétori sacris Volk[an(i) fac(iendis)]* | *dec(urionum) decr(eto), decuri[oni adlecto],* | *aedili, II [viro]*

CIL XIV 349 vv. 1—5.

Etiam in *Fabió* et in *Agrippáe* vocabulis apices sunt, quos ectypum non habuit.

---

325 Ex Castro novo (*la Chiaruccia* prope *Civita Vecchia*), tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).




0,086

Hadriano | *Aug(usto)* | *ex d(ecreto) d(ecurionum)*

Antologia Romana III p. 410 vv. 1. 2.

---

326 Veiis, tabula marmorea; in museo Lateranensi.




0,034 0,030

T. Flavio T. f(ilio) Pal(atina) | *Salinatori* | *Fufio Clementi,* | *equo public(o),* | *Eubulus lib(ertus)* | *optimo et indulgentiss(imo)* | *patrono* | *testament(o) poni iussit*

Cardinali *diplomi* p. 194, 375 vv. 1—3.

---

327 Veiis, tabula marmorea; in museo Lateranensi (c. $\frac{1}{6}$).



0,034 0,030

Cassiae P. f(iliae) Sabinae | *Salinatoris* | *Eubulus lib(ertus)* | *optimae et indulgen|tissimae* | *patronae* | *testamento poni iussit*

Cardinali *diplomi* p. 194, 376 vv. 1. 2.

---

328 Originis mihi ignotae, tabula magna marmorea litteris grandibus; in museo Vaticano ($\frac{1}{14}$).



0,084


[. . . .]dia C. f(ilia) Quarta | *[uxor] T. Sulpicio Simili* | *. . . s viro suo et Sex. Tesitan[is* | *Terti]o Quartino filis suis ex HS CD·* | *[monumen]tum et aedificia quae iuncta sunt* | *[t(estamento)] f(ieri) [i(ussit)]*

In CIL VI nondum edita; v. 2.

---

329 Pisis in campo sancto, in sarcophago magno marmoreo cum anaglyphis, cuius tamen origo incerta est ($\frac{1}{8}$).

post a. 87




0,026

G. Bellicus Natalis Tebanianus, co(n)s(ul), XV vir(um) Flavialium

Orell. 2375 integra. Consul creditur esse a. 87. Titulus in facie sarcophagi in summo margine et inter anaglypha scriptus est litteris non satis accuratis; extabat fortasse praeterea alter titulus sepulcralis plenior supra sarcophagum in tabula parieti insertus.

330 *Rimazzano*; servatur Pisis, in campo sancto, columna miliaria viae Aemiliae ex lapide calcareo (1/5).

a. 143



0,070
0,046
0,040

[*Imp(erator)*] *Caes(ar) T. Ael(ius)* | *Hadrianus Antoninus* | *Aug(ustus) Pius, p(ontifex) m(aximus), tr(ibunicia) p(otestate) VI, co(n)s(ul) II,* | *imp(erator) II viam Aemiliam* | *vetustate dilapsam operib(us)* | *ampliatis restituendam cur(avit);* | *a Roma m(ilia) p(assuum) CLXXXVIII* cet.

Henzen 5119 vv. 1—3. Primum vocabulum exidit casu; sequitur in fine titulus Valentiniani et Valentis.

II

MONVMENTA ITALIAE INFERIORIS

In speciminibus eligendis, quae regionis supra scriptae scribendi usum illustrarent, hic quoque (ut supra p. 45 exposui) consistendum fere erat in eis monumentis, quae museum Neapolitanum subministrabat; nam ex oppidis reliquis paene nulla collecta aliave ratione a me impetrata sunt ectypa neque eorum colligendorum causa itinera denuo suscipere visum est operae pretium esse. Itaque ex musei illius thesauris exhibui primum monumenta Herculanensia quattuor aetatis Flaviae (n. 331—334) scripta optime atque ita quidem, ut urbanorum elegantiam vel aequent vel superent. Minus eleganter, utpote in lapide asperiore cipporum terminalium, Pompeianus (n. 335) scriptus est; quo ex oppido praeterea pauca tantum servata sunt aetatis eius ultimae monumenta epigraphica certis annis adsignanda.

Praeterea vidi fragmentum basis 'optimis et magnis litteris' scriptae, quae *Vespasiano* videtur posita esse a. 74 Surrenti (CIL X 675); a. 76 eidem Puteolis basis posita est nunc Neapoli extans (CIL X 1629); a. 77 cippus Campanus Dianae Tifatinae a *Vespasiano* restitutus est (CIL X 3828); adde basim Campanam et ipsam *Eprii Marcelli* delatoris noti, qui consul iterum fuit a. 74, servatam Neapoli in museo (CIL X 3853). Non vidi *Vespasiani* basim Bovianensem a. 75 (CIL IX 2564) nec aram *deis Penatibus* Fori novi positam a consule a. 76 (CIL IX 4776) nec *Titi* miliarium Septempedanum a. 80 (CIL IX 5936) nec *Iuliae* filiae eius titulum Terventinatem (CIL IX 2588). Potueram addere titulum basis magnae litteris magnis scriptae, quam a. 85 *Claudia* quaedam *Attica* posuit *in sacrario Cereris Antiatinae*, servatae in museo Veronensi (CIL X 6640); item *Domitiani* Puteolanum, quem *reg(io) vici Vestoriani et Calpurniani* ei posuit a. 93 (CIL X 1631), servatum in museo Neapolitano (scriptus est litteris altis versu primo 0,060). Sed inde novi nihil disci intellexi.

Extant praeterea, quae certo aetati illi tribuas, monumenta non multa: Aveias *P. Tebani P. f(ilii) Quir(ina) Gavidii Latiaris quaestoris* olim *divi Claudii* (CIL IX 3602); Aeclanensia flaminicarum *divae Iuliae Piae Augustae*, i. e. Titi filiae (CIL IX 1153 1154 1155); titulus aquaeductus Teatini a *C. Asinio Gallo* quondam instituti (CIL IX 3018); tituli Reatini veteranorum *a divo Vespasiano* deductorum (CIL IX 4684 4689); Peltuinates servorum aliquot *Domitiae Domitiani* (CIL IX 3419 3432 3469). Sed non pauca per Italiae oppida sparsa sunt monumenta alia, quae quanquam certis temporum indiciis carent, tamen multa cum probabilitate aut huic aetati tribuuntur aut proxime insequenti propter sermonis indolem inter brevitatem vetustam recentemque verbositatem quasi mediam et maxime propter litterarum formas pulchras plerumque et grandes, sed nec simplicitate vetustarum nec recentiorum maiore etiam, sed fucata elegantia conspicuas. Visum est hic quoque elenchum eorum eius generis monumentorum, quae adhuc extant, subnectere, ut de numero eorum saltem aliquatenus constaret.

Atque monumenta aut sacra aut publica aut honoraria aut denique sepulcralia tam splendida, ut cum reliquis illis et mole et arte componenda videantur, haec extare video: Lucerinum *Apollini divo Augusto sacrum* (CIL IX 783), Compsinum sepulcri militis (CIL IX 1005), Beneventana 'litteris' ex parte 'maximis pulcherrimisque' scripta aut publica aut sepulcralia (CIL IX 1587 1604 1613 1615 1660), Telesina (CIL IX 2234 2239), Saepinas (CIL IX 2471), Aesernina (CIL IX 2651 2668 cum fragmento n. 2653), Sulmonense (CIL IX 3094),

Corfiniensia (CIL IX 3155 3156 3159 3165 3168 3202 3244 3256), Aufinatia (CIL IX 3386 3387), Furfonense (CIL IX 3522), in pago Fificulano (CIL IX 3575) et apud Marsos Marruvii reperta (CIL IX 3694), Pausulanum (CIL IX 5793). Solent haec saeculo primo fere exeunti tribui in universum, probabiliter: neque vero negaverint periti, facile nonnulla eorum Traiana demum aetate saeculove altero ineunte sculpta esse posse. Idem valet de numero non exiguo titulorum sepulcralium simplíciorum, qui ab ea quidem et sermonis et litteraturae simplicitate differunt, quam ad Neronis fere aetatem obtinuisse vidimus, sed tamen facile distinguuntur a saeculi secundi monumentis plerisque. Eorum haec memoro: ex Pago Veiano duo (CIL IX 1502 1528), Aeserninum (CIL IX 2733), Bovianiensia (CIL IX 2786 2789), ex Pago Urbano (CIL IX 2992), Aufinas (CIL IX 3401), Peltuinas (CIL IX 3496), Aequiculana (CIL IX 4139 4144 4145 4158), Cliterninum (CIL IX 4169), Amiternina (CIL IX 4234 4236 4380 4626 4629), Interocrinum (CIL IX 4649), ex Foro novo (CIL IX 4811 4826 4844 = 6358), Interamnas (CIL IX 5123), ex Castro novo (CIL IX 5150), Asculanum (CIL IX 5223), Falerionense (CIL IX 5461). Enumeravi praecipua; nonnulla fortasse ex hoc numero eximent, qui monumenta ipsa accurate examinare poterunt; alia addent.

Quatenus differant ab aetatis Flaviae titulis hucusque memoratis aetatis Traianae in singulis difficile dictu est. In universum quidem hic quoque, ut in urbe, maior etiam litteraturae elegantia una cum monumentorum ipsorum, quae ex marmore sunt pleraque, ornatu maiore aetatis Traianae propria est; litterarum ipsarum formae videntur interdum iam paullo altiores fieri quam latiores neque tam profunde ubique incisae esse quam antea. Sed egent observationes hae ampliore, quam mihi praesto fuit, materia. Nam visa a me non sunt quae extant eius aetatis monumenta haec: miliaria *Nervae* Carsiolana a. 97 (CIL IX 5963 cet.; incertum est, num eidem imperatori tribuendum sit fragmentum epistylii Aeserninum CIL IX 2636); *Traiani* basis Larinas a. 99 (CIL IX 728); Tyndaride in Sicilia ei posita a. 103 servataque in museo Panormitano (CIL X 7472); Auximas a. 106 (CIL IX 5825); columnae *viae Traianae* Beneventanae a. 109 (CIL IX 6003 cet.); basis Brundisina a. 110 (CIL IX 37); miliarium viae Salariae (CIL IX 5947); incertorum annorum bases ei positae Amiterni (CIL IX 4515), Peteliae (CIL X 112), Capuae (CIL X 3830); tituli virorum clarorum *L. Neratii Prisci* Saepinates (CIL IX 2454 2455); ... *ntii Sex. f(ilii) Caeciliani* Amiterninus (CIL IX 4194), *L. Iulii Marini* Curibus repertus (CIL IX 4965), *C. Salvii Liberalis* Urbisalvienses (CIL IX 5533—5537 5555), *P. Prifernii Paeti* Reatinus (CIL IX 4753), *L. Acilii Rufi* ex Thermis Himeraeis in Sicilia (CIL X 7344), quos Traiano imperante positos esse constat. Sed possumus eis carere; aegre fero quod obtinere non potui imagines idoneas titulorum splendidissimorum, qui a. 115 Traiano positi sunt ambo in arcubus duobus celeberrimis Beneventano (CIL IX 1558) et Anconitano (CIL IX 5894): sed nimis alte collocati sunt neque cum fide repraesentari potuerunt ex imaginibus photographis exiguis, quas vidi. Inter saeculi deinde primi extremi titulos, quos modo indicavi, aliquot esse, qui Traianae fortasse aetati tribuendi essent probabilius dixi supra; e titulis in universum aequalibus vel publicis vel privatis, qui scripti sunt litteris pulchris, aliquanto maiore cum fiducia Traianae fere aetatis hos esse puto Beneventanos *M. Nasellii Sabini* (CIL IX 1618) et *C. Sulpicii Luciferi* (CIL IX 1699), ex pago Fificulano *Q. Curtilii Faustini* (CIL IX 3573), Albensem *L. Oblicii Fauni* (CIL IX 3942), ex Foro novo *Iuniae Sympherusae* et *Marciae Cratistae* (CIL IX 4820 4824). Eidem praeterea aetati tribuo fragmentum tituli sepulcralis Campani mihi visum in museo Neapolitano, quem viro alicui ... *rio Rufo Ha* ... fecit *Aufillia* quaedam *Ɔ (mulieris) l(iberta) Appia* (CIL X 4027; litterae primi versus altae sunt 0,125, ultimi — sunt autem quattuor omnino — 0,058; *O* littera versus primi paene quadrata est, alta 0,125, lata 0,120). Testem aetatis Traianae ex regionibus illis unum proferre potui titulum Misenensem sepulcralem quidem, sed magna cum cura sculptum (n. 336).

Aetatis Hadrianae haec fere supersunt monumenta: basis *Hadriani* ipsius Amiternina (CIL IX 4323), Curensis (CIL IX 4952 quam vidi in museo Vaticano), tabulae *templi deae Cuprae* Cuprensis ab eo restituti a. 127 (CIL IX 5294), *aquaeductus* Cingulani restituti ab eodem (CIL IX 5681), Ricinensis balinei et platearum, quae *divos Traianus Augustus rei publicae mandavit* (CIL IX 5746), columnae *viae Appiae* a. 123 et altera Beneventana (CIL IX 6072 6075), basis *Sabinae Augustae* Telesina (CIL IX 2202); item tituli virorum eius aetatis clarorum *L. Eggii Ambibuli* consulis a. 126 Aeclanensis (CIL IX 1123), Saepinas *L. Neratii Marcelli* consulis iterum a. 129 (CIL IX 2456), Corfinienses *Ser. Cornelii Dolabellae Metiliani consulis* anni incerti, sed Hadriano imperante (CIL IX 3152 3153 3154); deinde arae Iovis repertae Aequo Tutico, quam dedicavit *curator operis thermarum datus ab imp(eratore) Caesare Hadriano Aug(usto)* (CIL IX 1419); denique *flaminum divi Traiani* Terventinas (CIL IX 2600) et Aeserninus (CIL IX 2649). Ceterum *Hadriani* basis ingens Salerni quidem extat a multis ibi et a me ipso visa, sed paene tota erasa est (CIL X 514); vidi item basim a. 121 *Hadriano* dedicatam a municipibus Surrentinis Surrenti (CIL X 676); non vidi cippi a. 122 ad viam Suessanam aliquam pertinentis fragmentum ibi superstes (CIL X 4756) nec bases statuarum positarum *Hadriano* a. 129 a Teanensibus Sidicinis ibi servatam (CIL X 4782), *Domitiae Paulinae* sorori eius a Fundanis, quae extat Fundis (CIL X 6220); vidi contra epistylium aedis Antii ab *Hadriano* restitutae, quod est Romae in villa Albania (CIL X 6652). Non desunt praeterea monumenta sepulcralia 'pulcherrimis' pleraque scripta 'litteris', quae tamen ab eis, in quibus Traianae aetatis litteraturam deprehendere mihi videor, aliquantum differunt: litterae eorum graciliores, minus profunde quanquam accuratissime incisae, angulis et cornibus paullum rotundatis, quales fere vides in exemplis infra propositis (n. 337 344). Memoro eius generis exempla titulos Aufidenatem *Pulliae Rufinae* (CIL IX 2808), *arae Herculis* Histoniensis (CIL IX 2835), Corfiniensem *Chrysanthi* alicuius (CIL IX 3221), Amiterninum *Sabiniae Alchimenae* (CIL IX 4296), Curensem nunc Romanum *Cocceiae Verae* (CIL IX 4971), Minturnensem *Pompeiae Catullae sacerdotis Augustae* servatum in museo Neapolitano (CIL X 6018). Exhibeo vero monumenta Hadriani Puteolanum elegantissime scriptum (n. 337), Falerionense minus bonum utpote extans in cippo terminali (n. 338); addidi Minturnense et ipsum eleganter quanquam litteris non magnis scriptum *L. Burbuleii Optati Ligariani* consulis anni quidem incerti, sed certo aetatis Hadrianae, quod inter epigraphiae cultores merita laude floret propter Borghesii commentarium praeclarum (n. 339). Praeterea sequi volui exemplum scripturae ad pictam calamove exaratam accedentis aram taurobolii Puteolanam a. 133 (n. 340).

E Pii imperio servatae sunt bases ipsi positae Compsae a. 139 (CIL IX 970), Puteolis ipsi et *Faustinae a collegio scabillario-*


rum a. 139 et 140 (CIL X 1642 1643; alteram exhibui infra n. 341), Formiis a. 148, quae extat in museo Mantuano (CIL X 6077; litterae eius non magnae sunt, versus primi altae 0,045), Cuprae montanae a. 149 (CIL IX 5700), anno incerto Falerione (CIL IX 5428); *Marco Caesari* a. 140 Tyndaride in Sicilia (CIL X 7473), a. 145 Firmi (CIL IX 5354), a. 147 Curibus (CIL IX 4957); *L. Aelio Caesari* a. 154 Atinae (CIL X 5051) lectu difficilis; *Matidiae imp(eratoris) Antonini Aug(usti) Pii materterae* Suessae (CIL X 4744 4746). Accedunt dedicatio *Iovis marmorei* a. 144 facta prope Cominium vetus (CIL X 5142), tituli vel honorarii vel sepulcrales *C. Luccii Sabini* Beneventanus a. 146 (CIL IX 1617), *L. Marculeii Saturnini* veterani Albensis c. a. 149 (CIL IX 3923), *ara Aesculapii et Hygiae* Auximas a. 159 (CIL IX 5823), bases magnae honorariae Histoniensis *L. Valerii Pudentis poetae, curatoris r(ei) p(ublicae) Aeserninorum dati ab imp(eratore) optimo Antonino Aug(usto) Pio* (CIL IX 2860), Auximas *C. Iulii C. f(ilii) Vel(ina) Oppii Clementis praetoris* (CIL IX 5830), Curensis ..*vii Q. fil(ii) Col(lina) Pri... IIII viri i(ure) d(icundo) Curibus Sabinis ter* (CIL IX 4976). Atque ad eandem etiam, nisi fallor, aetatem pertinet 'cippus' ille ingens Minturnensis, scriptus 'litteris magnis et pulchris' cum hoc titulo: *huius monumenti ius qua maceria clusum est cum taberna et cenacul(o) hered(em) non sequetur neque intra maceria(m) humari quemquam licet*, quem vidi in museo Neapolitano (CIL X 6069). Denique eidem fere aetati adscribendi sunt tituli honorarii Tarracinenses *Pompeii Falconis* consulis anni incerti et filii eius *Sosii Prisci*, qui postea a. 169 fasces gessit (CIL X 6321 6322); conferantur bases filii Campana (CIL X 3724) et Tiburtina (Orell. 2761); patris in museo Vaticano servata, quam vidi, scripta est litteris gracilibus (altis versu primo 0,060). Proposui autem praeter basem *Faustinae* a scabillariis positam Puteolis (n. 341) aram alteram *taurobolii* et ipsam Puteolanam a. 144 propter litteras inconditas (n. 342), dedicationis titulum a. 165, qui pertinet ad basem item Puteolanam *L. Licinii Primitivi*, scriptum litteris minoribus fere actuariis, cum anticae titulus litteris monumentalibus scriptus sit (n. 343). His certae aetatis monumentis subiunxi incertae tria, quae tamen probabiliter huic, de qua agimus, aetati attribuuntur, Telesinum *P. Scipionis* alicuius *Orestini* summae sine dubio dignitatis viri (n. 344), Puteolanum marmorarii, quod aegre desideraretur in opere exempla artis eius proponente (n. 345), denique Anagninum scriptum litteris, ut breviter dicam, pictis (n. 346). Ut Augusti in hoc titulo nominati summa cum probabilitate putandi sunt fuisse divi fratres, ita duo quoque tituli praecedentes non propter solam litterarum formam credi possunt saeculi alterius fere medii exeuntisve esse.

Ad alteram saeculi alterius partem pertinent, qui quidem adhuc servati sunt, tituli hi *Marco* positi a. 161 prope Barium (CIL IX 309), Puteolis a *scabillariis* (CIL X 1647), Tyndaride (CIL X 7474), a. 162 Telesiae (CIL IX 2203), a. 163 Panormi (CIL X 7270), a. 167 Aeclani (CIL IX 1111), a. 179(?) Fagifulae (CIL IX 2454); *Marco* aut *Vero* Puteolis (CIL X 3339); *Vero* a. 161 Antii (CIL X 6653), eodemque anno Tyndaride (CIL X 7475, qui servatur in museo Panormitano), a. 163 Auximi (CIL IX 5827); a. 172/5 *Commodo* Caesari Minturnis (CIL X 6001); a. 173 *Faustinae* Ferentini (CIL X 5824), *divae Faustinae* Aeclani (CIL IX 1113). Addantur litteris bonis scripti tituli honorarii Auximas *C. Oppii Sabini Iulii Nepotis M'. Vibii Sollemnis Severi consulis* c. a. 163 (CIL IX 5833) et Saepinas *L. Neratii Proculi* (CIL IX 2457); deinde dedicatio tricliniorum a. 167 facta in pago Veiano (CIL IX 1503), *ara Fortunae reducis* dedicata a. 172 in Asculo Piceno (CIL IX 5177); eiusdem anni *ara Mithriaca* Aequiculana scripta litteris pravis et evanidis (CIL IX 4109); denique basis honoraria Curensis a. 173 *Baebiae Pontiadis* (CIL IX 4970).

Restant tituli aetatis Commodianae. Praeter fragmenta exigua titulorum *Commodo ipsi* positorum Falerionense (CIL IX 5430) et *thermarum* fortasse *Commodianarum* Beneventi (CIL IX 1665) extant pars arae Aesculapio a. 180 a filio *C. Bruttii Praesentis* dedicatae in agro Amiternino (CIL IX 4512); titulus canthari *Herculi sancto* sacrati a. 184 Casini (CIL X 5160); eiusdem anni basis honoraria *L. Oranii Iusti* Reatina (CIL IX 4686); ara taurobolii dedicata a. 186 in agro Falerno, quam servat museum Neapolitanum (CIL X 4726); basis deinde magna ibidem servata Puteolana *Gaviae Marcianae*, in cuius latere inscriptum est decretum decurionum Puteolanorum a. 187 (CIL X 1784): eius infra proponetur exemplum scriptum litteris actuariis, faciei vero titulus scriptus est litteris magnis et bonis (versu primo altis 0,075, paenultimo 0,025). Ceterum eadem fere aetate videntur inscripti esse tituli aliquot *Neratiorum* Aeclanenses (CIL IX 1161 1163), basis ingens Beneventana *C. Caelii Bassaei Procilii Faustini* (CIL IX 1641), item Beneventana *M. Flavii Marcelli Rutili* 'litteris elegantibus' scripta (CIL IX 1645). Eorum titulorum nullos hic repraesentandos curavi; non multum enim differunt ab aetatum proxime praecedentis insequentisque litteratura, quae, ut supra monui, ad actuariae pictaeve indolem magis magisque in universum vergit. Ita fit, ut non pauca quae extant monumenta sepulcralia scripta litteris ad pictarum exemplum formatis probabiliter quidem tribuantur saeculo alteri, tamen cuinam eius parti proprie adscribenda sint vix certo statui possit. Memoro eius generis tabellam sepulcralem parvam sed elegantem Miseni repertam *Euneae* alicuius, *quae vixit ann(os) XX* (CIL X 1747). Deinde multi reperti sunt Miseni tituli sepulcrales militum classiariorum parvi et incuriose plerique sculpti, inter quos eiusdem fere aetatis esse non paucos probabile est. Unum vidi in museo Britannico (aut Misenensem aut urbanum) *C. Dinnii Valentis veter(ani)*, cuius primus versiculus nihil praeter *d(is) M(anibus)* vocabula continens scriptus est, ut saepius observare licet, litteris satis bonis monumentalibus, reliqui pictis (CIL X 3573). Denique pulcherrimum scripturae pictae et gracillimae eiusdem fere aetatis exemplum praebet titulus Tharrensis Sardus, quo homo quidam, cuius nomen interiit, *Gallae disp(ensator) templum et maceriem item pomar(ium) impens(a) sua fecit idemq(ue) dedicavit* (CIL X 7893).

331 Herculanei, epistylium magnum marmoreum; in museo Neapolitano ($\frac{1}{7}$).

a. 76 0,045




Imp(erator) Caesar Vespasianus Aug(ustus), pontif(ex) max(imus), | *trib(unicia) pot(estate) VII, imp(erator) XVII, p(ater) p(atriae), co(n)s(ul) VII design(atus) VIII,* | *templum matris deum terrae motu conlapsum restituit*

CIL X 1406 integra. Observa T litteram versu ultimo extremo propter spatium deficiens non plene sculptam.

---

332 Herculanei in theatro reperta, basis magna marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

a. 72 0,110



0,093

Imp(eratori) T(ito) Vespa[siano] | *Caesari Au[g(usti) f(ilio)]* | *trib(unicia) p(otestate), co(n)s(uli) II, cen[s(ori), pontif(ici)]* | *M. Noniu[s . . . .]*

CIL X 1420 vv. 1. 2 pars sinistra.

---

333 Herculanei, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).



0,040

Fláviae Domitillae | *[imp(eratoris)] Vespásián[i C]aesar[is] Aug(usti)*

CIL X 1419 v. 1.

---

334 Herculanei, reperta in theatro, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).




0,044
0,040

Domitiae Cn. f(iliae) | *Domitiani Caesaris* | *d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL X 1422 vv. 1. 2.

335 Pompeiis, cippus quadratus ex lapide Tiburtino; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).



0,050
0,044
0,038

Ex auctoritate | imp(eratoris) Caesaris | Vespasiani Aug(usti) | loca publica a privatis | possessa T. Suedius Clemens | tribunus causis cognitis et | mensuris factis rei | publicae Pompeianorum | restituit

CIL X 1018 vv. 1—3.

336 Miseni, basis ingens litteris pulchris; in museo Neapolitano ($\frac{1}{10}$).



0,060
0,062
0,057

Septimus | imp(eratoris) Traiani | Caesaris Aug(usti) | Germ(anici) Dácici | ser(vus) disp(ensator) classis | Fláviae Cárae coniugi sanctissimae

CIL X 3346 vv. 1—3.

337 Puteolis, fragmentum epistylii; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).


0,155



.... *Hadriano Aug(usto)* ....

CIL X 1639 quantum superest.

338 Falerione, cippus ex lapide calcareo; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).




0,072
0,043
0,023

Imp(eratore) Caesare | Traiano Hadriano | Aug(usto) III co(n)s(ule) | via nova strata lapide | per medium forum pecuar(ium) | a summo vico longo ad | arcum iunctum Capitolio | ex conlatione manipretii | possessorum circa forum et ne|gotiantium, item collegia quae | attingunt eidem foro, II viratu [illorum]

CIL IX 5438 vv. 1—4.

339 Minturnis, basis magna marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).



0,042 / 0,036 / 0,027


L. Burbuleio L. f(ilio) Quir(ina) | Optato Ligariano | co(n)s(uli), sodal(i) Aug(ustali), leg(ato) imperat(oris) | Antonini Aug(usti) Pii pro pr(aetore) prov(inciae) | Syriae, in quo honor(e) decessit, leg(ato) | eiusdem et divi Hadriani pro pr(aetore) prov(inciae) | Cappad(ociae), cur(atori) oper(um) locor(um)q(ue) publ(icorum), praef(ecto) | aerar(ii) Saturn(i), pro co(n)s(uli) Sicil(iae), logiste | Syriae, legat(o) leg(ionis) XVI Fl(aviae) firm(ae), cur(atori) rei p(ublicae) | Narbon(ensis), item Anconitanor(um), item | Tarricin(ensium), curat(ori) viar(um) Clodiae Cassiae Ciminae, | pr(aetori), aed(ili) pl(ebis), q(uaestori) Ponti et Bithyn(iae), | trib(uno) laticl(avio) leg(ionis) IX Hispan(ae), III vir(o) kapit(ali), patr(ono) col(oniae) Rasinia Pietas nutr(ix) filiar(um) eius | s(ua) p(ecunia) p(osuit) l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)

CIL X 6006 vv. 1—3. Borghesii disputatione clara (*oeuvres* IV p. 103 ss.) constat, virum hunc consulem fuisse Hadriano imperante.

---

340 Puteolis, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 133



0,018 / 0,016


L. Iulio U[rso Serviano] | co(n)s(ule) III non(as) O[ct(obres)] | ecitium tauroboliu[m ....] | Veneris caelestae et panteliu[? ....] Herennia Fortunata inperio dea[e] | per Ti. Claudium Felicem sacerdot(em) | iterata est

CIL X 1596 vv. 4. 5. Consulatus Serviani incidit in annum s. s.

---

341 Puteolis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

a. 140




0,054 / 0,052 / 0,044 / 0,038

Faustinae Aug(ustae) | imp(eratoris) Caesaris | T. Aelii Hadriani | Antonini Aug(usti) Pii p(atris) p(atriae), | tribunic(ia) pot(estate) III, co(n)s(ulis) III, | collegium | scabillariorum | quibus s(enatus) c(onsulto) coire licet | l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)

CIL X 1643 vv. 1—4.

342 Puteolis, tabula marmorea; in museo Neapolitano (⅓).

a. 144



0,021


IIII non(as) Dec(embres) | *L. Lolliano Avito co(n)s(ule)* | *thalame Hosidiae Afrae* | *cum suis condite* | *per Ti. Cl(audium) Felicem sacerdo|tem*

CIL X 1597 vv. 1. 2. Consulatus indicatur anni s. s. Cf. praeterea n. 340.

---

343 Puteolis (ut videtur), basis marmorea; in museo Neapolitano (⅙).

a. 165



0,036

0,032

In fronte: *L. Licinio* | *Primitivo,* | *ornamentis decurion(alibus)* | *honoráto,* | *curatori Augustal(ium) perp(etuo)* | *Augustales corpor(ati)* | *ob perpetuam et plurifariam* | *munificentiam eius et quod* | *rés negotiaque eorum* | *integre administret,* | *cuius dedicatione decurionibus* cet. *dedit* | *l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

In latere dextro: *curante* | *L. Laecanio Primitivo*

In latere sinistro: *dedicát(a) III k(alendas) Aug(ustas)* | *Pudente et Orfito* | *co(n)s(ulibus)*

CIL X 1881 lateris sinistri titulus. Tertium in *Orfito* vocabulo elementum F esse debebat, neque prorsus convenit cum reliquis E. Consules sunt anni s. s.

---

344 Telesiae, basis marmorea utrimque scripta litteris optimis; in museo Neapolitano (⅙).



0,055


Ex uno latere: *col(oniae) Her(culea) Te[lesina]* | *P. Scipio de-d[it]* | *loc(um)*

Ex altero latere: *P. Scipionis* | *Orestini* | *privat(um)*

CIL IX 2219 pars v. 2.

Aetas Scipionis huius videtur omnino incerta esse; litterarum formae mihi visae sunt aetatis Hadriani Piive non dissimiles.

345 Puteolis, basis marmorea 'recte scripta litteris marmorario dignis'; in museo Neapolitano (⅙).




0,035

0,030

A. Arrius Chrysanthus | *marmorárius,* | *Augustál(is) Puteolis* | *duppliciar(ius)* 7 *(centuriae) Petron(ii)* | *vivus sibi*

CIL X 1873 vv. 1. 2.

346 Anagniae, basis marmorea; extat ibi in foro (½).



0,100

0,045

Euhodi | *M. Aurel(io) Sabiniano* | *Aug(ustorum) l(iberto) patrono* | *civitatis Anagninor(um)* e. q. s. *s(enatus) p(opulusque) A(nagninus) erga amorem patriae* | *et civium, quod thermas longa incuria* | *neglectas sua pecunia restituerit* | *statuam ex leg(atis) suis ponend(am) censuer(unt)* | cet.

CIL X 5917 vv. 1—3.

III

MONVMENTA ITALIAE SVPERIORIS

Aetatis Flaviae ex Italia superiore non multa vidi monumenta ad certos annos referenda et pulchre scripta beneque conservata. Parmae in museo tabula mutila est titulum *Vespasiani* a. 71 continens, quam vidi (CIL XI 1171); *Domitiani* titulum Ariminensem (CIL XI 368) non vidi. Brixiae in museo extant fragmenta epistylii, quod in aedificio aliquo publico sacrove olim fuit, inscripta nominibus *Vespasiani* a. 73 (CIL V 4312; mensuras litterarum ignoro); Menaggii ad lacum Larium epistylium ingens est sepulcri, quod *L. Minicius L. f(ilius) Ouf(entina) Exoratus* aliquis, *flamen divi Titi Augusti Vespasiani* cet. *sibi coniugique et filiae* fecit (CIL V 5239); duo haec monumenta repraesentari hic non potuerunt. Potuit exemplum proferri tituli alicuius Augustae Taurinorum reperti eiusdem aetatis, quamvis scripti litteris parvis (n. 347); sed bonae sunt formasque, quae tum obtinuerunt, clare demonstrant. Novariae in canonica tabula servatur magna marmorea, quam *Vibiae Crispi l(ibertae) Earine L. Iunius Onesiphorus* posuit (CIL V 6590): liberta est Vibii Crispi consulis a. 61 aetatique ei litterae respondent maximae et optimae (altae sunt versu primo 0,096). Augustae Taurinorum in museo basis extat non magna, quam *Miniciae L. f(iliae) Paetinae uxori Rutili Gallici Leptitani publice* posuerunt (CIL V 6990): C. Rutilius Gallicus praefectus urbi ex Statio notus obiit a. 92. Huius quoque tituli litterae bonae sunt et magnae (altae versu primo 0,068). Eiusdem generis litteraturam exhibet cippus magnus musei Taurinensis, in quo nomina barbara atque cognomina usurpata loco praenominum vetustatem quanquam saeculo primo exeunte non maiorem indicant; inscriptus est ita *Firmo Cotobo Stati fil(io) patri et Cotobae Stati filiae [et] M. Cotobo Vero f(ilio) et sibi M. Cotobus Primus Aug(ustalis) t(estamento) f(ieri) i(ussit); M. Cotobus Secundinus l(ibertus) f(aciendum) c(uravit)* (CIL V 7025). Enumeravi haec aetatis Flaviae monumenta, non repraesentavi, quia ab urbanorum elegantia vix recedunt.

Aetatis Traianae exemplum unum proferre licuit ex titulis *Glitii Agricolae* Taurinensibus desumptum (n. 348), conferendum illud cum scriptura titulorum eiusdem aetatis generisque urbanorum veluti Surae (supra n. 262); quem elegantia paene superat. Certorum praeterea annorum quae huc faciant paene nulla praesto sunt ex Italia superiore monumenta inscripta. Parmae in museo tabula est marmorea *divo Nervae* inscripta litteris bonis, quam vidi (CIL XI 1173). Bonam aetatis Traianae scripturam exhibent tituli *T. Haterii Nepotis* Fulginates (Henzen 6947), de quorum praestantia Borghesius dixit (*oeuvres* V p. 4); optimam fornix Veronensis *Ti. Flavii P. f(ilii) Norici IIII vir(i) i(ure) d(icundo)*, quem frustra, nisi fallor, propter artis tectonicae rationes aetati recentiori tribuere voluerunt artis eius periti nonnulli (CIL V 3400). Exhibui exempla quattuor titulorum Patavinum (n. 353), Brixianum (n. 354), Mediolaniensia duo (n. 355 356), quae omnia aetati Traianae Hadrianaeve tribuenda esse patet. Ex multis praeterea titulis eiusdem fere aetatis optime scriptis litteris magnis et pulchre incisis museorum Veronensis Mantuani Brixiani Taurinensis hos memoro Veronensem -. *Domitii* alicuius -. *f(ilii) Saturnini* (CIL V 3599; litterae altae sunt versu primo 0,080); Mantuanum inscriptum *Dis Manibus Statiae Ursae sanctissimae* .... (CIL V 4086; versus primi litterae maximae sunt, altae 0,152, alterius 0,095); Brixianos *Clo-*

diae Laetae eius, cuius monumento vel pater vel amator hunc tantum versiculum inscribendum curavit nihil amplius: *mors mea quoi doluit posuit hunc titulum mihi* (CIL VI 4170; litterae versus primi altae sunt 0,095); item *Minervae* aram a *Seneca Magia Magi f(ilia)* positam (CIL V 4126); basim magnam anaglyphis ornatam *T. Quinctii T. l(iberti) Daphni VI viri Aug(ustalis)* (CIL V 4461; litteris versu primo altis 0,100); cippos magnos Taurinenses *Cassiorum* (CIL V 7019; litterae versu primo altae sunt 0,074), *C. Domitii C. l(iberti) Senecae* (CIL V 7084); item Albensem ibidem servatum *Genio c(ollegii) c(entonariorum) Alb(ensium) Pomp(eianorum) in memoriam Sal(vii) Cinci Semproniani eq(uitis) R(omani) eq(uo) pub(lico)* a matre et sorore positum (CIL V 7595; litteris versus primi altis 0,090); denique fragmentum Concordiense praegrande senatoris alicuius *Persae* (CIL V 8661; litterae versus primi altae sunt 0,175). Finem facere volui exemplorum huius paragraphi monumenta Taurinensia duo litteris minoribus scripta sed elegantibus ea, ni fallor, in qua versamur aetate (n. 357 358), quae notae muliebris formas servaverunt peculiares (> et ɜ).

Aetatis Hadrianae ad Commodianam non multa ex his regionibus exempla collegi digna, quae repraesentarentur. Praecedit titulus Taurinensis *divo Traiano* paullo, ut videtur, post mortem positus (n. 349); sequitur Vicetinus *Matidiae iunioris* (n. 350). Pii Marcive aetatis sunt Concordienses duo, qui sequuntur (n. 351 352). Mutinae in museo magnam vidi basim *Hadriano* positam a. 135 (CIL XI 825). Eiusdem fere temporis visae sunt basis in eodem museo servata ex lapide tofaceo a *M. Aemilio Phoebo Isidi donum data* (CIL XI 819); item tabulae aliquot magnae sepulcrales ex lapide granito quem dicunt ibidem servatae, veluti *C. Albii C. l(iberti) Philodami* et *C. Egnatii Primigenii* (CIL XI 848 850). Qui Parmae extat titulus *Mummianus* (CIL I 545 PLME tab. XIII*D* = CIL XI 1051) mihi quoque ut Bormanno visus est sculptus esse aetate fere Traiani Hadrianive litteris altis et elegantibus. Deinde quae Vicetiae in aedibus Tornieri servatur arca magna anaglyphis ornata et inscripta ita *d(is) M(anibus) Fabia L. f(ilia) Marcella sibi t(estamento) f(ieri) i(ussit)* (CIL V 3171), eius litterae altae et graciles (grandes sunt versu altero principali 0,105) eiusdem fere aetatis putandae sunt. Brixiae duo vidi monumenta saeculo secundo fere medio inscripta, alterum *Postumiae P. f(iliae) Paullae M. Iuventii Secundi co(n)s(ulis) feminae sanctiss(imae)* cet. (CIL V 4351 cf. 4349 4350), quod propter maritum aliunde notum ei aetati adscribitur multa cum probabilitate, alterum scriptum litteris minutis *P. Matieni P. fil(ii) Fab(ia) Proculi Romanii Maxim(i)* pueri sexennis, cui *ordo Brixianor(um) funus publicum et statuam equestr(em) auratam decrevit* (CIL V 4441), unde summae in illa colonia dignitatis fuisse putandus est (litterae altae sunt 0,022 ad 0,020). Eporediae in hortis Giusianae fragmentum extat basis parvae positae a plebe urbana homini alicui, qui *flamen* videtur fuisse *divi Augusti divi Vespasiani divi Traiani* (CIL V 6797); litteris scripta est parvis (altis 0,025 ad 0,033) sed bonis. Aetatis denique Antoninianae monumenta praeter basim *L. Veri* a. 167 Mediolanii publice positam, quae apte repraesentari non potuit (CIL V 5805) haec esse visa sunt Novariense *Aureliae* alicuius *Augustule* a *Valerio Florentino* positum (CIL V 6490), scriptum illud litteris altis et gracilibus (grandes sunt versu primo 0,050), sed minus profunde incisis; Taurinensia *divae Augustae Faustinae d(ecreto) d(ecurionum)* positum (CIL V 751*; sed genuinum est, ut docuit ectypum ab Hectore Pais mihi monstratum) et *P. Arrii Secundini* alicuius *curialis* (hoc enim vocabulum solum, non *decurialis* nec *Mercurialis*, in lapide fuisse spatium videtur demonstrare) *Taur(inensis)* [*et* . . . .] *Epored(iensis)* (CIL V 7016), scriptum litteris similibus; item Taurinense *L. Antistii Zosimi* (CIL V 7059). Litteris minus bonis, sed paene rusticis scripta est *ara Matronarum* ex agro Brixiano (CIL V 4247), utpote posita ab homine rustico.

Ceterum non desunt in his quoque regionibus exempla, quamvis rara, eius scripturae, quam ex picto exemplo formam traxisse saepius iam observavimus. Litteris eorum monumentorum similibus, quae paragrapho praecedente extrema memoravi (cf. n. 348), sed multo etiam gracilioribus et angulatis, non rotundis, scriptum est fragmentum tabellae parvae musei Taurinensis, in quo haec leguntur . . . *coll(egium) centon(ariorum) Vibia Nepotiana* (CIL V 7171); litterarum forma singularis in causa est, quod in corpore adnotatur errore aperto 'VIL in lapide est, non COLL', et quod VIDIA ibi editum est pro *Vibia*.

347 Augustae Taurinorum, in basi hermae ex marmore nigro; in museo (1/3).

post a. 81

L·ALFIO·RESTITVTO — 0,017
EQ·R·EQ·P·PRAEF·COH·II·B — 0,013

L. Alfio Restituto | eq(uiti) R(omano) eq(uo) p(ublico), praef(ecto) coh(ortis) II Br(eucorum) | eq(uitatae), trib(uno) coh(ortis) I Br(eucorum) ∞ (miliariae) eq(uitatae), flam(ini) | divi Titi [et Claud(iae) Paulinae eius | C. Pinarius Onesimus et Cassidarius Ampheristus] | ob mer[ita]

CIL V 6995 vv. 1. 2. Quae uncis inclusi restituta sunt in litura punctisque carent, cum reliqua puncta habeant diligenter posita; ut observatum est in CIL.

348 Augustae Taurinorum in museo; clipeus marmoreus ($\frac{1}{4}$).

post a. 103

NERVAE CAES TRAIAN AVG GER DACICI 0,027
OVINC PANNON DONATO AB EODEM

Q. Glitio P. f(ilio) Stel(latina) | Atilio Agricolae co(n)s(uli) II, | VII viro epulonum, sodali | Augustali Claudiali, legat(o) pro pr(aetore) | imp(eratoris) Nervae Caesaris Traiani Aug(usti) Ger(manici) Dacici | [pr]ovinc(iae) Pannon(iae), donato ab eodem | bello Dacico donis militaribus corona | murali vallari classic(a) aurea, hast(is) | puris IIII, vexillis IIII, legato pro pr(aetore) | provinc(iae) Belgic(ae) divi Nervae, leg(ato) | leg(ionis) VI ferrat(ae), leg(ato) Hispan(iae) citerior(is), | praetori, aedili curuli, q(uaestori) | divi Vespasiani, trib(uno) mil(itum) leg(ionis) I Italicae, X viro stlit(ibus) iudic(andis), seviro eq(uitum) R(omanorum)

CIL V 6977 vv. 5. 6. Est unus ex titulis Q. Glitii Agricolae consulis iterum a. 103, cuius cursus honorum plenus inde cognoscitur; scriptus est non multo post annum s. s.

349 Augustae Taurinorum, saxum hermam sustinens; in museo ($\frac{1}{4}$).

DIVO 0,032
TRAIAN 0,030

C QVINTIVS 0,020
ABASCANTVS 0,017

Divo | Traian(o) | C. Quintius | Abascantus | test(amento) leg(avit) | medicis Taur(inis) | cultor(ibus) | Asclepi et | Hygiae

CIL V 6970 vv. 1—4.

350 Vicetiae, fragmentum basis marmoreae; in aedibus Tornieri ($\frac{1}{10}$).

SORORI 0,044
DIVAE MARCIANAE 0,040
NEPTI 0,036

[Matidiae | divae Matidiae Aug(ustae) | filiae, | divae Sabinae Aug(ustae)] | sorori, | divae Marcianae [Aug(ustae)] | nepti | [c]olleg(ium) cent(onariorum) m(unicipii) Vic[etin(i)]

CIL V 3111 vv. 5—7.

351 Concordiae, basis magna; ibi in curia ($\frac{1}{8}$).

post a. 166

T DESTICIO T F 0,085
CLA SEVERO P P LEG 0,060

T. Desticio T. f(ilio) | Cla(udia) Severo, p(rimo) p(ilo) leg(ionis) | X gem(inae), subpraef(ecto) vigil(um), | proc(uratori) Aug(usti) prov(inciae) Daciae | superior(is), proc(uratori) provinc(iae) | Cappadoc(iae), item Ponti medi|terran(ei) et Arme[ni]ae minoris et Lycaon(iae) | An[tioch]ian(ae), proc(uratori) prov(inciae) Rae|tiae, fla[mini divi Ha]driani, pontifici, | [patrono] coloniae [sequuntur nomina militum exercitus Raetici qui statuam posuerunt] *praesidi optimo et sanctissimo l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL V 8660 vv. 1. 2.
Desticium Severum Raetiae praefuisse a. 166 aliunde constat; unde tempus tituli definitur. Punctum quod est in lapide post CLA cum in ectypo meo exciderit omissum est me invito ab eo qui titulum mihi delineavit.

352 Concordiae, basis marmorea; extat ibi in curia ($\frac{1}{5}$).

P·COMINIO·P·F· 0,052
CL·CLEMENTI· 0,038
PRAEF·CLASSIVM·PRAET· 0,030

P. Cominio P. f(ilio) | Cl(audia) Clementi | praef(ecto) classium praet(oriarum) | Misenens(is) et Ravennat(is), | praeposito a cens(ibus), proc(uratori) | Aug(usti) XX (vigesimae) her(editatium), proc(uratori) Aug(usti) pro|vinc(iae) Lusitan(iae), proc(uratori) Aug(usti) | prov(inciae) Daciae Apolensis, | sub praef(ecto) ann(onae), proc(uratori) Aug(usti) | ad famil(iam) glad(iatoriam) Transpa(danam), | proc(uratori) Aug(usti) XX (vigesimae) her(editatium) per Hisp(aniam) | citer(iorem), omnib(us) equestrib(us) | milit(iis) funct(o), pontif(ici), pa|tron(o) coloniar(um) Conc(ordiensis) | Aquil(eiensis) Parmens(is) Venafr(anae) ordo Conc(ordiensium)

CIL V 8659 vv. 1—3. Litterarum formam prorsus convenire cum titulo Concordiensi *C. Arrii Antonini* (CIL V 1874) recte adnotavit qui titulum Cominii Clementis primus edidit Bertolinius.

353 Patavii, basis marmorea litteris bonis ($\frac{1}{10}$).

T·MVTIO·T·F 0,080
CRACILI 0,070

T. Mutio T. f(ilio) | Cracili | praef(ecto) fabr(um) | IIII vir(o) i(ure) d(icundo) | d(onum) d(atum) publice

CIL V 2835 vv. 1. 2. *Cracili* non *Gracili* scriptum est aperte, ut in CIL adnotatum est.

---

354 Brixiae, basis magna ornata anaglyphis; in museo ($\frac{1}{10}$).

ANTEROS·ASIATICVS·VI·VIR 0,100

M. [Va]lerius M. l(ibertus) Pol(lia) | Anteros Asiaticus VI vir | sibi et Valeriae Ɔ (mulieris) l(ibertae) Trypherae | uxori et Phileto liberto

CIL V 4482 v. 2; de anaglyphis dixi in Hermae vol. XIII a. 1878 p. 414 ss.

---

355 Mediolanii, basis magna 'litteris maximis et bonis'; in museo Brerae ($\frac{1}{12}$).

P·VETTIVS 0,145
GALLVS

P. Vettius | Gallus | VI vir iun(ior) | pontif(ex) | sibi et | Amandae | Amabili | Blandae | libert(is) | t(estamento) p(oni) i(ussit)

CIL V 5900 vv. 1. 2.

356 Mediolanii, tabula marmorea cum fastigio ornato capite Medusae et duobus delphinis; in museo Brerae ($\frac{1}{10}$).

L·SEXTIVS·L·F 0,092
NIGELLIO 0,080

L. Sextius L. f(ilius) | Nigellio | sibi et | L. Sextio C. f(ilio) | patri et | Novelliae Secundae | matri et | Sextiae L. f(iliae) Maxoni | sorori | et Sextiae L. f(iliae) Secundae | sorori | et Sulpiciae Quártae | uxori | L. Sextio Successori l(iberto) | t(estamento) f(ieri) i(ussit)

CIL V 6091 vv. 1. 2.

357 Augustae Taurinorum, tabula marmorea; in museo ($\frac{1}{8}$).




0,050

C. Saevonius | *Stabilionis f(ilius)* | *Secundus* | *VI vir sibi et* | *Annaeae* Ɔ *(mulieris) lib(ertae)* | *Adiutrici uxori et* | *Annaeae Meroe* | *t(estamento) f(ieri) i(ussit)*

CIL V 7035 v. 5.

358 Augustae Taurinorum, cippus ex lapide calcareo fastigio ornatus cum Medusae capite et delphinis duobus; in museo ($\frac{1}{8}$).



0,040

D(is) M(anibus) | *Salariae* | Ɔ *(mulieris) lib(ertae)* | *Aphrodites* | *T. Vennonius* | *Restitutus* | *matri* | *v(ivae) f(ecit)*

CIL V 7107 vv. 2—4.

CAPVT TERTIVM

MONVMENTA PROVINCIARVM

I

MONVMENTA HISTRIAE ET DALMATIAE

Aetatis Flaviae documentum certum ex regionibus supra scriptis proferre licuit basim *Vespasiani* Polensem litteris satis bonis scriptam a. 73 (n. 359). Paullo inferior aetate, id est anni circiter 80, basis est Tergestina *C. Calpetani Rantii Quirinalis Valerii P. f(ilii) Pomp(tina) Festi*, hominis clari et ex Tacito aliisque titulis multis noto (CIL V 531); scripta est litteris bonis eis, quas ex titulis urbanis (veluti supra n. 248 251) Herculanensibus (veluti n. 333—335) Taurinensi (n. 347) aliis satis novimus; unde eam repraesentare supersedi. Aetati item Flaviae coniectura tribui titulum litteris aeratis scriptum Naronensem, quem propter litteraturam singularem ab hac sylloge abesse nolui (n. 360). Eiusdem fere aetatis titulos aliquot annorum indicationibus carentes, quorum scripturam examinare potui, memorare tantum sufficiat: Tergestinum *T. Marcii Secundi IIIIII viri Augustalis et Marciae T. l(ibertae) uxoris* (CIL V 555); Aquileiensem *L. et Q. Titiorum L. f(iliorum) Vot(uria), veteranorum* amborum *leg(ionis) VIII Aug(ustae)*, alterius *imaginiferi* (CIL V 936 937); Salonitanos tabulam magnam sepulcralem a *C. Iulio Scepto Admeti Aug(usti) lib(erti) lib(erto)* sibi et suis positam (CIL III 2097), item minorem *Volsiae Pyrallidis* (CIL III 2617).

Indidem protuli titulum *divi Nervae* (n. 361), qui tam eleganter scriptus est, ut vix eius, sed aliquanto recentioris aetatis esse existimaretur, nisi multo post Traiani imperium memoriam divi patris cultam esse in provinciis aut titulum restitutum esse aetate posteriore probabilitate careret. Sequuntur monumenta aetatis Traianae splendida Tergestinum (n. 362) duoque Aquileiensia (n. 363 364), quae clare demonstrant, in provinciis quoque summam artis perfectionem in illam aetatem inci-


dere. Non vidi basim, quae Praovi in Moesia superiore extat, *Traiano* a. 99 dicatam (CIL III 1462). Peculiarem locum sibi vindicat titulus *Hadriani* Atheniensis celeberrimus (n. 365), cuius primus tantum versus litteris monumentalibus scriptus est, reliqui actuariis pictis. Similiter, non prorsus aequabiliter res se habet in titulo Aquileiensi a. 165 qui sequitur (n. 366); ibi enim versus priores duo litteris maioribus monumentalibus non malis scripti sunt, reliqui, nominum latercula continentes, minoribus et diversis, ad pictarum formam aliquo modo accedentibus.

Atque hi quidem certorum annorum tituli sunt, quos hac paragrapho exhibere potui. Adieci coniectura plus minus certa ductus Aquileiensem consulis anni incerti (n. 367), Salonitanum centurionis alicuius legionum quinque (n. 368), Polensem reguli alicuius Sarmatae scriptum litteris elegantissimis aetatis puto Pii Marcive (n. 369); Nicopolitanum deinde et Atticum militum scriptos litteris vulgaribus aetatisque fere, nisi fallor, Commodianae sive etiam paullo recentioris (n. 370 371). Libenter cum eis comparavissem basim *Commodo* Nacoliae in Phrygia positam (CIL III 349), cuius tamen ectypum nanctus non sum. Ceterum in Histria quoque et Dalmatia satis frequentes sunt tituli Aeliorum potissimum et Aureliorum, veluti in museo Salonitano, quorum litteraturam exemplis illustrare non visum est necessarium esse.

Qui Burni in Dalmatia extat titulus *Iulii Severi* clari sub Hadriano ducis positus a. 127 (CIL III 2830), eum non vidi; nec magis vidi titulos Salonitanos ad muros et turres a. 170 *Marco* imperante factas pertinentes (CIL III 1979 1980), nec *Commodi* miliarium a. 184 Dalmatinum servatum Spalati in museo (CIL III 3202).

359 Polae, basis magna marmorea; servatur ibi in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 73



0,060


0,055

[I]mp(eratori) Caesa[ri] | Vespasiano A[ug(usto)] | pontifici ma[x(imo)] | trib(unicia) pot(estate) IIII, imp(eratori) .., | p(atri) p(atriae), co(n)s(uli) IIII desig(nato) [V] .....

CIL V 26 vv. 2. 3.

---

360 Naronae in Dalmatia, tabula magna marmorea litteris olim plumbeis aeratis, quae vv. 1. 2 in marmore incisae sunt, v. 3 aere fusae per clavos tantummodo marmori applicatae; Zarae in hortis publicis ($\frac{1}{10}$).



0,100


A. Obultronius Glai(?), P. Annae(us) Stamit?, L. Bat...... | L. Safinius Quart(us), C. Licinius Telamo m(agistri) M(ercuriales) .... s(ua) p(ecunia) f(aciendum) c(urarunt)

CIL III 1801 vv. 1. 2 pars media servata; reliqua enim ex exemplo recenti restituta sunt.

De litterarum forma genuina non satis constat, ut in reliquis titulis, qui olim litteras habuerunt aere incrustatas; cava enim tantum eorum supersunt non satis curiose incisa. Quae si consideraveris, litterae minus rudes fuisse apparebunt, quam primo adspectu videntur fuisse, aetatique fere Flaviorum convenire.

361 Salonis, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{4}$).

a. 97



0,080
0,070
0,060
0,055
0,050


Divo | Nervae | L. Vettius | L. f(ilius) Serg(ia) | Catulus II vir | i(ure) d(icundo) ex pecu(nia) | honor(aria) II vir(atus) | sui | l(oco) d(ato) p(ublice) d(ecreto) d(ecurionum)

CIL III 1978 vv. 1—5.

---

362 Tergeste, fragmentum epistylii magni litteris maximis scripti; ibi in museo ($\frac{1}{12}$).

inter a. 98 et 102



0,210
0,145

[Q. Petroni]us C. f(ilius) Pup(inia) M[odestus | p(rimus) p(ilus) bis leg(ionis) XII ful]m(inatae) et leg(ionis) I adiu[tric(is), trib(uno) mil(itum) | coh(ortis) V vig(ilum), tr(ibuno) coh(ortis) X]II urb(anae), tr(ibuno) coh(ortis) V pr(aetoriae), p[roc(urator) divi Nervae et | imp(eratoris) Caes(aris) Nervae T]raiani Aug(usti) German(ici), p[roc(urator) Hisp(aniae) cit(erioris) Asturiae et | Callaeciarum, fl]amen divi Claudi dedit [idemque dedicavit]


CIL V 535 vv. 1. 2 particula superstes.

Supplementa suppeditat alterum eiusdem tituli exemplum, cuius pars sinistra extat in museo Obiciano Catai, mihi non viso, altera periit. Unde consistendum erat in musei Tergestini exemplo quamvis mutilo. Vivo Traiano titulum apparet positum esse.

16*

363 Aquileiae, epistylium (ut videtur) ex lapide calcareo; in museo Cassis ($\frac{1}{12}$).

a. 105



0,145 — 0,132 — 0,095

[Imp(erator) Caes(ar) divi Nerva]e f(ilius) Nerva Traianus | [Germ(anicus) Dac(icus), pont(ifex) m]ax(imus), trib(unicia) pot(estate) VIIII, imp(erator) IIII, | [........... c]onsumptas a solo restituit

CIL V 854 integra, quatenus superest. Puncta v. 2 in ectypo meo duo desunt.

---

364 Aquileiae, basis praegrandis marmorea; in museo Cassis ($\frac{1}{9}$).

a. 105



0,120 — 0,090 — 0,065 — 0,045 — 0,035 — 0,027

In antica: *C. Minicio C. fil(io) | Vel(ina) Italo, IIII viro i(ure) d(icundo), | praef(ecto) coh(ortis) V Gallor(um) equit(atae), | praef(ecto) coh(ortis) I Breucor(um) equit(atae) c(ivium) R(omanorum), | praef(ecto) coh(ortis) II Varc(ianorum?) eq(uitatae), trib(uno) milit(um) leg(ionis) VI vict(ricis), | praef(ecto) eq(uitum) alae I sing(ulariorum) c(ivium) R(omanorum), donis donat(o) a divo | Vespasiano coron(a) aurea hast(a) pur(a), | proc(uratori) provinc(iae) Hellespont(i), proc(uratori) provinciae Asiae, quam | mandatu principis vice defuncti pro co(n)s(ulis) rexit, procurat(ori) | provinciarum Luguduniensis et Aquitanicae item Lactorae, | praefecto annonae, praefecto Aegypti, flamini divi Claudi | decr(eto) dec(urionum)*


In latere inscriptum est decretum decurionum factum anno s. s.

CIL V 875 anticae vv. 1—3. 6. 8. 11 pars laeva.

---

365 Athenis in theatro Bacchico, basis magna marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{4}$).

a. 112



0,040 — 0,030


P. Aelió P. f(ilio) Ser(gia) Hadriano, | có(n)s(uli), VII viro epulonum, sodáli Augustáli, leg(ato) pro pr(aetore) imp(eratoris) Nervae Traiani | Caesaris Aug(usti) Germanici Dacici Pannoniae inferioris, praetori eodemque | tempore leg(ato) leg(ionis) I Minerviae p(iae) f(idelis) bello Dacico, item trib(uno) pleb(is), quaestori imperatoris | Traiani et comiti expeditionis Dacicae, donis militaribus ab eo donato bis, trib(uno) leg(ionis) II | adiutricis p(iae) f(idelis), item legionis V Macedonicae, item legionis XXII primigeniae p(iae) f(idelis), seviro | turmae eq(uitum) R(omanorum), praef(ecto) feriarum Latinarum, X viro s(tlitibus) i(udicandis)

Ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ καὶ ἡ τῶν ἑξακοσίων καὶ ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων τὸν ἄρχοντα ἑαυτῶν Ἀδριανόν

CIL III 550 vv. 1. 2. Hadrianus archon Athenis erat privatus adhuc anno s. s. Quadratarius, Graecus homo fortasse, exemplum calamo scriptum sibi traditum imitatus est excepto versu primo, quem ad exempla monumentorum Romanorum videtur ipse delineavisse non nimis bene.

366 Aquileiae, ara marmorea; in baptisterio (1/3).

a. 165




0,021
0,016
0,012
0,015

Merc(urio) Augus[to sacr(um)] | *Orfito et Puden[te co(n)s(ulibus)]* | *publicano Alfio Plocamo et* [..........] | *M. C. Anton(ius) Severus* sequitur laterculum duobus columnis scriptum nomina continens virorum (cum Antonii Severi) XXV non plene servatum

CIL V 798 vv. 1—4. Consules sunt anni s. s.

---

367 Aquileiae, basis parva marmorea; in museo Cassis (1/4).



0,026
0,022

T. Caesern(ius) | *Macedo* | *Quinctian(us)* | *co(n)s(ul)* | *collegio* | *fabrorum* | *d(onum) d(at)*

CIL V 866 vv. 1—4. Consulatus hominis eius quo anno ponendus sit incertum est; saeculo secundo circiter medio litterarum formas tribuerim.

368 Salonis, basis ex lapide calcareo; ibi in museo (1/8).



0,062
0,055
0,030

T. Fl(avio) Pompo|niano Ɔ (centurioni) | *leg(ionis) II Tr(aianae) fort(is), Ɔ (centurioni) leg(ionis) I[III]* | *Fl(aviae), Ɔ (centurioni) leg(ionis) XII fulmin[a]|tae, Ɔ (centurioni) leg(ionis) XVI Flaviae,* | *Ɔ (centurioni) leg(ionis) XIIII geminae M(artiae),* | *Ɔ (centuriones) leg(ionis) II Tro(ianae)* [sic] *fort(is)* | *heredes*

CIL III 2029 vv. 1—3. Aetatis Hadriani Piive videtur esse.

---

369 Polae, arca magna ex lapide calcareo; ibi in museo (1/12).




0,105

P. Aelius Peregrinus reg[is] | *Sarmatarum Rasparagani* ... | *f(ilius) v(ivus) f(ecit) sibi et Attiae Q. f(iliae) Procillae lib(ertae) l[iber]|tabusq(ue) posterisq(ue) eorum*

CIL V 33 v. 1. Ab Hadriano civitatem accepisse Sarmatam illum probabile est; titulus imperio eius aut Pii videtur attribuendus esse.

370 Nicopoli in Aegypto, cippus parvus cum anaglypho militis, cui titulus subscriptus est; Alexandriae in museo Instituti Aegyptiaci (1/5).




0,025

Pompeius Verinus mil(es) leg(ionis) II Tr(aianae) f|or(tis) Ger(manicae) 7 (centuria) Vir(ii) Post(umi), stip(endiorum) VIIII; Antistius P|robus proc(urator) institu[tu]s bene m(erenti) p(osuit)

Ephem. epigr. II 1875 p. 290, 337 integra.

---

371 Athenis, cippus non magnus cum anaglypho rudi militis classiarii, cui titulus suprascriptus est; ibi ad S. Trinitatis (1/5).



0,025
0,022
0,020

D(is) M(anibus) | M. Iulius Sabinianus miles | ex clas(se) praetoriae [sic] *Misenesis | Ɔ (centuria) Antoni Prisci; vixit ann(is) XXX | militavit annis VIII, natio(ne) Besus*

CIL III 6109 vv. 2—4.

II

MONVMENTA PANNONIARVM DACIAE NORICI

Cum Pannoniarum Noricique monumentis hoc capite coniunxi Daciae aliquot, quae inde ab hac demum, in qua versamur, aetate in formulam provinciae redacta est. Atque aetatis Flaviae certum documentum basis est quam initio huius paragraphi posui *Domitiani* reperta Savariae (n. 372). Eiusdem fortasse antiquitatis monumenta sunt aliquot sepulcralia in Pannonia inferiore et in Norico reperta militum atque hominum, ut nomina docent barbara, peregrinorum. Exempla eorum proposui nulla, cum aetati certae attribui nequeant nec raras exhibeant litterarum formas; memoro exempli gratia haec: Mursense *Nigri Bataronis f(ilii) Sueltrii equitis alae Aravacorum* in cippo alto sculptum cum militis imagine anaglypha (CIL III 3286); Lussoniense *Opli Laepoci Volsetis f(ilii) Aexilvatis vet(erani)* (CIL III 3322); Poetovionense *Vibeni Vanni f(ilii)* et *Marc(iae) Crispinae coniugis* et *Marcii Vibiani f(ilii)* (CIL III 4149). Sed possunt haec facile etiam ad Traiani aetatem pertinere, cui aliqua cum probabilitate videtur tribuendus esse titulus Sirmiensis (ut videtur), cuius partem exhibui (n. 377). Ad *Hadriani* imperium pertinet, quae satis male scripta est, basis Aquincensis (n. 373); eam studio sane quodam elegantiae, non vera arte, superat Raetica *Pii* (n. 374). Eiusdem aetatis est, quae aliquam sane habet perfectionem, quamvis provincialem, basis magna Aquincensis legati alicuius Pannoniae inferioris (n. 375); notabilis ea est propter litterarum contignationes singulares. Hadrianae fortasse aetatis, i. e. inter antiquissima regionum illarum numeranda videntur praeterea monumenta haec Aquincensia *Q. Frendulii Rufi Vicetini armorum custodis*, legionis nomine omisso (CIL III 3549), *Brogimarae Dallonis f(iliae)* (CIL III 3594), *Iuliae Uttae Epponis fil(iae)* (CIL III 3598). Scripti sunt tituli illi omnes, quorum exempla proponere supersedi, litteris non male delineatis quidem, i. e. ad bona exempla factis, sed male incisis. Litteris item bonis aetatis fere Hadrianae scriptus est titulus

Savariensis *L. Maximi fil(ii) domo Emona* [sic] (CIL III 4196). Eandem litteraturam praebent Norici duo, quorum exempla proposui; alter scriptus litteris simplicibus quadratis (n. 378), gracilioribus alter et partim ex picto exemplo desumptis (n. 379). Cum hoc conferas et ipsum Bedaiensem *L. Attonii Adnamati aedilic(ii) Teurn(ensis)* (CIL III 5569), similiter scriptum litteris gracilibus.

In Norico etiam *Commodi* aetate titulos militarium hominum non male scribi solitos esse Bedaiensis a. 182 (n. 376) docet. Eiusdem aetatis est indidem proveniens *C. Attii* alicuius *Propinqui lib(erti) Senno(nis)* (CIL III 5447) in lapide a quadratario correctus. Ad Marci imperium referendus est Apulensis, quem exhibui ex parte (n. 380), ad *Commodi* Sopianis repertus (n. 381), uterque scriptus litteris satis bonis. Non vidi titulos *Varii Clementis* Celeiae annis 161 ad 169 positos (CIL III 5211 ad 5216) nec *divi Veri* Sarmizegethusanum a. 172 (CIL III 1450) nec *Commodi* basim Napocae in Dacia extantem (CIL III 865). Elegantioribus litteris scriptus est Salonitanus *P. Aelii Lupi b(eneficiarii) co(n)s(ularis)* (CIL III 2001) item aetatis fere Commodianae; magnis gracilibusque atque exempla bona imitantibus, non assecutis Aquincensis *A. Vettii A. l(iberti) Crescentis* (CIL III 3607).

372 Savariae in Pannonia superiore (*Stein am Anger*), basis marmorea; Pestini in museo ($\frac{1}{10}$).

a. 82




0,115 — 0,070

Imp(erator) Caes[ar divi] | Vespasiani f(ilius) Domi[tianus Aug(ustus)] | pont(ifex) max(imus), trib(unicia) po[t(estate), imp(erator) II,] | co(n)s(ul) VIII designat(us) VIIII, p(ater) p(atriae)

CIL III 4177 vv. 1. 2. Domitiani nomen erasum est; pertinet titulus ad annum s. s.

373 Aquinci, basis ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{8}$).




0,090 — 0,054

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | ob salute(m) | Hadriani | Aug(usti) v(ici?) X | pu(blice) po(suerunt)

CIL III 3431 vv. 1—3. Interpretatio vv. 4. 5 incerta barbarie in ea regione etiam tum obtinente excusatur; ei convenit etiam litteratura nequaquam elegans.

374 *Koesching* in Raetia ad Danuvium, basis ex lapide calcareo; Monachi in antiquario ($\frac{1}{8}$).

a. 141




0,052

[I]mp(eratori) Caes(ari) divi Ha[dri|a]ni fil(io), divi Tra[iani] | nepoti, divi Nerv[ae | p]ronepoti T. Ael(io) [Ha|d]riano Anton[ino | A]ug(usto) Pio, p(atri) p(atriae), pon[tif(ici)] m(aximo), trib(unicia) [pot(estate)] IIII, [co(n)s(uli) | III al(a) I Fl(avia) c(ivium) R(omanorum)

CIL III 5906 vv. 1—3.

375 Aquinci, basis lapidea ingens; in museo Pestinensi (1/5).

inter a. 145 et 160



0,095

0,090


Neptuno | *C. Iulius* | *Geminus* | *Capellianus* | *leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore)*

CIL III 3486 vv. 2—5. Capellianus Pio imperante legatus fuit Pannoniae inferioris.

---

376 Bedaii (prope *Seeon*) in Norico, tabula ex lapide calcareo; Monachi in antiquario (1/5).

a. 182



0,043

0,011

0,031

D(is) M(anibus) | *Iul(ius) Victor Martial(is) f(ilius)* | *ob(iit) an(norum) LV;* | *Bessa Iuvenis f(ilia) ux(or)* Θ *(obiit) an(norum) XLV;* | *Novella Essibni f(ilia) ob(iit) a(nnorum) XVIII;* | *Victorinus parentib(us)* | *et coniugi et Victorinae fil(iae) fecit,* | *qui per luem vita functi sunt Mamertino et Rufo co(n)s(ulibus)* | *et Aur(elio) Iustino fratri mil(iti)* | *leg(ionis) II Ital(icae) stipend(iorum) X* Θ *(obiit) a(nnorum) XXX*

CIL III 5567 vv. 2. 8. 9. Luem in oriente natam anno c. 166 usque ad Commodi aetatem in his quoque regionibus saevisse ex testimoniis in CIL adscriptis discitur.

---

377 Originis incertae (fortasse Sirmiensis) ex Pannonia inferiore, basis lapidea; Pestini in museo (1/5).




0,065

0,060

D(is) M(anibus) | *T. Fl(avio) T. fil(io) Quir(i)n(a) Se|vero Gogaeno an(norum)* | *LVIII, dec(urioni) colon(iae) Sir|m(iensis), quaesto(ri), II viro,* | *praefecto fabrum;* | *h(ic) s(itus) e(st).* | *Fl(avia) Severina filia patri* | *pientissimo posuit*

CIL III 3685 vv. 2. 3. *Gogaenus* videtur patriam indicare gentem ignotam, fortasse Hispanam.

378 *Semriach* prope *Feistritz* in Norico, in valle fluvii *Mur*, tabula lapidea; ibi in ecclesia ($\frac{1}{8}$).




0,057
0,048
0,044
0,037

Host(ilius) Tunger | et Ingenua Vi|cari f(ilia) v(ivi) f(ecerunt) sib(i) et | Tacito f(ilio) m(iliti) chor(tis) | VII pre(toriae) an(norum) XXX

CIL III 5450 integra.

---

379 Bedaii (*Chieming*) in Raetia, tabula lapidea; Monachi in antiquario ($\frac{1}{5}$).




0,070
0,058
0,052
0,046
0,024

Cn. Trebonio Fir|mo et Val(eriae) Iantumarae | C. Trebonius Faustus II | virum et praefec(tus) i(ure) d(icundo) civitatis | Aguont(inae) parentibus optimis et sibi | et Treboniae Maximi f(iliae) Exoratae | coniugi fec(it)

CIL III 5583 integra.

---

380 Apuli (*Karlsburg*) in Dacia, 'ara scripta litteris pulchris saeculi Antoninorum'; ibi servatur ($\frac{1}{6}$).



0,026

In antica: ....*c* | .....*er* | ... *balne*.. | *populo pu|blice oleum* | *posuit* | *l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*
In latere sinistro: .... *praesidi?] rarissim[o* | *S]ex. Sentinas Maxi|mus anno primo* | *[f]acti municipi* | *posuit*

Ephem. epigr. II 1875 p. 312 n. 414 vv. 2—4. Apulum municipium factum creditur imperante Marco (CIL III p. 182).

381 Sopianis (*Fünfkirchen*) in Pannonia inferiore, ara ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{6}$).



0,040

Virtuti | et | Honori | L. Ulpius | Marcellus | leg(atus) Aug(usti) | pr(o) pr(aetore) | Pannon(iae) inf(erioris) v(otum) s(olvit)

CIL III 3307 vv. 4. 5. Legatum Britanniae sub Commodo, non Pii Marcique consiliarium iure consultum clarum intellegendum esse indicare videntur formae litterarum. Nexus V et S litterarum ita formati et in regionibus illis frequentis exemplum inter antiquiora numerandum.

III

MONVMENTA GALLIAE ET GERMANIAE

Ex orientalibus Europae regionibus ad occidentem reversi primum Galliae monumenta quaedam proposuimus scripturae ea aetate, de qua agimus, ibi consuetae documenta. Non multa inde certae aetatis quae repraesentarentur colligere contigit.

Flaviorum aetati coniectura tantum, non certo testimonio nisus titulum Vasiensem tribuo, a quo incipio (n. 382); eidem sive fortasse Traiani qui sequuntur Ebrodunensem (n. 383) et Arelatenses duos (n. 384 385): elegantiam enim et artem coniunctas exhibent cum litterarum nexibus artificiosis, qui inde a saeculo demum primo exeunte videntur frequentiores fieri. Qui praeterea huc pertinet cippus terminalis *Pinarii Clementis* a. 74 Aximae in Alpibus Graiis servatus (CIL XII 113), eius vidi ectypum gypseum in museo Sangermanensi: litteris scriptus est eius aetatis aliunde satis notis. Eidem aetati propter nomina barbara fortasse etiam attribuendus est Burdigalensis, quem hic posui (n. 386); forma tamen litterarum magis videtur alteri saeculo medio exeuntive convenire. Non vidi Genavensem a. 90 militarem plus uno nomine memorabilem (CIL XII 2602).

Ad certum imperatoris Traiani annum pertinet titulus quem exhibeo Viennensis a. 101 (n. 387), quocum apte conferri poterit ibidem Viennae repertus et servatus similis decennio recentior a. 111 (CIL XII 1840); basim *Traiani* a. 107 Aximae servatam non habui charta expressam (CIL XII 105). Aetatis Flaviae Traianaeve certa documenta equidem inter Lugudunensia, quae vidi, non enotavi; Alphonsi vero de Boissieu imagines, ut iam supra monui, fallunt, ita ut quae visa sit apud eum illi fere aetati adscribenda esse inscriptio in sarcophago magno *M. Antonii Sacri seviri Augustalis* suorumque sculpta (p. 179) possit etiam aliquanto recentioris aetatis, i. e. saeculi secundi medii exeuntisve esse. Saeculi deinde primi exeuntis ineuntisve secundi titulus ingens amphitheatri Arelatensis est, quem vidi (CIL XII 697): fidelis eius quantum scio imago nondum extat.

Hadriani quae extant novi duas tantum bases alteram prope Viennam ad Rhodanum servatam a. 119 (CIL XII 1797), Antipolitanam alteram ad natalem imperatoris celebrandum positam a. 124 (CIL XII 169): de neutrius litteris iudicare possum.

Aram taurobolii pro salute Pii a. 160 Luguduni facti Boissieu (p. 24) exhibet solita quidem elegantia delineatam, sed propter modulum, quem sibi imposuit ubique sequendum, litterae eius tam parvae sunt, ut de forma earum iudicium certum ferri nequeat. Paullo certius iudicari potest de fragmento tituli honorarii flaminis alicuius Augustalis, *cui divus Aurel(ius) Antoninus centenariam procurationem prov(inciae) Hadrymetinae dedit* (p. 156). *Veri* basim Aximensem (CIL XII 107), *Anniae Faustinae* Reiensem (CIL XII 361) non novi. Ad Hadriani Piive aetatem pertinet basis magna Lugudunensis duorum *Celsorum* patris et filii *Maximiani* (Boissieu p. 246), item Aquis Sextiis servata *Sex. Aemilii Paulli* (CIL XII 537) et Tegnae ad Rhodanum extans *C. Valerii Macedonis, cui divos Hadrianus latum clavom cum quaestura optulit* (CIL XII 1783); ad Marci et Veri basis Massiliensis *Cn. Val(erii) Cn. f(ilii) Quir(ina) Pomp(tina) Valeriani equo publico honorati a sacratissimis imp(eratoribus) Antonino et Vero Aug(ustis)* cet. (CIL XII 410); ad eandem fere Lugudunensis *L. Marii Perpetui* patris Marii Maximi rerum scriptoris (Henzen 6642), cuius satis fidam imaginem exhibet Boissieu (p. 236). Vesontione basis extabat statuae *P. Scipionis Africani* fortasse maioris scripta illa litteris similibus atque Mummiana Parmensis, de qua supra dixi (p. 118), unde hic repetenda curavi quae eius supersunt (n. 389). Scripturae eiusdem aetatis malae et gracilis exemplum est ara taurobolii Lactoratensis (n. 390). Denique Pii Marcive aetati etiam tribuendus videtur cippus Lugudunensis *L. Vippi Potiti* (n. 391).

Aetatis Commodianae arae extant Luguduni tauroboliorum duae a. 184 et 190 (Boissieu p. 28 et 31), scriptae, si fides est imaginibus propositis, litteris admodum bonis; comparentur cum illis arae et ipsae tauroboliorum a. 184 Tegnensis (CIL XII 1782) atque anni incerti, sed in qua Commodi nomen erasum est, Arausionensis (CIL XII 1222). Unum tantum eius aetatis testem proferre potui ne certum quidem *T. Flavii Latiniani praefecti vigilum* titulum Lugudunensem (n. 392).

Longa series titulorum magnificorum, qui saeculo altero plerique positi sunt Luguduni sacerdotibus Romae et Augustae a tribus Galliis viris omnibus honoribus functis, magistratibus municipalibus, negotiatoribus deinde et privatis, si litterarum formae aliquando accuratius considerabuntur, certius secundum aetates distribui poterunt, quam Alphonsi de Boissieu imagines sinunt propter causas supra iam allatas; nequaquam enim tam aequabili litteratura utuntur, quam in illis videntur. Ceterum ne iniusti videamur, in titulis quibusdam litteras graciles et pictis similes imagines eius fideliter exprimunt, veluti in arula parva *Larum Augustorum* (p. 49), item in cippo *Uxassonis Nigri* (p. 525 CX); quae monumenta hic memoro, quia et ipsa videntur saeculi alterius esse.

In fine posui titulum Lugudunensem item, sed Boissevio ignotum, *Iuliae Maianae* teste Hirschfeldio immerito pro falso habitum (n. 393), quem propter apices aliasque ob causas infra Marci Commodive aetatem descendere non est probabile.

Ex Germaniarum monumentis quae huc pertineant non infrequentibus selegi haec quae repraesentanda curarem. Aetatis Flaviae documenta esse volui aram Agrippinensem *Mercurii Augusti* pro salute imperatoris Titi positam (n. 394), cippos sepulcrales militum annorum indicationibus carentes Noviomagensem (n. 395) et Gustavoburgensem (n. 396); documentum hoc ex Germania superiore, ex inferiore priora duo. Atque titulos quidem sepulcrales coniectura tantum aetati illi tribuo; coniectura non minus probabili addere potueram aram parvam musei Agrippinensis *Diti patri et Proserpinae* sacram (Bramb. 404) scriptam litteris elegantibus non magnis (versu primo altae sunt 0,050), cippos sepulcrales militum Leidensem *M. Traianii Gumattii Gaisionis f(ilii) veter(ani) alae Afrorum* (Bramb. 66), qui scriptus est litteris prorsus earum similibus, quibus *P. Solii Suavis* (n. 396); Calcarensem servatum in museo Traiectino *L. Carantii* [-.] *f(ilii) Senecionis F . . . . . ci* [latet gentis nomen] *eq(uitis) alae* [*Arava*]*corum* (Bramb. 168); e Castris Veteribus protractum et servatum in museo Bonnensi *L. Vettii L. f(ilii) Volt(inia) Regini aquiliferi leg(ionis) XXI* (Bramb. 196), qui scriptus est litteris admodum elegantibus; Agrippinenses *Albanii Vitalis eq(uitis) alae Indianae* (Bramb. 307), *T. Iulii Tuttii T. f(ilii) Claudia Viruno mil(i-*

tis) leg(ionis) XXII primig(eniae) (Bramb. 311); Mogontiacenses *Freioveri Veransati f(ilii) civis Tungri eq(uitis) ex coh(orte) I Astur(um)* (Bramb. 1231), *Caei Haneli f(ilii) mhilitis* [sic] *ex coh(orte) I Ituraiorum* (Bramb. 1233), *Monimi Ierombali f(ilii) mil(itis)* cohortis eiusdem (Bramb. 1234); quorum hi ultimo loco memorati hominum barbarorum scripti sunt litteris multo quam illi deterioribus.

Aetatis Traianae exhibui Batavum unum certi anni scriptum litteris exempla bona non satis feliciter imitantibus (n. 397), quae videntur demonstrare etiam in illis regionibus aetate ea urbanam paene elegantiam fuisse artis lapidariae. Ceterum monumenta eius aetatis certa in Germaniis rarissima esse notum est: praeter miliarium unum Noviomagense, cuius ectypum vidi (Bramb. 1927) et basim in lapicidinis apud Brohl repertam fortasse nunquam perfectam (Bramb. 667), nulla, quantum scio, servata sunt. Sed eiusdem fere aetatis puto esse fragmenta duo tituli ad epistylium aedificii alicuius pertinentis servata in museo Stuttgartensi (Bramb. 1571); scriptus est litteris magnis (altis 0,100) bonisque. Item huc fortasse pertinet titulus Mattiacensis sepulcralis *Titi Flavii Germani veterani leg(ionis) XXII pr(imigeniae) p(iae) f(idelis) natione Batavi* in museo Wiesbadensi (Bramb. 1517); denique sepulcrales aliquot privatorum hominum, veluti Traiectinus *M. Ingonii N. f(ilii) Marcelli et Agisiacae L. f(iliae) Lucillae* eius (Bramb. 54), Bonnensis *L. Saurii Saturnini* alicuius *d(ecurionis) vet(eranorum)* (Bramb. 713); sunt illi litteris latis et profundis scripti. Altae contra et graciles apparent litterae in titulo sepulcrali prope Bingium reperto, cuius exemplum exhibui (n. 398): vix enim eum, quanquam primo statim obtutu videri possit, antiquiorem esse existimo quam illos. Prorsus ei similis est litteratura Noviomagensis *Sex. Secundii Papiria Felicis IIIIII (viri) Augustalis c(oloniae) V.... T,....* [nomen oppidi ignotum est], cuius ectypum vidi in museo Leidensi (Bramb. 82).

Proprium quodam modo scribendi genus distinguere mihi videor in matronarum aliquot monumentis, quae inter multa eiusdem generis per omnem Germaniam frequentibus credo esse vetustissima. Unum exhibui Roedingense musei nunc Mannhemiensis, quod etiam anaglyphorum, quibus ornatum est, arte principem facile inter monumenta illa locum obtinet (n. 399): tamen litterae, quamvis simplici quadam elegantia non carentes, artificio provinciali sculptae sunt aperte. Unde non sine probabilitate, quod rationes grammaticae et epigraphicae aeque suadent, tribuuntur saeculo primo exeunti ineuntive alteri. Eidem aetati tribuo inter ea eius generis monumenta quae vidi Batavum *deae Nehalenniae* positum a *T. Calvisio Secundino ob meliores actus* (Bramb. 60), Gripswaldensia musei Bonnensis veluti id quod *matronis Octocanabus* posuit *C. Salvius Quetus* [sic] (Bramb. 249); Agrippinensia *matronis Afliabus* positum a *M. Mario Marcello pro se et suis ex imperio*, ut Roedingense, *ipsarum* (Bramb. 338) atque *matronis Rumanehabus sacr(um)*, quod posuit *L. Vitellius Consors explo(rator) leg(ionis) VI victr(icis)* (Bramb. 601). Ab his enim titulis omnibus, quos aliis quoque de causis aetati illi quam dixi tribuendos esse periti mecum consentient, facile distinguuntur ipsis litterarum formis recentiores, veluti Roedingensis item musei Mannhemiensis *Etraienis et Cesaienis a Bassiana Materna et Bassiana Paterna ex imp(erio) ips(arum) l(ibentibus) m(erito)* positus (Bramb. 616), quem tribuo saeculo alteri fere medio, multique alii.

Saeculo denique primo extremo ineuntive secundo videtur tribuendum esse monumentum sepulcrale hic propositum Stuttgartense *Sicnae Crispini f(iliae)* (n. 400), quod ex vico parvo limitari oriundum accurate quidem, sed sollertia quadam provinciali sculptum est.

Transeo ad saeculi alterius monumenta Rhenana. Atque Hadrianae quidem aetatis certa quae exhiberem non habui; nam Treverensia duo, columna miliaria a. 121 (Bramb. 1936) minus bene servata et *Calvae deae* titulus a. 124 (Bramb. 853), quae vidi, idonea non visa sunt quae repraesentarentur. Nec multa novi monumenta, quae coniectura plus minusve probabili ei aetati adscriberem; quod casu sine dubio accidit. Pertinet huc nisi fallor monumentum Agrippinense *I(ovi) o(ptimo) m(aximo)* positum a *M. Aemilio Crescente praef(ecto) class(is) Germ(anicae) p(iae) f(idelis) cum Aemilio Macrino filio hic suscepto* (Bramb. 355), quod scriptum est litteris paene eisdem atque monumenta eius aetatis in Italia superiore reperta (veluti supra n. 355 356); unde exemplum eius proponere omisi. Litteris similibus sed non aeque bonis scripta est ara *matrum Noricorum* in vico Vechten apud Batavos reperta (Annal. Bonnens. XLVII. XLVIII a. 1869 p. 160); item cippus sepulcralis musei Cassellani militi cuidam, ut videtur, *P. Sepetumieno* [sic] *L. f(ilio) Frontoni* positus (Bramb. 941); denique ara in museo Stuttgartensi servata *deae Abnobae*, quam *Q. Antonius Silo 7 (centurio) leg(ionis) I adiutricis* et quinque aliarum legionum consecravit (Bramb. 1626).

Ad Pii imperium monumenta spectant tria, quorum exempla proponere potui: miliarium Rigomagense (n. 401), ara *Apollinis Pythii* ex Agris Decumatibus (n. 402), basis ipsi imperatori posita in vico aliquo limitari eiusdem regionis (n. 403). Quod praeterea extat miliarium eius Treverense (Bramb. 1937) valde detritum est; ara *Fortunae respicientis* a. 148 musei Stuttgartensis eiusdem anni ei, quam exhibui (n. 402), simillima est. Fragmentum Saalburgense (Bramb. 1425) exhiberi non potuit. Atque ea quidem monumenta litteras habent opificio factas probabili, sed cum libertate quadam provinciali coniuncto. Puto eodem pertinere sarcophagum magnum Agrippinensem *M. Gavii Primi a militiis* (Bramb. 398); item aram *dei Mercurii* musei Spirensis, quam *C. Aufillius* [ita videtur legendum esse] *Adiutor ex iussu posuit* (Bramb. 1829). Inter optima eius sive paullo recentioris aetatis exempla numerandus videtur titulus Antunnacensis *in h(onorem) d(omus) d(ivinae) Merc[urio et] Rosmertae* in aedicula inscriptus, servatus in museo Agrippinensi (Bramb. 681).


Marci et Veri aetatem repraesentatam volui miliario altero Rigomagensi (n. 404) et lapide ad portam castelli Divitiensium olim affixo (n. 405); scripta sunt monumenta ea litteris non malis, quanquam vera et aequabilitate et elegantia carentibus. Similiter scriptae sunt ara *Iovis* Bonnensis pro salute *Pii et Marci* (Bramb. 305) et ara *Apollinis et Dianae* posita a. 178 et Aschaffenburgi servata (Bramb. 1751). Multo deterioribus litteris sculptae sunt arae quae sequuntur duae Aureliensis deo incerto a. 169 sacra (n. 406) et Mogontiacensis *Iovis* posita a. 170 (n. 407). Opificio vero non spernendo debetur titulus sepulcralis Mogontiacensis, qui sequitur (n. 408), utpote factus in provinciae oppido primario; puto illum probabiliter huic aetati tribui. Comparentur cum his monumentis ara *deae Sunucsall(is)* a *Volerio* [sic] *Pusinnioni (filio)* posita, quae est in museo regio Bonnensi (Bramb. 569); item Mogontiacensis *Fortunae Aug(ustae) sacc(ra)* [sic], quam *Nemonius Senecio c(urator) v(eteranorum)* cum eorundem *q(uaestore)* et *act(ore)* dedit (Bramb. 1049); deinde perparva eiusdem deae ex Novo Vico (*Heddernheim*) in museo Wiesbadensi extans (Bramb. 1468). Etiam qui nuper prodiit Mogontiaci titulus sepulcralis *Dis Manibus Gai nat(ione) Rhodi*,

quem *Athenodorus pater fecit*, eiusdem aetatis et litteraturae similis est. Denique eisdem nisi fallor saeculi secundi labentis litteris latis magis quam altis, sed satis bonis scriptus est titulus monumenti celeberrimi *Secundiniorum* apud *Igel* vicum extantis (Bramb. 830), cuius fidelis adhuc desideratur imago; equidem photographam ante oculos habeo.

Restant monumenta aetatis Commodianae, quae satis frequentia sunt in Germaniis. Annorum certorum sex exempla exhibeo: Agrippinense *imperatoris* ipsius, quod erasionem effugit (n. 409); item Mogontiacense (n. 410); Bonnense *philosophi* alicuius non noti (n. 411), sed aetatis huius; *militare* ex castello, quod fuit Altae Ripae ad Rhenum (n. 412); aram *Iovis* Noviomagensem (n. 413); *Iovis Iunonis Fortunae Minervae* Mogontiacensem (n. 414); denique *Deanae Abnobae* aram ad saltum eius deae repertam (n. 415). Tria ex monumentis illis scripta sunt litteris satis bonis (n. 409 410 413), reliqua minus bonis, sed tamen non prorsus sine artificio. Similia illis sunt quae praeterea extant mihique visa sunt monumenta certa aetatis Commodianae ara Mogontiacensis a. 182 (Bramb. 1023), Bonnensis a. 190 (Bramb. 485); Miltenbergensem et Aschaffenburgensem, a. 191 utramque, non vidi (Bramb. 1740 1752). Deinde eiusdem fere litteraturae vidi Coloniae Agrippinae aram *Soli Serapi cum sua cline in h(onorem) d(omus) d(ivinae)* datam a *Dextrinia Iusta L. Dextrini Iusti filia Agripp(inensi)* (Bramb. 330), item *I(ovis) o(ptimi) m(aximi)* a *L. Aemilio Caro leg(ato) Aug(usti)* aetatis aliunde ignotae (Bramb. 334); praeterea tabulam ex lapide calcareo albo repertam ad Confluentes Rheni et Mosellae, inscriptam *quadrivium circumsaeptum et portam ex voto suscepto C. Crispinius Cladaeus publicanus v(otum) s(olvit) m(erito)* (annal. Bonnens. L. LI a. 1871 p. 295): litterae eius simillimae sunt tituli Noviomagensis infra propositi (n. 413), qui est a. 185. Neque multum ab illis differunt *arae Herculis* ad vicum *Oberwinter* repertae, quae servantur in museis Bonnensi et Mannhemiensi (Bramb. 640—644). Deterioris etiam litteraturae, sed eiusdem fere nisi fallor aetatis sunt ara *in h(onorem) d(omus) d(ivinae) Volkano* sacrata *a vicanis Murrensibus* (Bramb. 1595) et Neckarburcensis, quam *Minervae pro salute imp(eratoris) n(ostri) librari* posuerunt (Bramb. 1727).

Atque haec quidem sunt monumenta Germaniarum, quae pertinere visa sunt ad aetatem a Vespasiana ad Commodianam.

382 Vasione Vocontiorum, basis litteris optimis; in museo Avenniensi ($\frac{1}{6}$).




0,024

Vasiens(es) Voc(ontii) | C. Sappió C. filió Volt(inia) | Flávó | práefect(o) Iúliénsium, tribún(o) | mílitum leg(ionis) XXI rapácis, práef(ecto) | áláe Thrácum Hérculániae, práef(ecto) | rípáe flúminis Euphrátis, | quí HS (sestertium) XII (duodeciens miliens) rei publicaé Iúliéns(ium), | quod ad HS (sestertium) XXXX (quadragiens miliens) ússúrís perdú|cerétur, testámentó reliquit, idem HS (sestertium) L (quinquagiens miliens) ad porticum ante thermás | marmoribus órnandam légávit

CIL XII 1357 vv. 8—12 excepta particula extrema dextra. Saeculo primo tribuendam esse Hirschfeldius proposuit probabiliter; litteratura aetati Flaviae videtur convenire. Tamen non negaverim antiquiorem esse posse.

383 Ebroduni, basis marmorea 'litteris bonis saeculi secundi'; extat Aquis Sextiis in museo ($\frac{1}{8}$).




0,082
0,062
0,046
0,040
0,030

L. Allius | Véri f(ilius) Páp(iria) | Vérinus dec(urio) | II vir flám(en) Aug(usti) | provinc(iae) Alp(ium) mar(itimarum) sibi et | Fl(aviae) Valentini fil(iae) Cassiáe | uxóri piissimáe def(unctae), | Ulattiáe M. fil(iae) | Marcelláe socrui | optumae v(ivae), L. Allio Avito f(ilio) dec(urioni) v(ivo), | L. Allió Fláviáno f(ilio) v(ivo), | Alliáe Avítae fil(iae) v(ivae)

CIL XII 81 vv. 1—5.

384 Arelate, tabula ex lapide calcareo, litteris elegantibus; ibi in museo ($\frac{1}{6}$).




0,090 0,055 0,048 0,025 0,022

Spendonti | C. Stati Patercli | Q. Statius Murranus | sodali
Iam bis ut octonos Spendon compleverat annos
raptusque a fatis conditus hoc tumulost

CIL XII 882 integra. V. 3 extr. N et V non tam videntur consulto contignatae quam V errore omissa postea adiecta esse.

385 Arelate, cippus ex lapide calcareo, litteris elegantibus; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).




0,058 0,046 0,042 0,038

Dis Man(ibus) | Antoniae | D(e)q(umi) f(iliae) Antullae | L. Vifidius Quartus | matri piissimae

CIL XII 755 integra.
Saeculi primi esse Hirschfeldius recte existimat; ars quadrataria et litterarum nexus aetati Flaviae videntur convenire.

386 Burdigalae, cippus ex lapide calcareo; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).




0,058 0,045 0,042 0,040 0,038

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Boi(as?) Tertius Un|agi f(ilius) ex test(amento) | pon(i) iussit; Matu|genus et Matu|to f(ilii) curaver(unt)

Dictionnaire archéol. de la Gaule, époque celtique I p. 173 integra.

387 Viennae in Gallia Narbonensi, basis ex lapide calcareo; ibi in museo (1/8).

a. 101 — 0,033 — 0,028 — 0,025




Anno | imp(eratoris) Caes(aris) Nervae | Traiani Aug(usti) | Germanici IIII | Q. Articulei Paeti | co(n)s(ulum) | pontif(ex) ex stipe

CIL XII 1839 integra.

---

388 Viennae, basis marmorea; ibi in museo (1/8).

a. 143 aut 148 — 0,060 — 0,048



C. Bellico | Calpurnio | Torquáto | có(n)s(uli), | optimo | civi, | Viennénsés | patróno

CIL XII 1853 integra. Versu paenultimo etiam in tertia E apicem vidit Hirschfeldius. Aetatem definivit Borghesius opp. VIII p. 613.

389 Vesontione reperta in foro, basis marmorea (titulus *de buste ou de statue, en caractères de haut stile*); servatur ibi.

0,080




P. Corneliu[s] | Scipi[o . . .

A. Castan *rev. archéol.* 21, 1870 p. 100 tab. 4.

---

390 Lactorate (*Lectoure*) in provincia Aquitania, basis ex lapide calcareo; ibi in museo (1/8).

c. a. 160? — 0,040




M(atri) deum | Iul(ia) Valentina et sequitur nomen incertum | *tauropolium | fecerunt | XV k(alendas) Nov(embres) | Pol(lione) et Apro co(n)s(ulibus) | sacerdote Zmynthio Proculiani*

Grut. p. 30, 4[b] vv. 1 et 5. 6. Pollio et Aper iterum ambo consules fuerunt a. 176; quo anno primum fuerint non constat.

---

391 Luguduni, basis magna ex lapide calcareo; ibi in museo (1/8).


0,040 — 0,036 — 0,034



D(is) M(anibus) | L. Vippi Potiti | Valeria Veneria | marito bene me|renti posuit

Boissieu *inscriptions de Lyon* p. 528 CXXIII vv. 1—3. ↄ non Q est, sed L.

392 Luguduni, ara ex lapide calcareo; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).




0,042

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | depulsori et | diis deabusque | omnibus et | Genio loci | T. Flav(ius) Latinianus | praefectus | vigilum

Boissieu *inscriptions de Lyon* p. 3 I vv. 6—8.
'*Le style rappelle le second siècle*' Boiss., cuius imago paullo elegantior est quam lapis; puto aetatis fere Commodianae esse.

393 Luguduni, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).



0,055

0,030

0,020

D(is) M(anibus) | et quieti aeternáe | Iuliae Maianae femi|náe sanctissimae manu | mariti crudelissim(e) interfect(ae) e. q. s. | o fides o pietas; Iul(ius) Maior fra|ter soróri dulciss(imae) et In[g]enuinius | Ianuarius fil(ius) eius p.... [su]b a(scia) d(edicaverunt)

Spon *recherches* (ed. Monfalcon a. 1857) p. 368 vv. 1—4 et 10—12.

394 Coloniae Agrippinae, ara magna ex lapide calcareo; ibi in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 79-81




0,092

0,068

[Merc]urio August[o | pro salute imper]atoris Titi Caesaris | [Augusti] templum a fundament[o | .... mace]riem in circumitu et aedificis | ....

Brambach 2040 vv. 1. 2.

395 Noviomagi Batavorum, cippus ex lapide calcareo; ibi in curia, ectypum gypseum est in museo Leidensi ($\frac{1}{8}$).



0,080


0,072

0,066

Q. Bisius Secund(us) | Q. f(ilius) domo Brixsae | mil(es) leg(ionis) X g(eminae) 7 (centuria) Comini | Celsi an(norum) XXX stip(endiorum) [XII] | hered(es) ex t(estamento) f(aciendum) c(uraverunt)

Brambach 116 vv. 1—3. Saeculi puto primi fere exeuntis esse; observa v. 3 centuriae notam viti non dissimilem.

396 In vico *Gustavsburg* ad Moeni ostia, cippus ex lapide calcareo cum imagine militis (Haug n. 68); in museo Mannhemiensi (1/8).



0,100
0,075
0,070

P. Solius | P. f(ilius) Vol(tinia) Su|avis Viana | mil(es) leg(ionis) XXII | prim(igeniae) an(norum) | XXXXVII stip(endiorum) | ....

Brambach 1382 (Haug *die römischen Denksteine des Antiquariums in Mannheim* p. 39) vv. 1—4. Aetate Vespasiani non videtur antiquior.

---

397 *Roomburg* prope Lugdunum Batavorum; servatur ibi, in museo Leidensi ectypum gypseum est (1/8).

a. 104-111




0,071
0,066

[Imp(eratore) Caes(are)] Nerva Traia|[no Au]g(usto) Ger(manico) Dacico, p(ontifice) | max(imo), tr(ibunicia) p(otestate), p(atre) p(atriae), co(n)s(ule) V | coh(ors) I Lucensium p(ia) f(idelis)

Brambach 6[b] vv. 1. 2. In aversa lapidis titulus est Septimii Severi infra n. 611 (Bramb. 6[a]).

---

398 Prope Bingium infra Navam, tabula ex lapide calcareo; servatur *Kreuznach* in curia (1/8).




0,082
0,067

Iulia Quintia ann(orum) XL Ti. Iul(ius) | Severus ann(orum) XXV h(ic) s(iti) s(unt); | Ti. Iul(ius) Eunus coniug(i) filio posuit

Brambach 737 vv. 1. 2.

399 In vico *Roedingen* prope Iuliacum, basis ex lapide arenario (*Maestrichter Kreidetuff*) cum anaglypho optimo trium matronarum sedentium, in lateribus puer et puella (camillus et camilla) sacra faciunt; in museo Mannhemiensi ($\frac{1}{3}$).




0,055
0,045

Matron(is) Gesaien(is) | *M. Iul(ius) Valentinus* | *et Iulia Iustina* | *ex imperio ipsarum l(ibentes)* [*m(erito)*]

Brambach 613 integra.

Editum est anaglyphum in ephemeride archaeologica XXXIV a. 1876 p. 61 ss.; adnotavi ibi M. Iulium hunc Valentinum diversum quidem videri a Batavo cognomine, cuius Tacitus (hist. IV 68—85) mentionem facit, tamen opus titulumque videri saeculo primo exeunti ineuntive alteri attribuendum esse. Litterarum formae quanquam non inelegantes tamen quadratarium provincialem arguunt; nec successit omni ex parte ei, qui ectypum delineavit, ut accurate illas imitaretur. L ultima casu tantum angulum habet acutum.

400 *Steinhausen* prope *Mochenwangen, Oberamt Ravensburg*, in Raetia inter Danuvium et lacum Brigantinum, tabula ex marmore Italico; in museo Stuttgartensi ($\frac{1}{6}$).



0,044
0,040
0,044
0,036

Sicna Cr|*ispini f(ilia)* | *vix(it) an(nis) XL* | *Proc(ulus) mar(itus) m(erenti) f(ecit)*

Th. Mommsen *archaeol. Zeitung* 25 (1867) p. 60* (in CIL III omissa).

Litterarum forma et nominum ratio saeculo primo exeunti videntur convenire. Possis etiam solvere *Proc(ilius) Mar(tialis)*.

401 Rigomagi (*Remagen*) ad Rhenum, columnae miliariae fragmentum; Bonnae in museo regio ($\frac{1}{8}$).

inter a. 140 et 145




0,070

Imp(eratore) Caesare divi | *Hadr*[*iani*] *f(ilio), divi Tra*|*iani Par-*[*thici n(epote), divi Nervae*] | *prone*[*p(ote) T. Aelio Hadriano*] | *Antonin*[*o Augusto Pio*], | *p(ontifice) m(aximo), tr*[*ib(unicia) pot(estate)* . . . ., *co(n)s(ule)*] | *III, p(atre) p(atriae) a co*[*l(onia) Agripp(ina)*] | *m(ilia) p(assuum) XX*[*X*]

Brambach 1930 vv. 5—7.

402 *Böckingen* prope *Heilbronn*, basis ex lapide arenario; in museo Stuttgartensi ($\frac{1}{6}$).

a. 148




0,039
0,033
0,030

Apollini | *Pythio sacr(um)* | *Nasellius Proclianus* | 7 *(centurio) leg(ionis) VIII Aug(ustae)* | *Torquato* | *et Iuliano co(n)s(ulibus)* | *v(otum) s(olvit) l(ibens) l(aetus) m(erito)*

Brambach 1590 vv. 1. 2 et 4—6. Consules sunt anni s. s.

403 In castello *Jagsthausen* ad limitem Germanicum, basis ex lapide calcareo; in museo Stuttgartensi ($\frac{1}{4}$).

inter a. 138 et 161




0,047

Imp(eratori) Caes(ari) divi Adr(iani) [sic] *f(ilio)* | *divi Trai(ani)* | *Parthici* | *nep(oti) divi Ne*|*rvae prone*|[*poti T. Aelio Hadriano Antonino Augusto Pio* . . . . . .]

Brambach 1607 vv. 2—4.

404 Rigomagi (*Remagen*) ad Rhenum, columna miliaria; in museo Mannhemiensi (1/8).

a. 162



0,085
0,060


Imp(eratore) Caes(are) | *M. Aurel(io) Anto|nino Aug(usto), pont(ifice)* | *max(imo), tr(ibunicia) pot(estate) XVI,* | *co(n)s(ule) III et* | *imp(eratore) Caes(are) L. Aurel(io) Vero Aug(usto),* | *tr(ibunicia) pot(estate) II, co(n)s(ule) II* | *a col(onia) Agripp(ina)* | *m(ilia) p(assuum) XXX*

Brambach 1931 vv. 1—3. Temporum notae incidunt in annum s. s. In ectypo lapidis satis evanidi et ipso evanido mihi eique, qui exemplum meum delineavit, PONT legendum esse visum est, non PONT.

---

405 In castello Divitiensium (*Deutz*) supra portam septentrionalem, lapis calcareus; servatur Coloniae in museo (1/8).

a. 163-165



0,085
0,080
0,075

[I]mp(erator) II Mar|cus Aureli|us Antonin|[us] Pius et imp(erator) II | *[Lu]cius Aureliu[s* | *Ver]us co......*

Annales Bonnenses LXVIII (1879) p. 22 et 47 vv. 1—3. Titulus a scriba provinciali contra morem omnino conceptus a quadratario tamen satis sollerti videtur incisus esse.

---

406 In vico Aurelio (*Oehringen*) ad limitem Germanicum; in museo Stuttgartensi (1/5).

a. 169




0,025

[illi deo, ... fortasse *I(ovi) o(ptimo) m(aximo)*, sequuntur nomina militum, ut videntur, septem vel plurium qui] *v(otum) s(olverunt) l(ibentes) l(aeti) m(erito) d(e) s(ua) p(ecunia)* | *[ka]l(endis) Sep(tembribus) Pris(co) et Apo(llinare) co(n)s(ulibus)*

Brambach 1558 v. 8. Consules sunt anni s. s.

407 Mogontiaci, ara anaglyphis deorum Fortunae(?) Mercurii Herculis ornata; in museo Wiesbadensi ($\frac{1}{6}$).

a. 170




0,044
0,034

[In h(onorem)] d(omus) d(ivinae) I(ovi) o(ptimo) m(aximo) E(liopolitano?) | Meloni Carantus | et Iucundus de suo | d(ant) vico novo Me|lonior(um) Cethego et Claro | co(n)s(ulibus)

Brambach 1321 vv. 4—6. Consules sunt anni s. s.

---

408 Mogontiaci, cippus ex lapide arenario rubro; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).



0,052
0,042
0,037


D(is) M(anibus) | T. Fl(avii) Salviani | ex praef(ecto) explora|torum Divitiensium, | militiae quartae, | equiti Romano, | Baebius Isidorus | Ɔ (centurio) leg(ionis) amico | f(aciendum) c(uravit)

Brambach 991 vv. 2—4 et 8.

---

409 Coloniae Agrippinae, tabulae ex lapide calcareo fragmenta varia; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).

inter a. 180 et 192




0,063
0,056
0,054

Imp(erator) Caesar [M. Aurelius Com]|modus Anton[inus Aug(ustus) Pius Sarm(aticus) max(imus) | Ge]rma[n(icus)] maximus | Bri(tannicus) maximus ....

Brambach 2035 vv. 1—3 partes superstites. Quod v. 3 non videtur ad regulam positus, a quadratario peccatum est. Commodi nomen liturae nullius vestigia monstrat.

410 Mogontiaci, ara ex lapide calcareo; in museo Mannhemiensi (1/8).

inter a. 180 et 192



0,052

0,048


Pro salute imp(eratoris) M. Au|rel(ii) [Commodi] Antonini | Pii Felicis | Fortunae reduci leg(ionis) XXII pr(imi-geniae) p(iae) f(idelis) C. Gentil|ius Victor vet(eranus) leg(ionis) XXII pr(imigeniae) p(iae) f(idelis) m(issus) h(onesta) m(issione), negot(iator) gladiarius | testamento suo fieri | iussit ad ~~HS~~ (sestertium) n(ummum) VIII mil(ia)

Brambach 1076 vv. 1—3. Commodi nomen erasum adhuc dispicitur.

---

411 In vico *Wesseling* non procul a Bonna, tabula ex lapide arenario; in museo regio Bonnensi (1/8).

post a. 179



0,075


Q. Aelio | Egrilio | Euareto | philosopho, | amico Salvi | Iuliani, Aelia | Timoclia uxor | cum filis

Brambach 449 vv. 1—3. Salvius Iulianus iure consultus clarus consul fuit a. 175, legatus fortasse Germaniae inferioris anno s. s.

---

412 In vico Nemetum Alta Ripa (*Altripp*) ad Rhenum, ara ex lapide calcareo cum Genii imagine; in museo Spirensi (1/6).

a. 181




0,037

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | Genio b(ene)f(iciariorum) co(n)s(ularis) G(ermaniae) s(uperioris) et | loci sequitur nomen loci quod non intellegitur | *C. Stat(ius) Adventus b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) imp(eratore) [M. Aur(elio) Com|modo] Aug(usto) III et Burro co(n)sulibus) | v(otum) s(olvit) l(ibens) l(aetus) m(erito) | tem[p]l(o) rest(ituto)?*

Brambach 1791 vv. 2. 5. Consules sunt anni s. s.

413 Noviomagi Batavorum, ara ex lapide calcareo; ibi in curia, ectypum gypseum est in museo Leidensi (1/6).

a. 185



0,035


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | et Genio | loci | C. Candidinius | Sanctus sign(ifer) | leg(ionis) XXX U(lpiae) v(ictricis) | pro se et suis | l(ibens) m(erito) | [M]aterno et Attico co(n)[s(ulibus)]

Brambach 101 v. 9. Maternus et Atticus consules sunt anni s. s. Punctum post A litteram errore quadratarii sculptum est.

---

414 Mogontiaci, ara magna ex lapide arenario cum anaglyphis quattuor; ibi in museo (1/4).

a. 192



0,050

0,040

0,035

In antica: [*I(ovi)*] *o(ptimo) m(aximo)* | [*Iu*]*noni Reginae* | [*For*]*tunae Minervae* | sequuntur versus complures qui legi non possunt, deinde in fine [*Commodo VII* | *P*]*ertinace II* | *co(n)s(ulibus)*


In latere titulus mutilus litteris minoribus (0,028) scriptus, qui non satis intellegitur

Brambach 993 vv. 2. 3 et ultimi duo. Consules sunt anni s. s. E littera prior in vocabulo *Minervae* v. 2 infra mutila est.

---

415 In vico *Mühlenbach* prope Friburgum Brisigavense; ibi in bibliotheca (1/5).

a. 193



0,032

0,030

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | Deanae Abn|obae Cassia|nus Casati | v(otum) s(olvit) l(ibens) l(aetus) m(erito) | et Attianus | frater Fal|con(e) et Claro | co(n)s(ulibus)


Brambach 1683 vv. 2—4 et 8. 9. Consules sunt anni s. s.

IV

MONVMENTA BRITANNIAE

Cum aetatis Claudiae Neronianaeque, quae est Britanniae provinciae vetustissima, monumenta quae hic exhiberentur non suppeterent, initium faciendum erat a monumento insigni Camalodunensi militis ad aetatem Vespasiani relato probabiliter (n. 416). Quod aetate subsequitur simile Eburacense *L. Duccii L.* [*f(ilii)*] *Volt(inia) Rufini Vien(nensis) signif(eri) leg(ionis) VIIII* (CIL VII 243), cuius nuper imaginem proposuit satis accuratam Ioh. Ed. Price (*on a bastion of London wall* cet., Londinii 1880 4., p. 52 tab. V), aetatis certo Traianae, litteras habet breviores multoque minus elegantes; etiam militis imago anaglypha rudis est neque ullo modo comparanda cum M. Favonii Facilis affabre sculpta. Contra basis magna *Traiano* Eburaci posita a. 108 a legione nona (CIL VII 241) litteras habet satis elegantes et ab Italicis eiusdem aetatis vix diversas. Quando vero quadratarii vel provinciales vel militares litteras sculpebant, consentaneum est opificium eis minus bene cessisse: id quod demonstrant tituli ad vallum Hadriani pertinentes, quorum exempla exhibui (n. 417 418) itemque imperatoris *Pii* Bremeniensis (n. 419), cui admodum similes sunt ad vallum Pii in Caledonia pertinentes (CIL VII 1088 1099 1121 1126 1130 1133 1133*a* 1136 1137 1140—1143), ornati illi partim anaglyphis rudi arte factis. Quantopere horum monumentorum artificium differat ab Italiae reliquarumque provinciarum manifestum est. Saeculi secundi exeuntis exempla quaedam extant satis accurate sculpta, veluti ara *Iovis optimi maximi* a. 191 in castello Old Carlisle (CIL VII 341) et Vindolanae ad vallum Hadriani reperta, in qua cohortis alicuius cognomen *Commodianae* videtur erasum esse (CIL VII 704); scripta sunt monumenta ea litteris satis grandibus (altis versibus primis 0,080, reliquis 0,050) et delineatis ad bona exempla, unde repraesentanda non duximus. Propter formas contra provinciales minimeque bonas exhibui eiusdem fere aetatis titulos Condercensem (n. 420), Borcoviciensem (n. 421), in Old Carlisle repertum (n. 422): scripti enim sunt omnes, quanquam non male omnino (praecipue n. 421), attamen multo minus bene quam eiusdem aetatis Germanici, ne dicam Italici. In fine posui exemplum tituli sepulcralis *a Barate Syro* positi in castello ad finem orientalem valli sito, qui litteraturam habet prorsus singularem (n. 423).

416 Camaloduni (*Colchester*), cippus magnus ex lapide calcareo anaglypha imagine militis ornatus; ibi apud *G. Joslin* ($\frac{1}{8}$).



0,065 0,058 0,050 0,045

M. Favon(ius) M. f(ilius) Pol(lia) Faci|lis 7 (centurio) leg(ionis) XX; Verecund|us et Novicius lib(erti) posu|erunt; h(ic) s(itus) e(st)


CIL VII 91; repraesentavit integram cum imagine I. E. Price *on a bastion of London Wall* cet. (Londinii 1880 4.) p. 54 tab. VI.

Legio vigesima cognomine carens cum forma litterarum ad Vespasiani aetatem videtur ducere; castra illa habuit non Camaloduni, sed Devae, Camalodunum autem veteranos ex legionibus omnibus Britannicis probabile est deduci solitos esse.

---

417 *Jarrow*, ex ruinis castelli ad Tinae ostium adversus pontem Aelium siti, fragmentum tabulae ex lapide calcareo postea ad monasterii aedificium usurpatae; in museo Aelianensi, ex Brucii imagine (c. $\frac{1}{9}$).

c. a. 124



0,076 0,081


. . . *diffusis* . . . . . . *in*] | *provinc*[*ia* . . . . .] | *Britannia ad* . . . . | *utrumque o*[*ceanum* . . . . .] | *exercitus m*[*agni* . . . .

CIL VII 498 a vv. 2—4; Bruce lapidarium septentrionale p. 276, 538.

Titulus, cuius fragmentum alterum Hadriani nomen continet, pertinet sine dubio ad muri ab imperatore illo conditi partem aliquam, fortasse portam castelli vel arcum in ponte positum, atque ipsius valli originem videtur illustrare; unde eidem fere tempori adscribendus est atque sequens. Litterae elegantiores sunt quam in imagine hic exhibita videnturque cum Hadriani aetate prorsus convenire.

418 In muro Hadriani ad castellum miliarium prope Borcovicium, tabula magna ex lapide eius regionis; in museo Aelianensi, ex ectypo et imagine Brucii (c. $\frac{1}{6}$).

c. a. 124



0,065


Imp(eratore) Caes(are) Traian(o) | Hadrian[o] Aug(usto) | leg(io) II Aug(usta) | A. Platorio Nepote leg(ato) pr(o) pr(aetore)

CIL VII 660 integra; Bruce lapidarium septentrionale p. 106, 199. V. 2 *Hadriani* sculptum est errore quadratarii.
Hadrianus quo anno per A. Platorium Nepotem legatum vallum condiderit quanquam non constat, tamen eo anno quem s. s. Britanniam eum rexisse diploma a. 124 docet.

---

419 Bremenii, quod est castellum inter valla Hadriani et Pii collocatum, tabula lapidea; in castello ducum Northumbriae *Alnwick*, ex imagine Brucii (c. $\frac{1}{5}$).

inter a. 140 et 143



0,080


Imp(eratore) Caes(are) T. Aelio | H(a)d(riano) Antonino Aug(usto) Pio p(atre) p(atriae) | sub Q. Lollio Urbico | leg(ato) Aug(usti) pro prae(tore) | coh(ors) I Ling(onum) | eq(uitata) f(ecit)

CIL VII 1041 vv. 1. 2. De tempore quo Lollius Urbicus Britanniam rexit vallumque Pii in Caledonia condidit in universum constat; incidit fere in annos s. s. P versus 2 primam tertiamque quanquam imago Brucii clausas vel paene clausas exhibet, lapides quamvis non integre servati mihi visi sunt paullo similiores exhibere reliquis duobus eiusdem litterae exemplis. Hadriani nomen postea adiectum est.

---

420 Conderci ad vallum Hadriani, ara ex lapide calcareo; ibi servata, ex imagine Brucii (c. $\frac{1}{5}$).

c. a. 180




0,042

Deo Anocitico | iudiciis optimo|rum maximorum|que imp(eratorum) n(ostrorum) sub Ulp(io) | Marcello co(n)s(ulari) Tine|ius Longus in prefectura equitu(m) | lato clavo exorna|tus et q(uaestor) d(esignatus)

CIL VII 504 vv. 2—5; Bruce lapidarium septentrionale p. 24, 21.
Ulpius Marcellus is videtur esse qui sub Commodo Britannos devicit: imperatores tamen possunt esse Marcus et Verus.

421 Borcovicii ad vallum Hadriani, ara parva ex lapide eius regionis; servatur Cilurni apud Ioh. Clayton, ex imagine Brucii (c. $\frac{1}{6}$).




0,030

Deo Apoll|ini Melonius | Senilis ex pr(ovincia) | Ger(mania) sup(eriore) | s(usceptum votum) s(olvit) | l(aetus) l(ibens) m(erito)

CIL VII 632 integra; Bruce lapidarium septentrionale p. 102, 193.
Aequalem fere puto titulum Germanico supra n. 407, i. e. sub Marco et Vero positum.

422 In castello *Old Carlisle*, inferior pars arae ex lapide calcareo; servata in *Wigton Hall*, ex Brucii imagine (c. 1/6).

a. 185



0,032

[*Deo illi . . . ala Augusta* | *cu*]*i praeest* | *Septimianus* | *Rusticus pref(ectus)* | *Materno et Bra*|*dua co(n)s(ulibus)*

CIL VII 352 vv. 4. 5; Bruce lapidarium septentrionale p. 417, 818. Consules sunt anni s. s.

---

423 *Southshields*, in castello ad Tinae ostium; ubi servatur (1/6).



0,036
0,028

D(is) M(anibus) Regina liberta et coniuge | *Barates Palmyrenus natione* | *Catuallauna ann(orum) XXX* | sequuntur Palmyrena

Ephem. epigr. IV p. 212 n. 718*a*. Litterarum formae cum barbarie tamen elegantiam quandam coniungentes, puncta rotunda, sermonis vitia arguere videntur originem scriptoris orientalem aetatemque fere Commodianam.

V

MONVMENTA HISPANIAE

Satis multa ex Hispaniis congerere contigit eius de qua agimus aetatis monumenta. Quae ad Vespasiani initia spectant Olisiponense a. 73 (CIL II 185), Carbulense a. 74 (CIL II 2322), Cisimbrense a. 75 (CIL II 2096) et eiusdem anni Igabrense (CIL II 1610), Anticariense a. 76 (CIL II 2041), Baesuccitanum *Titi* item a. 76 (CIL II 3250), ea quidem omnia aut perierunt aut minus bene conservata sunt. Titulum a. 79 insignem, qui prope pontem Aquiflaviensem stetit (CIL II 2477), indagare mihi non licuit, nec licuit ectypum sumere tituli Valentini, qui *Tito* positus est (CIL II 3732). Exhibui vero Vespasiani monumenta tria, ex municipio aliquo vetusto, cuius nomen ignoratur, primum anni quidem incerti sed ad *Vespasianum* probabiliter relatum (n. 424), alterum *viae Augustae* titulum a. 79 (n. 425), tertium Muniguense *divi Vespasiani* (n. 426); duoque *Domitiani*, miliarium Cordubense (n. 427) et basim Ilurconensem (n. 428); nam arula perparva imperatoris eiusdem (nomine eraso) Emeritensis (CIL II 477) et cippus terminalis Mirobrigensis a. 82 (CIL II 862) exhiberi nec potuerunt nec meruerunt. Aetatis autem Flaviae monumenta in Hispaniis frequentia esse non est mirum; praeter ea, quae attuli, vidi et descripsi *aram Apollinis* a. 75 Igabrensem (CIL II 1610) et *Titi* basim Valentinam (CIL II 3732): scriptae sunt ambae litteris earum quas exempla mea indicant prorsus similibus. Exempla autem quae exhibui elegantiae quidem artisque testes non sunt, sed peculiare illud scripturae epigraphicae genus, quod medium fere locum obtinet inter scripturam vere monumentalem et actuariam, satis videntur illustrare. Paullo accuratius scripta sunt monumenta aliquot eiusdem aetatis, sed moduli non magni, veluti arae *Liberi patris* et *Vestae* Hispalenses (CIL II 1108 1166); bases magnae Cartimitanae *Iuniae D. f(iliae) Rusticae sacerdotis* (CIL II 1956), *M. Decimii Quir(ina) Proculi pontificis perpetui* (CIL II 1954), *Vibiae Turrinae* (CIL II 1958); tabula deinde thermarum Murgitanarum *L. Aemilii Daphni seviri* (ephem. epigr. II p. 237 n. 314), quam male olim tribui saeculo alteri exeunti; est enim sine dubio aetatis Flaviae. Atque Cartimitana quidem monumenta scripta sunt ex parte (nam versuum priorum quadratae magis sunt) litteris tam gracilibus, ut pictae esse videantur; unde eadem fere aetate puto restitutam esse


Claudii basim ibidem repertam, quam supra memoravi infraque inter exempla scripturae similis curabo proponendam (CIL II 1953).

Aetatis Traianae splendidum in Lusitania extat monumentum arcus pontis Alcantarensis duplici titulo magno exornatus a. 105, quorum alterum exhibui (n. 429) quanquam non ea qua volui veritate. Omisi litteris item optimis scripta miliarium Castulonense a. 98 (CIL II 4933) atque fragmenta Italicense (CIL II 1114) et Legionense (CIL II 2662); tituli reliqui Iulipensis a. 101 (CIL II 2352) et Aquiflaviensis a. 104 (CIL II 2478), item fragmentum Dianiense anni incerti (CIL II 3581) interierunt. Exhibui deinde bases imperatori ipsi positas hasce: Iliturgicolensem (n. 430), Cisimbrensem (n. 431), Aratispitanam (n. 432), quarum litterae quasi transitum scripturae indicant a formis monumentalibus sive monumentalium similibus magisque quadratis ad formas altas gracilesque titulorum pictorum; ultimus eorum iam Hadriano imperante positus est. Contra breviores formas scripturae quadratae bases honorariae habent *Minicii Natalis* Barcinonensis, quae ultimis Traiani annis probabiliter attribuitur (n. 433), Legionensis *Tullii Maximi* cum poesis eius speciminibus infra proponendis, quae eidem fere aetati aut Hadriani certe adscribenda est (n. 435). Huic aetati vel etiam antiquiori praeterea tribui titulum Saguntinum in memoriam magni *Scipionis Africani* positum (n. 434). Easdem fere atque basis Natalis formas monumentales non pauci praeterea tituli habent, qui et ipsi aetate Traiana videntur sculpti esse; veluti basis statuae Ilipensis *Dasumiae L. f(iliae) Turpillae* (CIL II 1089); tabula ad *signum Panthei* spectans Astigitana *P. Numerii Martialis sévirális* (CIL II 1473); tabula elegantissima Iliberritana *Q. Cornelii Valeriani* (CIL II 2079), ducis ea aetate clari, ut videtur, qui etiam Castulone monumentum habuit honorarium (CIL II 3272); tabula sepulcralis Asturicensis *Memmii Barbari sacerdotis Romae et Aug(usti) ad lucum Aug(usti)* cet. (CIL II 2638); epistylium magnificum Carthaginiense *L. Aemilii Recti* hominis patriarum multarum nunc servatum in museo archaeologico Matritensi (CIL II 3423); bases denique tredecim plus minus hominis eiusdem Barcinonenses *L. Licinii Secundi* Surae viri ea aetate clarissimi liberti (CIL II 4535—4549), aliaeque complures eiusdem generis item Barcinonenses.

Ad Hadriani aetatem illustrandam certi anni unus tantum in promptu erat titulus eius imperatoris Aratispitanus a. 128 (n. 436 cf. supra n. 432), cui admodum similis est Urgavonensis a. 130 et ipse scriptus litteris gracilibus (CIL II 2111); fragmenta tituli magni ad theatrum Emeritense pertinentis a. 135 (CIL II 478) interierunt. Similibus, sed rudioribus litteris scriptum est miliarium a. 121 Plasenciae servatum, quod descripsi (CIL II 4669). Contra litteris latis magis quam altis scriptus est titulus *L. Attii Macronis* Legionensis, quem constat paullo ante a. 134 positum esse (n. 437). Praevaluisse autem videtur aetate Hadriani in Hispania Baetica potissimum scribendi genus illud ornatum et elegans, cuius formae pictae potius esse vel calamo exaratae videntur quam delineatae ut sculperentur. Exempla eius exhibui monumenta similia inter se, sed tamen discrimine quodam non carentia tria: Hispalensia duo *Calpurnii Senecae* positum non multo post a. 134 (n. 438), *T. Flavii Polychrysi* (n. 439), Arvense *Egnatii Venusti seviri* (n. 440). Multa eiusdem generis praeterea extant, scripta illa tam in tabellis parvis modulo parvo quam in monumentis grandibus litteris altis. Memoranda videntur haec: tabella Arvensis *L. Fabii Gal(eria) Severi* (CIL II 1068); ara Hispalensis *Genio Baetis* posita (CIL II 1163) itemque basis opere anaglypho elegantissimo ornata iuvenis nobilissimi *D. Cutii Balbini M. Cornelii Potiti L. Attii Iuniani Romuli IIII viri viarum curandarum* (CIL II 1172), cuius praeter ectypum imaginem photographam ante oculos habeo; basis Carmonensis *T. Aemilii T. f(ilii) Quir(ina) Pudentis* (CIL II 1378; putavi olim eam paullo antiquiorem esse et Vespasiani Traianive imperio adscripsi, sed erravi); ara Saborensis *Victoriae Augustae* (CIL II 1425 cf. add. p. 701); basis Ilipulensis *L. Flavii L. f(ilii) Quir(ina) Galli* (CIL II 1470 cf. add. p. 702); basis parva Iliberritana *sociorum quinquagensimae* (CIL II 5064); denique epistylium magnum item Iliberritanum *Ser. Persii* alicuius *seviri* (CIL II 2083), quod propter scripturae genus illud gracile et altum lectu ex parte difficillimum descriptores non intellexerunt.

Pii Marcique aetatis monumenta Hispana casu fortasse minus frequentia sunt. Exhibui annorum certorum vel paene certorum exempla quattuor, Hispalensia duo (n. 441 442), Iluronense (n. 443), Finianense (n. 444), scripta illa omnia litteris non satis bonis. Cum his comparare potui bases *Pii* ipsius Dertosanam a. 138 (CIL II 4057) et Baetulonensem a. 140/4 (CIL II 4605), *Marci* Tarraconensem (CIL II 4098) et Barcinonensem (CIL II 4503), *Faustinae iunioris* et *L. Veri* Tarraconenses (CIL II 4097 4099 4100) eiusdemque Accitanam (CIL II 3399), quarum tamen ectypa sumere omisi. Melioribus scriptae sunt litteris, quales etiam adhibent quas addidi coniectura plus minusve certa ductus basis *Isidis* Accitana (n. 445) tabulaque eiusdem deae Bracaraugustana (n. 446). Eiusdem generis sunt, quae omittenda erant, basis Arvensis *Q. Fulvii Q. Fulvi Attiani f(ilii) Q. Fulvi Rustici n(epotis) Gal(eria) Carisiani* (CIL II 1064, quam olim aetati Traiani tribui, nunc Pii Marcive magis adscripserim); Hispalensis *Fabiae Q. f(iliae) H[adrianil]lae* cum institutione alimentaria (CIL II 1174); Ilipulensis *C. Cordii C. f(ilii) Quir(ina) Optati* (CIL II 1469); Tuccitana *Pietatis Augustae* (CIL II 1663); denique Iliberritana *Cn. Papirii [-. fil(ii)] Gal(eria) Aeliani Aemiliani Tuscilli* senatoris (CIL II 2075). In artis illa perfectione nemo sane pro certo id diiudicaverit, tituli hi utrum Hadriani Piive an Marci potius aetate putandi sint positi esse: usque ad Commodi aetatem opificii constantia quaedam, nisi omnia me fallunt, obtinuit. Eius autem certa quae proponerem monumenta Hispana non habui; quae proposui eiusdem viri duo Italicense et Singiliense (n. 447 448) coniectura tantum adscribuntur Commodi imperio illud, hoc Severi. Sed non prorsus deficiunt monumenta sepulcralia, quae aliqua cum probabilitate ad Commodi aetatem referas; inter quae memoro fragmentum Ossigitanum *Victorinae* alicuius *Cantigitanae* (CIL II 5067), quod vidi; item tabellam sepulcralem Cordubensem *Aeliae mul(ieris) lib(ertae) Phyrrice* nondum quantum scio editam.

424 Ex oppido vetere ignoto prope *Mancha Real* in provincia Tarraconensi, basis non magna ex lapide calcareo; servatur in museo Granatensi ($\frac{1}{8}$).



0,045
0,040
0,038


Augusto | Paci perpetuae et Concordi[ae] | Augustae | Q. Vibius Felicio sevir et | Vibia Felicula ministra tutelae | Augustae | d(e) s(ua) p(ecunia) d(onum) d(ant)

CIL II 3349 vv. 1—3.

Litterae mihi visae sunt aetatis Vespasianae esse; similes sunt titulorum qui sequuntur, sed rudi opere sculptae. Qui simplici Augusti nomine appellatur certo non est Caesar filius; sed probabiliter de Vespasiano cogitatur.

425 Prope *La Carolina* in montibus *Sierra Morena*, cippus pertinens ad viam Augustam a Baete ad Oceanum, litteris in litura repositis; servatur Hispali in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 79



0,050

Imp(erator) Caesar Vespas|ianus Aug(ustus) pontif(ex) | max(imus) trib(unicia) pot(estate) X, imp(erator) | XX, co(n)s(ul) IX, p(ater) p(atriae), censor | viam Aug(ustam) ab Iano | ad oceanum refe(cit), pontes fecit, | veteres restituit

CIL II 4697 vv. 1—4.

Titulus post erasum vetustiorem Augusti puto in ipsa illa solitudine videtur sculptus esse a quadratario non satis perito. Temporum notae incidunt in annum s. s.

426 Muniguae ad Baetim, basis magna ex lapide calcareo; in museo Hispalensi ($\frac{1}{9}$).




0,070
0,068
0,065

Divo Caesari | Aug(usto) Vespasia|no censori | municipium Mu|niguense d(onum) d(edit), | L. Aelius Fronto | dedicavit

CIL II 1049 vv. 1—3.

427 Cordubae, columna miliaria magna viae Augustae a Baete ad oceanum; ibi in curte palatii episcopalis ($\frac{1}{9}$).

a. 90



0,060-0,065
0,050-0,055
0,055

Imperator Caesar | divi Vespasiani f(ilius) | Domitianus Aug(ustus) | Germanicus, pontifex | maxsumus, tribuniciae | potestatis VIIII, imp(erator) XXI, | co(n)s(ul) XV, censor | perpetuus, p(ater) p(atriae) ab arcu | unde incipit Baetica viam Aug(ustam) [restituit ....

CIL II 4721 vv. 1—3. Temporis notae incidunt in annum s. s. Domitiani nomen erasum non est.

428 Ilurone (*Alora*) in Baetica, basis rotunda marmorea; servata ibi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 84 et 95



0,060

0,050


Imp(eratori) Domitiano Caesari | Aug(usto) Germanico | L. Munnius Quir(ina) Novatus et | L. Munnius Quir(ina) Aurelianus | c(ivitatem) R(omanam) per h[ono]rem II vir(atus) consecuti | d(e) [s(ua) p(ecunia)] d(onum) d(ant)

CIL II 1945 (cf. add. p. 704) vv. 1. 2. Domitiani nomen in angulo illo provinciae rasuram effugit, ut in titulo qui praecedit.

---

429 In arcu pontis Alcantarensis, tabula ingens marmorea; ex imagine photographa (c. $\frac{1}{10}$).

a. 105



Imp(eratori) Caesari divi Nervae f(ilio) Nervae | Traiano Aug(usto) Germ(anico) Dacico pontif(ici) max(imo), | trib(unicia) potes(tate) VIII, imp(eratori) V, co(n)s(uli) VII, p(atri) p(atriae)


CIL II 759 integra (titulus extat in utroque latere arcus; in altero exemplo v. 1, quod ibi exhibui, Nervae nomen scriptum est litteris VAE contignatis, v. 2 PONTIF).

Imago haec ex photographa depicta elegantiam archetypi non aequat. Temporis notae quanquam non satis recte conceptae a scriba provinciali, tamen in annum s. s. cadunt.

---

430 Iliturgicolae (ut videtur) in Baetica, basis marmorea; in museo Granatensi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 103 et 117



0,048

0,045

0,042

0,045


0,036

In honorem imp(eratoris) | Nervae Traiani Cae|saris Aug(usti) German(ici) Dacici | ex beneficis eius pecunia | publica d(ecreto) ordinis factum et dedicatum

CIL II 1640 integra.

431 Cisimbrii in Baetica, basis marmorea; extat Lucenae in domo Brunae ($\frac{1}{8}$).

a. 114



0,070

0,055


0,050

Imp(eratori) Caesari | divi Nervae f(ilio) | Nervae Traiano op|timo Aug(usto) Germ(anico) Dacico | Parthico, pontif(ici) max(imo), trib(unicia) | pot(estate) XVIII, imp(eratori) VII, co(n)s(uli) VI, | patri patriae municipes

CIL II 2097 vv. 1—3. Temporum notae in annum s. s. cadunt.

432 Aratispi in Baetica, basis marmorea; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

post a. 117




0,072
0,050

Imp(eratori) Caesari divi Nervae f(ilio) | *divo Traiano optumo* | *Aug(usto), Germ(anico) Dacico Parthico,* | *pontif(ici) max(imo), trib(unicia) potest(ate) XXI, imp(eratori)* | *XIII, co(n)s(uli) VI, pater* [sic] *patriae, optumo* | *maxumoque principi, con|servatori generis humani* | *res publica Aratispitanorum* | *decrevit, divo dedicavit*

CIL II 2054 vv. 1. 2. Titulus Hadriano imperante positus aetate non multum videtur distare ab Hadriani ibidem reperto, quem infra proposui (n. 436).

433 Barcinone, tabula magna ex marmore nigro; ibi in museo ($\frac{1}{10}$).

post a. 117




0,072
0,040

[*L. Minicius* -. *fil(ius) Gal(eria) Na*]*talis co(n)s(ul), proco(n)s(ul)* | [*provinciae Africae, sodalis Augus*]*tális, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) divi Traiá*|[*ni Parthici et imp(eratoris) Traiani Ha*]*driáni Aug(usti) provinc(iae) Pan*|-[*noniae inferioris, curator a*]*lvei Tiberis et riparum et* | [*cloacarum urbis*], sequuntur dignitates eius reliquae *et* | *L. Minicius L. f(ilius)* [*Natalis Quadro*]*nius Verus f(ilius), augur, trib(unus) plebis* | *desig(natus), q(uaestor) Aug(usti)* sequuntur reliquae eius dignitates | *balineum c*[*um port*]*icibus solo suo et* | *du*[*ctus aquarum s(ua) p(ecunia)*] *fécerunt*

CIL II 4509 vv. 1—3 quod reliquum est. Conferantur tituli Natalis minoris qui ibi sequuntur (CIL II 4510 4511).
Consulatus Natalis patris ordinarius in annum 107 incidit, proconsulatum Africae decennio post videtur obtinuisse.

434 Sagunti, basis ex lapide calcareo; ibi in castello ($\frac{1}{8}$).




0,075
0,055
0,050

P. Scipioni co(n)s(uli) | *imp(eratori) ob restitu|tam Saguntum* | *ex s(enatus) c(onsulto) bello Pu|nico secundo*

CIL II 3836 integra. Attribui olim saeculo secundo fere exeunti, propter litteras graciles et parum profunde incisas. Sed formis eorum accuratius consideratis visum est non infra Traiani aetatem descendi posse; nisi forte adeo saeculo primo adscribenda est. Cf. tituli urbani supra n. 267 274 275 276, item Aquilanus *Cornelii Scipionis Carthagine capta*, quem non vidi (CIL IX 6348), Telesinus P. Scipionis Orestini alicuius supra n. 344, Vesontinus in memoriam item Scipionis Africani, ut videtur, positus n. 389.

435 Legione, basis magna marmorea a quattuor lateribus inscripta; servatur ibi in museo ($\frac{1}{8}$).




0,100
0,090

In antica: *Dianae* | *sacrum* | *Q. Tullius* | *Maximus* | *leg(atus) Aug(usti)* | *leg(ionis) VII gem(inae)* | *felicis*

CIL II 2660 vv. 1—4. Aetas hominis incerta; sed rexisse legionem putandus est Hadriano imperante. Carmina in reliquis arae lateribus et in tabula inscripta vide infra.

436 Aratispi, basis marmorea; servatur ibi ($\frac{1}{5}$).




0,072 0,054 0,046

Imp(eratori) | *Caesari divi* | *Traiani Parthici f(ilio)* | *divi Nervae nepoti* | *Traiano Hadriano* | *Aug(usto) pontifici maximo),* | *trib(unicia) potest(ate) [X]II, co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae),* | *res p(ublica) Aratispitana* | *d(onum) d(at)*

CIL II 2055 vv. 1—3. Temporum notae ad annum s. s. ducunt.

437 Legione, basis lapidea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).

paullo ante a. 134




0,050

Genio | *leg(ionis) VII [g(eminae) f(elicis)]* | *L. Attius* | *Macro* | *leg(atus) Aug(usti)*

CIL II 5083 vv. 3—5. Macro consul fuit a. 134; inde tituli tempus definitur.

438 Hispali, basis marmorea ornata anaglyphis elegantibus; ibi in ecclesia S. Salvatoris ($\frac{1}{5}$).

post a. 134




0,070 0,060 0,050

M. Calpurnio M. f(ilio) | *Gal(eria) Senecáe Fabió* | *Turpióni Sentinatiáno* | *praef(ecto) classis Misenen|sis, práef(ecto) classis práetoriáe Ra|vennatis, proc(uratori) provinciae Lusitaniae et Vettoniáe, p(rimo) p(ilo) leg(ionis)* | *I adiutricis ordo c(olonorum) c(oloniae) Romul(ensis); M. Calpurnius Seneca honóre* | *usus impensam remisit*

CIL II 1178 vv. 1—3. Calpurnius Seneca praefectus classis Misenensis fuit a. 134, ut docet diploma eius anni CIL III p. 878. V. 2 in. G littera propter viciniam A sequentis C litterae similior evasit.

439 Hispali, basis magna marmorea elegantissima; ibi in palatio ducum *de Alcalá* q. d. *la casa de Pilatos* ($\frac{1}{5}$).




0,074 0,054

T. Flavio Aug(usti) | *lib(erto) Polychryso* | *proc(uratori) montis* | *Mariani praestantissumo* | *confectores aeris*

CIL II 1179 vv. 1. 2. Olim putavi aevi esse Antoniniani, nunc malim aetati Traianae Hadrianaeve adscribere.

440 Arvae in Baetica, basis magna marmorea litteris optimis; Hispali in museo ($\frac{1}{5}$).




0,054 0,034 0,026

M. Egnatius | *Sciti lib(ertus) Venus|tus IIIIII vir;* | *huic ordo m(unicipum) m(unicipii) F(lavii) Arvensis statu|am et ornamen|ta decurionatus* | *decrevit;* | *M. Egnatius Venustus in* | *locum quem ordo de|crevit statuam et scam|na marmorea et an|tam marmoravit de* | *sua pecunia dedit*

CIL II 1066 vv. 1—3 et 12—14. Verba *et antam marmoravit* postea videntur adiecta esse ab eo qui titulum concepit.

441 Hispali, basis marmorea; in museo ($\frac{1}{10}$).

inter a. 138 et 161




0,060 0,050 0,055

Imp(eratori) Caes(ari) | [T.] Aelio Hadr(iano) | Antonino Aug(usto) | Pio p(atri) p(atriae) | [c]orpus centon|ar[iorum] | indu[lgentia ei]us | [c]ollegio hominum | [centum ...... dum tax]at | [constituto ....]

CIL II 1167 vv. 1—4. V. 1 A littera neglegentia quadratarii caret linea transversali obliqua, quae in reliquis adest.

442 Hispali, basis olim, nunc tabula marmorea, ornata anaglyphis tropaei et scapharum; ibi in scalis bibliothecae Columbinae ($\frac{1}{8}$).

a. 146



0,035

Imp(eratori) Caes(ari) divi Hadriani f(ilio), | divi Traiani Parthici nepoti, | divi Nervae pronepoti, | T. Aelio Hadriano Antonino | Aug(usto) pont(ifici) max(imo), trib(unicia pot(estate) VIIII, | imp(eratori) II, co(n)s(uli) IIII, p(atri) p(atriae) | scaphari qui Romulae | negotiantur | d(e) s(ua) p(ecunia) d(onum) d(ant)

CIL II 1168 vv. 4. 5. Temporum notae sunt anni s. s.

443 Ilurone in Baetica, basis marmorea; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

a. 164



0,035

Imp(eratori) Caesari L. Aurelio Vero Aug(usto) | Armeniaco trib(unicia) potest(ate) IIII, | imp(eratori) II, co(n)s(uli) II, proco(n)s(uli), divi | Antonini f(ilio), divi Hadriani | nep(oti), divi Traiani Par(thici) pro n[ep(oti)], | divi Ner(vae) ab nep(oti) res pub(lica) Ilu[ren]sium decr(eto) ordinis d(onum) d(at) | sub cur(a) Vibiani .....

CIL II 1946 vv. 1. 2. Temporum notae sunt anni s. s. Cf. supra n. 428.

444 Finianae prope Acci, basis marmorea; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

a. 167




0,050 0,045

Imp(eratori) Caes(ari) | L. Aurelio | Vero Aug(usto) Ar|men(iaco) Part(hico) max(imo), | Med(ico), p(ontifici) m(aximo), tr(ibunicia) p(otestate) V, co(n)s(uli) III | L. Alfenus Avi|tianus p(rimus) p(ilus), tr(ibunus) | coh(ortis) III vig(ilum) | XIII urb(anae) ....

CIL II 3399 vv. 2—4. Temporum notae incidunt in annum s. s.

445 Acci, basis marmorea elegans, cuius latus utrumque ornatum est anaglyphis ad cultum Isidis spectantibus; servatur Hispali in palatio ducum *de Alcalá* q. d. *la casa de Pilatos* ($\frac{1}{6}$).



0,036 0,026

Isidi puel[lari .....] | iussu dei Ne[tonis?] | Fabia L. f(ilia) Fabia avia | in honorem Avitae neptis | piissimae ex arg(enti) p(ondo) CXII s(emis) ≈ (unciarum duarum) £ (semunciae) V (quinque) S (scriptulorum); | item ornamenta sequitur elenchus ornamentorum statuae Isidis scriptus versibus decem

CIL II 3386 vv. 3—5. Versuum 1 et 2 litterae altae sunt 0,040 et 0,038, ultimorum 0,016.

446 Bracarae, tabula magna ex lapide arenario, litteris magnis et bonis, sed refectis saeculo decimo sexto; in pariete ecclesiae cathedralis ($\frac{1}{8}$).




0,065

Isidi Aug(ustae) sacrum | *Lucretia Fida sacerd(os) perp(etua)* | *Romae et Aug(usti)* | *conventuus Bracaraug(ustani) d(at)*

CIL II 2416 v. 4. Litterae olim mihi visae sunt saeculi primi exeuntis esse vel ineuntis secundi; nunc magis crediderim medio fere saeculo alteri illas esse attribuendas, i. e. aetati Hadriani Piive.

---

447 Italicae, basis marmorea; servatur Hispali in museo ($\frac{1}{5}$).




0,040
0,032
0,022

C. Vallio | *Maximiano* | *proc(uratori) provinciar(um)* | *Macedoniae Lusi|taniae Mauretan(iae) Tingitanae, fortis|simo duci* | *res p(ublica) Italicens(ium) ob* | *merita et quot* | *provinciam Baetic(am)* | *caesis hostibus* | *paci pristinae* | *restituerit*
In latere dextro: *dedicata anno* | *Licini Victoris et* | *Fabi Aeliani II viror(um)* | *prid(ie) kal(endas) Ianuar(ias)*

CIL II 1120 v. 1—3.

448 Singiliae, basis marmorea; servatur Anticariae in domo privata ($\frac{1}{8}$).



0,055

G. Vallio Maxumiano | *proc(uratori) Aug(ustorum) e(gregio) v(iro)* | *ordo Singil(iensis) Barb(ensis)* | *ob municipium* | *diutina obsidione* | *et bello Maurorum* | *liberatum* | *patrono* | *curantibus* | *G. Fab(io) Rustico et* | *L. Aemil(io) Pontiano*

CIL II 2015 vv. 1. 2.

Titulus Italicensis accuratius scriptus est videturque antiquior esse Singiliensi. Bellum Maurorum Marci et Veri aetate in Hispania gestum esse constat, teste Capitolino in vita Marci c. 21; alterum, cuius mentio facta est praeterea in titulo Tarraconensi (CIL II 4114) et in Lambaesitano (CIL VIII 2786), videtur gestum esse versus finem saeculi alterius. Huic Maximianum interfuisse statuitur probabiliter; nam viri egregii dignitas adhuc non ante Severi aetatem inventa est (sed cf. CIL VIII 2276). Itaque titulus Italicensis fortasse imperante Commodo, Singiliensis post Commodi obitum imperante Severo positus est.

VI

MONVMENTA AFRICAE

Etiam in provinciis Africanis monumenta aetatis eius, quae fuit inde a saeculo primo exeunte usque ad secundum ad finem vergens, satis frequentia sunt. Tamen Vespasiani aetatis testem idoneum nullum obtinui, quem proponerem: nam cuius ectypum habui non satis bonum arae Chusirensis a. 70 a flamine perpetuo positae (CIL VIII 698), ea litteris scripta est rudibus non absimilibus earum, quibus miliarium Hispanum supra relatum (n. 425). Paullo melioribus utitur titulus M'hammediensis eodem anno *Tito* positus, cuius fragmenta servantur in museo Leidensi (CIL VIII 875); sed minus apta illa erant quae proponerentur. Anni incerti, sed eiusdem fere aetatis titulus est Thevestinus *Iovi Au[g(usto) sacer] dedic[ante] Cn. Suellio Fl[acco] leg(ato) Aug(usti) pro p[raetore]* positus a *Q. Mantio Q. f(ilio) Cam(ilia) .... Alba Pompeia [mil(ite)] leg(ionis) III Aug(ustae)* (CIL VIII 1839); scriptus est litteris optimis saeculi fortasse primi exeuntis ineuntisve secundi. Ad Domitiani vero aetatem referendi sunt tituli in civitate Araditana repertus *P. Ennii T. f(ilii) Eppilli n(epotis) Quir(ina) Pacciani ... ex leg(ione) II Aug(usta)* cet., positus a. 82 (CIL VIII 792); Carthaginiensis quem primo huius paragraphi loco exhibui (n. 449); Caesariensis

item exhibitus (n. 450); Calamensis servi alicuius Domitiani Caesaris (n. 451); denique, nisi fallor, etiam Hipponiensis mulieris Afrae (n. 452).

Ad Traiani aetatem pertinent tituli aliquot magni, veluti is qui supra portam castelli in oasi Nigrensium maiorum incisus est (CIL VIII 2478) sub *L. Minicio Natale* legato eo, cuius supra exhibuimus titulum Barcinonensem (n. 433), item qui epistylium arcus Mactaritani ornat scriptus a. 116 (CIL VIII 621); qui tamen ambo repraesentari non potuerunt. Desunt item ectypa titulorum aliquot minorum, ut Thamugadensium duorum annorum 100 et 116 (CIL VIII 2355 2356); fragmentum tituli Calamensis, quod Parisiis extat (CIL VIII 5325), nimis exiguum est. Quarum ectypa habui basium Cuiculitanae et Sitifensis annorum 107 et 110 (CIL VIII 8315 et 8464), eas exhibere supersedi. Scriptae illae sunt litteris bonis (altis in utriusque tituli versu primo 0,060) et gracilibus, quarum tamen multa alia habemus exempla; similia sunt Hispana supra proposita (n. 430 431 440).

Aetatis Hadrianae exhibui exempla duo; scripturae brevioris et latioris alterum Lambaesitanum a. 128 (n. 453), alterum altioris et gracilioris a. 137 (n. 454). Epistylii ad arcum Hadriani Capsitanum pertinentis quae supersunt (CIL VIII 98) litteras exhibent graciles (altae sunt versu primo 0,080) ex picto exemplo profectas, non dissimiles earum, quas habet titulus Aratispitanus a. 128 (supra n. 436). Quadratis contra et maximis (altae sunt versu primo 0,200) scriptus est titulus arcus Avittensis a. 137 (CIL VIII 799); cuius tamen quae habemus ectypa minus apta sunt quae repraesententur. Litteris rudibus scripti sunt, ut solent eius modi monumenta, et sermone partim barbaro cippi terminales in Mauretania Sitifensi reperti (CIL VIII 8813 8814); unde eos omisi. Ceterum Hadriani aetate etiam in Africa frequentius adhiberi coeptum est scripturae genus illud ornatum, quod in titulis Hispanis observavimus (supra n. 438—440): in quo genere A L M litterae caudis longis infra lineam descendentibus, C cornu alto supra lineam erecto scribuntur. Testes eius Africanos ex Carthagine novi fragmentum ad ipsum *Hadrianum* pertinens (CIL VIII 1146) et titulum *Iunoni Sallustiae M. fil(iae) Lupercae sacerdot(is) Cer(eris)* positum, qui servatur in museo Vindobonensi (CIL VIII 1140).

Pio liberisque eius arcus erectus est Sufetulae in Byzacena (CIL VIII 228), cuius tamen ectypa sumi non potuerunt; pro salute eorundem Thibicae in proconsulari provincia aedicula Aesculapii facta est (CIL VIII 765), cuius titulus scriptus est litteris mediocribus (altae sunt versu primo 0,060). Quod Avittae extat epistylium marmoreum *Pio* a. 159 inscriptum litteris nitidissimis (CIL VIII 800), item Tuccaborense anni incerti (CIL VIII 1320), eorum ectypa deficiebant; itemque arae *Saturni* Zaraitanae a. 149 dedicatae (CIL VIII 4512). Exhibui *Pii* ipsius basim Missuensem (n. 455), a cuius litteratura non multum differt Sitifensis a. 156 (CIL VIII 8466), et Mactaritanam a. 157 (n. 458), item *L. Novii Crispini* Lambaesitanam a. 150 (n. 457). Atque horum monumentorum primum Missuense scriptum est litteris brevibus et latis, reliqua duo gracilibus et ornatis eius, quam modo de Hadriani aetate verba faciens descripsi, rationis. Addidi titulum Aegyptiacum a. c. 140 (n. 456), scriptum illum litteris actuariis. Eidem aetati puto adscribendum esse titulum *Veneris Augustae* Cirtensem ad simulacrum eius aereum pertinentem, quod *L. Iulius L. f(ilius) Q(uirina) Martialis III vir aed(ilicia) et q(uaestoria) pot(estate)* posuit (CIL VIII 6965); litteras habet eleganter sculptas (altas versu primo 0,112), latiores quam altiores, monumentales, sub finem tantum paullo neglegentius factas. Optimis praeterea litteris sculptus est titulus Salditanus *Sex. Cornelii Sex. f(ilii) Arn(iensi) Dextri pro(curatoris) Asiae* cet., *donati a divo Hadriano ob bellum Iudaicum hasta pura et vexillo* (CIL VIII 8934; altae sunt 0,040 ad 0,035).


Ad Marcum fratremque liberosque pertinent tituli arcuum Ammaedarensis (CIL VIII 304) et in saltu Massipiano facti (CIL VIII 587), quorum ectypa desunt; arcus Tripolitani a. 163 positi titulus (CIL VIII 24) interiit; epistylii Mustitani a. 164 facti (CIL VIII 1574) ectypa evanida tantum suppetebant. Itaque selegi, quorum exempla proponerem, titulos Chisiduensem (n. 459) et Lambaesitanum (n. 460), utrumque scriptum eleganter. Restant monumenta quaedam aetatis incertae, quae propter alias rationes et secundum litterarum formas huic aetati, i. e. saeculo fere alteri medio, attribuenda puto: Thibicense *L. Plancii L. fil(ii) Victoriani et Q. Volussii Statiani fl(aminum) p(er)p(etuorum)* (CIL VIII 769); fragmentum epistylii ex civitate Araditana *porticum et basilicam* memorans (CIL VIII 794); *synopses* duae rerum sacrarum in tabulis marmoreis Cirtae repertae (CIL VIII 6981 6982); Cirtensis item titulus *C. Aufidii C. fil(ii) Q(uirina) Maximi praef(ecti) coh(ortis) IIII Bracarum in Iudaea* cet. (CIL VIII 7079); tabula marmorea ad templum *Bellonae* Rusicadense spectans, quod *Sex. Horatius Sex. fil(ius) Felix sacerdos cum filis Proculu Triumpale Felice sacerdotes* [sic] *cum omnibus ornamentis et pictura sua peq(unia) renovavit* (CIL VIII 7957), quae scripta est litteris gracilibus a titulorum Cirtensium eiusdem aetatis paullum diversis; basis Sitifensis *Virtuti Aug(ustae)* posita a *M. Ulpio M. fil(io) Pap(iria) Avito q(uaestore) aedil(e) II vir(o) ob honores suos* (CIL VIII 8456); basis denique Cartennitana *C. Fulcinii M. f(ilii) Quir(ina) Optati flam(inis)* cet., *qui inruptione Baquatium*, cuius aliunde aetas nota non est, *coloniam tuitus est* (CIL VIII 9663), quanquam haec, si litterarum formas spectas, potest etiam aetati paullo vetustiori, Pii Hadrianive dico, attribui. Tituli hi omnes, quos modo memoravi, aliique multi similes in Africa per totum saeculum aerae nostrae alterum artem lapidariam frequentissime adhibitam summopere floruisse docent. Nec multum ea deficere incipit aetate Commodiana.

Aetatis autem Commodianae, quae hic quoque transitum quasi facit ad saeculi tertii artem iam vergentem in deterius, exemplum proposui unum scriptum litteris admodum gracilibus, quales tamen iam antea in usu fuisse vidimus, tabulam Binianensem a. 186 (n. 461). Titulus enim Mactaritanus *Apollini patrio Aug(usto)* sacer, qui a *Ti. Plautio Ti. f(ilio) Papiria Felice Ferruntiano praef(ecto) alae I Thracum veteranorum sagittariorum* positus est, postquam homo is bello Marci Marcomannico interfuit et a Commodo, ut videtur (nomen enim eius erasum est), dona militaria accepit (CIL VIII 619), male habitus est; unde repraesentari non potuit. Eandem ob causam omisi fragmentum eiusdem aetatis Tuccaborense nunc in museo Florentino servatum (CIL VIII 1321) aliaque quaedam similia. Bonum scripturae aetatis Commodianae exemplum ara sexangularis Lambaesitana praebet dedicata *imper(atore) Commodo III et Burro co(n)s(ulibus)* i. e. a. 181 (CIL VIII 2587): litterae paullo elegantiores sunt et monumentalibus similiores quam tabulae Binianensis (n. 462), sed tamen et ipsae altae et graciles. Multo accuratius factis, sed parvis (altae sunt 0,020) scripta est, ut in amplissimae dignitatis viro expectaveris, basis Cirtensis *C. Arrii Antonini* proconsulis Asiae (CIL VIII 7030), quae ei posita est inter annos 180 et 188; aliquanto prius eidem posita Concordiae (CIL V 1874) non

minus eleganter scripta est. Memoro denique basim *Commodi* Rusicadensem, servatam Algerii in museo (CIL VIII 7969); eius in primo versu litterae (altae 0,086) latae sunt et breves, ut in titulis Hispanis quoque saepius observavimus, in reliquis altae et graciles; lineae ad versus regendos interdum incisae apparent; cum praeterea litteratura peculiare nihil habeat, a repraesentanda destiti. Addidi in fine exemplum tituli ex agro Hipponiensi aetatis minus certae (n. 463), propterea quod scripturam illam exhibet saeculo altero in Africa non infrequentem, quae medium fere locum obtinet inter pictam calamoque exaratam (habet praeterea interpunctionem syllabarem). Denique titulum bilinguem Lambaesitanum a. 150, litteris malis scriptum, repetendum curavi ex volumine corporis Africano (n. 464), cum sit anni certi atque litteraturae semibarbarae.

449 Carthagine, cippus marmoreus, infra est anaglyphum equitis; Algerii in museo ($\frac{1}{6}$).

c. a. 96




0,040
0,030

Dis Manibus sacr(um) | Q. Vitanius Q. f(ilius) Vol(tinia) Nepos | Philippis, 7 (centurio) coh(ortis) XIII urb(anae) | donis donatus a Domitiano | ob bellum Dacicum, item ab | eodem ob bellum Germanicum, | item torquib(us) armillis ob bellum | Dacicum, vixit ann(is) L, militavit ann(is) XXXII; | M. Silius Quintianus optio bene merenti | posuit

CIL VIII 1026 vv. 2—4.
V. 2 in lapide est nec *Veianius* nec *Vilanius*, sed ut ectypum clare exhibet *Vitanius*, quod dedi. Domitiani bellum Dacicum circa a. 91 ponitur; unde lapis hic videtur positus esse circa a. 96.

---

450 Caesareae in Mauretania; cippus parvus cum anaglypho rudi equitis; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).




0,026
0,018
0,012

Dazas Sceni f(ilius) Ma[eze]|ius, eques coh(ortis) VI Delma|tarum turma Licconis | annorum XXVII stipendiorum X

CIL VIII 9377 integra. Titulus videtur esse saeculi primi exeuntis. Elementum v. 2 extremo conspicuum fortasse ad *z* litteram v. primi pertinet.

---

451 Calamae in Numidia, cippus litteris malis; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).




0,050
0,045
0,040
0,035

Gaetulicus | Domitiani | Caesaris ser(vus) | vix(it) an(nis) XXV | h(ic) s(itus) e(st)

CIL VIII 5415 integra.

452 Ex agro Hipponiensi in Numidia proconsulari, cippus non magnus ex lapide calcareo; Calamae in museo ($\frac{1}{8}$).




0,025

Otmilc Nanne|mis filia pia | vix(it) ann(is) LXV | h(ic) s(ita) e(st); Roman|us f(ilius) eius p(ecunia) s(ua) p(osuit)

CIL VIII 5285 integra. Litterae videntur esse saeculi primi exeuntis ineuntisve secundi.

453 In Castris Lambaesitanis, in praetorio, basis marmorea; ibidem servatur ($\frac{1}{8}$).

inter a. 117 et 138



0,055
0,048
0,044


Imp(eratori) Caesar[i] | Traiano | Hadriano Au[g(usto)] | fortissimo | liberalissimoq[ue] | dedicante P. Cassio Secundo | leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) | veterani leg(ionis) III Aug(ustae) | qui militar[e] coeperun[t] ......

CIL VIII 2534 vv. 1—3. Legatio P. Cassii Secundi in quos Hadriani annos incidat ignotum est.

---

454 Saldis (*Bougie*), basis marmorea; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

c. a. 136




0,095
0,080

Divae Sabi|nae Aug(ustae) | col(oni) col(oniae) | Iul(iae) Sald(itanae) | d(ecreto) d(ecurionum) p(ecunia) p(ublica) p(osuerunt)

CIL VIII 8929 vv. 1. 2. Sabina mortua creditur esse biennio fere ante Hadrianum.

455 Missuae (*Sidi Dâûd*) in provincia Africa proconsulari; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 138 et 161



0,070
0,050
0,048


Imp(eratori) Caesari | divi Hadriani f(ilio) | divi Traiani Par|thici nep(oti), divi Ner|vae pronepoti | Hadriano An|tonino Aug(usto) | Pio p(atri) p(atriae)

CIL VIII 988 vv. 1. 2. 6. 7.

---

456 Syenae (*Assuan*) in Aegypto, basis ex lapide calcareo; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

c. a. 140




0,045
0,040

Imp(eratori) Caesar(i) T. Aelio Hadriano | Antonino Aug(usto) Pio p(atri) p(atriae) | coh(ors) I Fl(avia) Cil(icum) eq(uitata) basilicam fecit per | C. Avidium Heliodorum praef(ectum) Aeg(ypti) et | T. Flavium Vergilianum praef(ectum) castr(orum) | cura agente Statilio Tauro 7 (centurione) leg(ionis) II Tr(aianae) f(ortis) | curatore coh(ortis) eiusdem

CIL III 6025 vv. 1—3 et 6. Avidii Heliodori praefectura Aegyptiaca cadit in annum s. s.

457 Lambaesi, in praetorio, basis marmorea; servatur ibi (1/5).

a. 150



0,078 0,050 0,035

L. Novio Crispino | *Martiali Saturnino* | *co(n)s(uli) desig(nato), leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore)* | *provinciae Africae, proc(on)s(uli) Galliae* | *Narbonensis, leg(ato) Aug(usti) leg(ionis) I Italicae,* | *leg(ato) Aug(usti) iuridico Asturiae et Gallaeciae,* | *praetori, trib(uno) pleb(is), quaestori pro praet(ore)* | *provinciae Macedoniae, trib(uni) mil(itum)* | *leg(ionis) VIIII Hisp(anae), IIII viro viarum* | *curandarum, seviro eq(uitum) Romanorum* | *veterani [leg(ionis) III] Aug(ustae),* | *qui militare coeperunt Glabrione* | *et Torquato* (a. 124), *item Asiatico II et Aquilino* (a. 125) *co(n)s(ulibus)*

CIL VIII 2747 vv. 1. 4. 13. De aetate Novii Crispini constat ex titulis eius a. 147. 148 positis; consul designatus videtur fuisse a. 150.

458 *Mactar* in provincia Byzacena, basis marmorea; servatur ibi (1/5).

a. 157



0,070 0,060

Imp(eratori) Caesari divi Hadri|ani f(ilio), divi Traiani Parth|ici n(epoti), divi Nervae pron(epoti) | *T. Aelio Hadriano An|tonino Aug(usto) Pio, pont(ifici) max(imo),* | *trib(unicia) pot(estate) XX, imp(eratori) II, co(n)s(uli) IIII, p(atri) p(atriae)* sequuntur versus aliquot evanidi

CIL VIII 622 vv. 1. 2. In fine v. 2 H littera a Wilmannsio excepta Ƕ scribitur; quod in ectypo non vidi, quanquam videtur voluisse quadratarius. Pii dignitates ad annum s. s. ducunt.

459 *Schauwasch* in provincia proconsulari, epistylium marmoreum; extat Florentiae in museo (1/4).

inter a. 166 et 169




0,054

. . . . . stae sacrum | *[imp(eratoris) Caes(aris) M. Aur(elii) Antonini Aug(usti) Armeniaci Parthici] maximi Medici et L. Aureli Veri Aug(usti) Armeniaci Par[(thici) . . . . . maximi Medici* | *tem]plum cum arcu et porticibus et osteis et opere albario a fun[damentis]* . . .

CIL VIII 1310 v. 2 particula.

460 Chisiduone in provincia proconsulari, basis marmorea; extat ibi (1/5).

inter a. 175 et 180



0,050

Pro salute imp(eratoris) | *Caes(aris) M. Aureli* | *Antonini Augusti* | *Germanici Sarmat(ici)* | *liberorum domusq(ue)* | *eius divinae* | *L. Memmius Felix flamen* | *templi domin(i) Aescu|lapi hanc aram et* | *ollam aer(eam) caldar(iam) et ur|ceum et lucernam aer(eam) s(ua) p(ecunia) f(ecit) idemq(ue) dedicavit*

CIL VIII 1267 vv. 7—9. Tituli Marci triumphales cadunt in annum s. s.

461 Lambaesi in templo Aesculapii, epistylium aediculae scriptum olim in lapidibus duobus; ibi in praetorio ($\frac{1}{8}$).

c. a. 177-180



0,042


[*A.*] *Iulius Pompilius A. fil(ius) Cornelia Piso T. Vib[ius ...... Laevillus] | Berenicianus, X vir stlitibus iudicandis, tri[bunus militum leg(ionis) ....] | item XV Apollinaris, quaestor urb(anus) adlec[tus inter tribunicios, praetor] | candidatus Augustorum, legatus leg(ionis) XIII [geminae item IIII Flaviae], | praepositus legionibus I Italicae et III[I Flaviae cum omnibus copiis] | auxiliorum dato iure gladi, leg(atus) August[orum pro praetore leg(ionis) III Aug(ustae),] | consul desig[natus]*

CIL VIII 2582 v. 1 pars maior sinistra. Legatus Marci et Commodi Numidiae praefuit per annos s. s.

---

462 Binianae in provincia Byzacena, tabula marmorea; Susae in aedibus proxeni Austriaci ($\frac{1}{8}$).

a. 186




0,060
0,042
0,040

Imp(eratori) Caes(ari) M. Aurelio Commodo Antonino Felici Aug(usto) | Pio Sarmatico Germanico maximo Brittanico | pontif(ici) max(imo), trib(unicia) potest(ate) XI, imp(eratori) VII, co(n)s(uli) V, p(atri) p(atriae), | divi M. Antonini Pii Germanici Sarmatici | fil(io), divi Pii nep(oti), divi Hadriani pronep(oti), divi | Traiani Parthic(i) abnep(oti), divi Nervae ad nep(oti) | L. Antonius Crescens Demetrianus flam(en) perp(etuus) | super legitima honoris flam(onii) perpet(ui) sui | et HS (sestertium) duo milia nummorum patris eius | decreto ordinis translata adiecta amplius | pecunia fecit

CIL VIII 76 vv. 1. 2 et 7. Temporum notae sunt anni s. s. V. 7 in. L casu magis quam consilio formam peculiarem habet.

---

463 Ex agro Hipponiensi in Numidia proconsulari, tabula marmorea; extat Calamae in museo ($\frac{1}{10}$).




0,040

Diis Manibus sacrum | Q. Tullius Q. f(ilius) Arnensis Florus f(lamen) A(ugusti) perp(etuus) | se vivo monimentum fecit L. Tullio filio | pio: v(ixit) a(nnis) XXXVIII, et Tulliae Secundae filiae | piae: v(ixit) a(nnis) XXV, sibi posterisque suis

CIL VIII 5280 v. 2. Syllabae ubique in hoc titulo punctis distinguuntur. Litterae mihi visae sunt saeculi fere secundi exeuntis.

464 Lambaesi, cippus ex lapide calcareo; servatur in carcere publico ($\frac{1}{4}$).

a. 150



0,035

D(is) M(anibus s(acrum); | Mocimus S|umonis fil(ius) | Palmyrenus | vixit annis | XXX; h(eres) p(osuit) sequuntur litteris Palmyrenis scripta versibus quattuor

CIL VIII 3917 (cf. add. p. 955) integra. Annus in titulo Palmyreno indicatur CDLXI aerae Seleucidarum, qui est s. s.

SECTIO TERTIA

MONVMENTA AETATIS SEVERIANAE AD DIOCLETIANAM

Saeculi urbis tertii monumenta scripturae exempla exhibentia, quae hac sectione composui, non eam conservaverunt artis perfectionem, ad quam eorum saeculorum quae praecedunt duorum pervenerant. Sane in monumentis quibusdam tam urbanis quam exteris apparet illa vigore paene integro; etiam privata aliquot monumenta opificio minime spernendo facta sunt. Atque notum est artifices lapidarios eius aetatis quanquam in universum non multum consequebantur, cum statuas et anaglypha opera sculpebant, tamen interdum opera mirifica perfecisse; quis enim qua artis perfectione M. Antonini Severi filii protomae aliquot sculptae sint ignorat? Itaque non mirabimur, etiam minorem illam artem litteras sculpendi opera quaedam ea aetate protulisse laude minime indigna. Tamen apparet, titulos aedificiorum magnorum et splendidorum, quae tum in urbe erecta sunt, non ea scripturae aequabilitate litterarumque singularum pulchritudine insignia esse, quam antiquiores eo usque conservaverant non pauci. Testes sunt tituli urbani Severi et filiorum qui sequuntur; testis Gallieni arcus, qui ut exiguus est atque anaglyphorum ornatu caret, ita inscriptus quoque est titulo verboso quidem, sed minime pulchre sculpto. Atque illud quoque manifestum est, Severum filiosque ut ultimi fere fuerunt imperatorum ante Diocletianum et Constantinum, qui omnino, quantum scimus, opera tectonica splendida condiderunt, ita ultimos quoque gloriae ipsorum inscriptionibus conservandae curiose prospexisse; eorum enim tituli in urbe atque paene in omnibus provinciis abundant, reliquorum usque ad imperatores supra scriptos rari sunt. Unde potuerunt sane Diocletiani sociorumque eius tituli a praecedentibus eiusdem saeculi propterea seiungi, quod, quantum quidem iudicare licet ex speciminibus infra propositis non satis frequentibus, multo deteriore uti solent scriptura quam illi. Sed tamen inde a Constantino demum ultimam scripturae epigraphicae aetatem ordiri eis ex rationibus visum est consequens esse, quae infra sectione proxima exponentur. Ceterum quam inde ab aetate Flavia per saeculum fere aerae nostrae alterum obtinuisse vidimus scripturae diversitatem eo conspicuam, quod iuxta formas vere monumentales in monumentis ipsis actuariae quoque non raro usurpatae sunt, ea hac quoque de qua agimus aetate observatur, ita tamen, ut multo etiam frequentius praeter monumenta magna tectonica reliqua cuiusvis generis omnia actuariam scribendi rationem adhibeant. Unde in universum magis aequabilis saeculi huius scriptura evasit: ornamenta quidem scribendi, cornua caudaeque longiores, puncta foliorum forma picta, similia, quae item iam interdum reperiri vidimus saeculo altero, hoc quoque non raro adduntur, ut docent exempla infra proposita non pauca. Praeterea frequentiores fiunt tituli scripti litteris malis omnis generis. Sed in ipsa hac aetate universa temporum discrimina minora fiunt quaeque initio eius inscripta sunt monumenta aegre interdum ab eis discernuntur, quae sub finem cadunt. Itaque temporum ordo certus, quem quatenus fieri potuit in singulis paragraphis adhuc secuti sumus, hac sectione aliquanto magis neglegi et potuit et debuit. Exempla igitur singularum aetatum magis secundum argumentorum genera composita sunt, annorum singulorum ordine non ubique observato.

CAPVT PRIMVM

MONVMENTA VRBANA

I

MONVMENTA VRBANA AETATIS SEVERIANAE

Initium monumenta faciunt, ut par est, magna urbana aedificiorum publicorum. Tituli sunt *arcus Severiani* a. 203 (n. 465), eodem anno in *porticu Octaviae* restituta inscriptus (n. 466), *arcus argentariorum* in foro boario a. 204 (n. 267), *aquae Marciae* a. 212 (n. 468), qui omnes repraesentari potuerunt ex imaginibus photographis a Iosepho Fiorellio meum in usum fieri iussis praeter fori boarii titulum, cuius ectypum habui. Septizonii a Severo conditi inscriptionem (CIL VI 1032) cum parietinis aedificii ipsius periisse notum est. Atque hi quidem annorum sunt certorum; sequuntur tituli duo *aedium Saturni* et *Vespasiani*, quas eadem fere aetate restitutas esse conici licet (n. 469 470). Tenendum hic quoque est titulos, quorum litterae olim aere repletae fuerunt, non ea quam habebant antiquitus elegantia potuisse repraesentari.

Elegantiam vero scripturae monumentalis huic aetati propriam deprehendes in basium statuarum aliquot domus divinae titulis, quos deinde exhibui, inter annos 193 et 214 positarum (n. 471—478); tamen elegantia eorum quamvis per se non spernenda ab antiquioris aetatis nullo negotio distinguitur. Formae enim sunt in universum minus altae et graciles; in singulis litteris lineae aliae crassiores aliae tenuiores; cornua quae dico interdum non multum curvata et brevia (v. n. 475—478); quae ad pictarum exempla videntur sculptae esse (ut n. 477 478 481 482) et ipsae sollerter sunt incisae, neque vero satis aequabiliter scriptura procedit. Simili scriptura utuntur quae exhibere nolui fragmenta basis *Severo uxori filiisque* positae in museo Capitolino (CIL VI 1039), item tabulae marmoreae *patri soli* dicatae ingentibus litteris apud lapicidam aliquem urbanum (CIL VI 1072); in illo notavi litteras aliquanto esse graciliores quam in reliquis eius ordinis monumentis, atque P litteram paene clausam videri, sed videri tantum; nam interest spatium exiguum inter hastam et arcum. Paullo minus eleganter, sed eodem litteraturae genere sculptae sunt bases tres notissimae a *cohortibus* prima et quinta *vigilum* annis 205 et 210 positae *M. Antonino Severi filio*, quem Caracallam dicere solemus brevitatis causa (CIL VI 1056 1057 1058); quarum hanc Kellermannus repraesentandam curavit in tabula I operis sui notissimi de vigilum laterculis minus quidem feliciter, sed tamen ita, ut a repetendis exemplis earum hic minus aegre abstinuerim. Matriculae militum scriptae sunt, ut expectaveris, litteris actuariis parvis, quarum exempla infra proponentur suis locis. Simillima eis est basis a *vigilibus et classiariis* posita a. 212, quae partim Florentiae partim Veronae servatur (CIL VI 1063), alteraque gemella Florentina (CIL VI 1064). Nec multum differunt, qui in addendis voluminis CIL sexti proponuntur tituli eius aetatis titulorumque fragmenta nuper reperta (CIL VI 3761—3784).

Continuavi statuis illis imperatorum titulos aliquot honorarios virorum dignitatis senatoriae eius aetatis, scilicet quatenus certis annis attribui possunt, inter annos 192 et 221 incisos; quibus adieci minus certae aetatis non nullos propter argumentorum et scripturae indolem similem. Transit in titulis illis scriptura a formis altis et gracilibus, quas iam aetate praecedente observavimus in titulis Hispanis (supra n. 438 439 440) potissimum et Africanis (n. 458 459 462), ad magis latas scripturae actuariae et pictae. Formas altas et graciles plus minus diversas tituli habent quos primo loco posui *Ragonii Urinatii* (n. 477) quique ei aetate suppar videtur esse *Caecilii Severiani* (n. 478) duoque a *Polytimo* positi (n. 480 481); crassiores, sed minutas *Fabii Cilonis* (n. 482); utrasque, latiores et graciles postea additas, *Silii Messallae* (n. 479). *Nummii Albini* (n. 483) ad pictarum formas accedunt, quas habent reliqui plerique (n. 484 485), elegantes *Caerellii Pollittiani* (n. 486), minutas et actuariis similes *Annaei Saturnini* (n. 487).

Sequuntur arae aliquot deis dedicatae a militibus hominibusve tenuioris condicionis. Quarum quae primo loco editur *Iovi Dolicheno* Commodo vivo posita, sed postea a. 195 in Severi honorem mutata (n. 488), litteris scripta est a Fabii Cilonis titulo aetatis eiusdem (n. 482) non multum diversis. Similes etiam *ara Silvani* habet (n. 491) quamvis rustice concepta; elegantiores, quales saeculo tertio procedente frequentiores fiunt, *ara Mithrae* a. 194 posita, in qua *Albini* nomen erasum est (n. 489); pictas *ara quinque deorum* usu peregrino a milite aliquo praetoriano dicata (n. 490). E longa serie ararum *Geniis centuriarum* a praetorianis positarum (CIL VI 208 ss.) quae huc pertinent perierunt pleraeque (CIL VI 224 a. 197, 225 a. 200, 228 a. 205, 210 a. 208); reliquae aut exhiberi non potuerunt (CIL VI 218 et 226 a. 202 utraque) aut infra proponentur alio loco (CIL VI 220 aeri incisa est).

In fine huius ordinis posui monumenta sepulcralia hominum aliquot militarium et privatorum. Atque *Pompeii Pompeiani* tribuni militum titulus (n. 492) scriptus est litteratura satis eleganti, fere ut ara Mithriaca a. 199 (n. 488), sed meliore; *Caecilii Ianuarii* formas habet pictas actuariisque similes (n. 493); calamo scriptis aequalis est *Iulii Crescentis* centurionis (n. 494). Pictis item scriptum est litteris monumentum *Fulviae Hermione* (n. 495) non absimilibus earum, quarum iam supra habuimus exempla (n. 472 476 486), sed tamen non prorsus aequalibus; *Arrii Pistiani* (n. 496) scripturae monumentali aetatis Commodianae similiores sunt (n. 496); utramque, monumentalem et pictam postea adiectam, titulus habet *Sallustiae Spendusae* (n. 497), quem ultimo loco posui.

465 Romae, in arcu Septimii Severi sub Capitolio, litteris olim aere incrustatis. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{40}$).

a. 203 0,300

IMP·CAES·LVCIO·SEPTIMIO·M·FIL·SEVERO·PIO·PERTIN
ACI·AVG·PATRI·PATRIAE·PARTHICO·ARABICO·ET
OPTIMIS·FORTISSIMISQVE·PRINCIPIBVS

Imp(eratori) Caes(ari) Lucio Septimio M. fil(io) Severo Pio Pertinaci Aug(usto) patri patriae Parthico Arabico et | Parthico Adiabenico pontific(i) max(imo), tribunic(ia) potest(ate) XI, imp(eratori) XI, co(n)s(uli) III, proco(n)s(uli), et | imp(eratori) Caes(ari) M. Aurelio L. fil(io) Antonino Aug(usto) Pio Felici, tribunic(ia) potest(ate) VI, co(n)s(uli), proco(n)s(uli), [p(atri) p(atriae)] | optimis fortissimisque principibus | ob rem publicam restitutam imperiumque populi Romani propagatum | insignibus virtutibus eorum domi forisque s(enatus) p(opulusque) R(omanus)

CIL VI 1033 (cf. ephem. epigr. IV p. 276) vv. 1 (in duas lineas distributus) et 4; Canina *edifizi* tab. CCLI, unde mensuras desumpsi. Vocabula *et* | *optimis fortissimisque principibus* in litura reposita sunt; fuerunt loco eorum in lapide ET | P·SEPTIMIO·GETAE·NOBILISSIMO·CAESARI.

---

466 Romae, in epistylio frontis porticus Octaviae ad forum piscarium, litteris olim aere incrustatis. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{12}$).

a. 203 0,500

S·SEVERVS·PIVS·PERTINAX·AVG·ARABIC·AD
TRIB·POTEST·XI·IMP·XI·COS·III·P·P·ET
S·ANTONINVS·PIVS·FELIX·AVG·

[Imp(erator) Caes(ar) L. Septimiu]s Severus Pius Pertinax Aug(ustus) Arabic(us) Adiabenicus Parthic(us) Maximus | trib(unicia) potest(ate) XI, imp(erator) XI, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae) et | [imp(erator) Caes(ar) M. Aureliu]s Antoninus Pius Felix Aug(ustus) [trib(unicia) potest(ate) VI], co(n)s(ul), proco(n)s(ul) | incendio corruptam restituerunt

CIL VI 1034 quantum superest omissa parte dextra extrema; Canina *edifizi* tab. CXL, unde mensuras addidi.

---

467 Romae, in arcu fori boarii ad aedem S. Georgii in Velabro ($\frac{1}{8}$).

a. 204

VII·COS·III·P·P
ET·IMP·CAES
BRITTA
VS·LOCI·QVI·INVEHENT·D


FELICISSIMOQVE 0,062
NI·PII·FELICIS·
MAXIMI 0,052
INI·EORV 0,082 (0,038)

Imp(eratori) Caes(ari) L. Septimio Severo Pio Pertinaci Aug(usto) Arabic(o) Adiabenic(o) Parth(ico) max(imo) fortissimo felicissimo, | pontif(ici) max(imo), trib(unicia) potest(ate) XII, imp(eratori) XI, co(n)s(uli) III, patri patriae, et | imp(eratori) Caes(ari) M. Aurelio Antonino Pio Felici Aug(usto) trib(unicia) potest(ate) VII, co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae), proco(n)s(uli), fortissimo felicissimoque principi, et | Iuliae Aug(ustae) matri Aug(usti) n(ostri) et castrorum et senatus et patriae et imp(eratoris) Caes(aris) M. Aureli Antonini Pii Felicis Aug(usti) | Parthici maximi Brittannici maximi | argentari et negotiantes boari huius loci qui invehent devoti numini eorum

CIL VI 1035 vv. 3—6 particulae.

468 Romae, in arcu aquae Marciae, nunc porta S. Laurentii. Ex imagine photographa ($\frac{1}{30}$).

a. 212/213 0,150




Imp(erator) Caes(ar) M. Aurellius Antoninus Pius Felix Aug(ustus) Parth(icus) maxim(us) | Brit(annicus) maximus pontifex maximus | aquam Marciam variis kasibus impeditam purgato fonte excisis et perforatis | montibus restituta forma, adquisito etiam fonte novo Antoniniano, | in sacram urbem suam perducendam curavit

CIL VI 1245 vv. 1. 2; Canina *edifizi* tab. CCXXVIII, unde mensuras desumpsi.
Tempus tituli eo definitur, quod Geta a. 212 occisus est et Caracalla a. 213 nomen Germanici adsumpsit.

---

469 Romae, in epistylio templi Saturni ante clivum Capitolinum; litteris olim aere incrustatis. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{20}$).

0,600




Senatus populusque Romanus | incendio consumptum restituit

CIL VI 937 integra; Canina *edifizi* I tab. XXXI. Templum Saturni eadem fere aetate, atque Vespasiani, restitutum esse probabile est. Exemplum meum ex imagine photographa repetitum est, quod Iosephi Fiorellii benevolentiae debeo, quanta maxima cura.

---

470 Romae in foro, in epistylio aedis divi Vespasiani, cuius supersunt columnae tres; litteris olim aere incrustatis. Ex imagine Valadierii (c. $\frac{1}{14}$).

0,300




Divo Vespasiano Augusto s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus); | imp(eratores) Caes(ares) Severus et Antoninus Pii Felices Aug(usti) restituer(unt)

CIL VI 938 v. 2 pars superstes.
Repetivi imaginem Ios. Valadierii (*raccolta delle più insigni fabbriche di Roma antica* etc., fasc. V, Romae 1818 fol., *tempio di Giove Tonante* tab. IV); Canina *edifizi* tab. XXXIII, unde mensuras addidi.
Vespasiani aedem Severus cum filio paullo post arcum in foro erectum videtur restituisse.
Valadierii imago, quam repetendam curavi necessario, non usque quaque satis facit nec fidam eam esse spoponderim.

---

471 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{4}$).

a. 198 0,022 0,025




Imperatori Caesari | M. Aurelio Antonino Aug(usto) | L. Septimi Severi Pii | Pertinacis Aug(usti) filio | domino indulgentissimo | paedagogi puerorum a capite | Africae, quorum nomina infra | scripta sunt sequuntur nomina puerorum XXIV | *procurantibus Saturnino et Eumeniano; | dedic(ata) idib(us) Oct(obribus) Saturnino et Gallo | co(n)s(ulibus)*

CIL VI 1052 vv. 3. 4. Consules sunt anni s. s.

472 Romae, tabula magna marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{8}$).

a. 203



0,045

Imp(eratori) Caes(ari) M. Aurelio Antonino Pio Felici | Aug(usto), trib(unicia) potest(ate) IIII, có(n)s(uli) designato, procó(n)s(uli), | imp(eratoris) Caes(aris) L. Septimi Severi Pii Pertinacis Aug(usti) Arab(ici) | Adiab(enici) Parth(ici) max(imi) fortissimi felicissimi filio, | divi M. Antonini Pii Germ(anici) Sarm(atici) nep(oti), divi Antonini Pii pronepot(i), divi Hadriani abnep(oti), divi Traiani | Parthic(i) et divi Nervae adnepoti | ....i urbi sacrae reg(iones) XIIII

CIL VI 1030 v. 1 partis dextrae. Pars sinistra Severi nomina continet, sed imminuta tantum servata est. Dedicatio videtur facta esse a regionibus urbis XIV. Annus indicatur dignitatibus imperatorum s. s.

---

473 Romae, tabula magna marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{12}$).

inter a. 210 et 212



0,074


Imp(eratori) Caesari | Marco Aurellio | Antonino Pio Aug(usto) | Felici, Parth(ico) max(imo), Brit(annico) max(imo), pont(ifici) max(imo), trib(unicia) pot(estate) X[V], imp(eratori) II, | co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae), p[roco(n)s(uli)] | ....

CIL VI 1062 vv. 2. 3. Caracallae dignitates cadunt in annos s. s., de tribunicia potestate non constat.

---

474 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).

post a. 211



0,032


0,025

[Pro salute] | et victorii[s imp(eratoris) Caes(aris)] | M. Aur(elii) Antonin[i ...] | Pii Felic(is) Aug(usti) et Iu[liae Aug(ustae)] | matri Aug(usti) et c[astrorum] | totiusque dom[us eorum] | Eutychus Au[g(usti) lib(ertus)] | ex vot[o]

CIL VI 1071 vv. 3—5. Post M et AVR puncta desunt in lapide, item post MATRI v. 3.

475 Romae, basis parva; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{6}$).

inter a. 212 et 217




0,044

Iuliae Domnae | Aug(ustae) | matri Aug(usti) n(ostri) | et castror(um)

CIL VI 1048 vv. 1—3. Titulus post Getae mortem positus est. V. 1 linea inferior tantum indicata in lapide a quadratario, unde litterae eius versus evaserant perquam inaequales. Vv. 2. 3 lineae indicatae infra et supra. V. 3 post AVG punctum omissum in lapide.

476 Romae, tabula marmorea litteris minio pictis in coemeterio Callisti via Appia in crypta Eusebii papae; ex imagine Rossii ($\frac{1}{3}$); veram litterarum mensuram ignoro.

a. 214



Magno et invicto | imp(eratori) Caes(ari) M. Aurellio Antonino | Pio Fel(ici) Aug(usto) Parthic(o) maxim(o) | Brit(annico) max(imo), Germ(anico) max(imo), pont(ifici) max(imo), trib(unicia) pot(estate) XVII, imp(eratori) III, co(n)s(uli) IIII, | p(atri) p(atriae), proco(n)s(uli) | M. Asinius Sabinianus v(ir) c(larissimus) ob insignem | indulgentiam beneficiaque eius erga se

CIL VI 1067 vv. 1—3. Repetivi ex Rossii *Roma sotterranea* II tab. IV cf. p. 191 ss. Continet in parte aversa elogium Eusebii papae factum a Damaso papa. Caracallae tituli incidunt in annum s. s.

---

477 Romae, basis marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{5}$).

post a. 192




0,048

L. Ragonio L. f(ilio) Pap(iria) Urinatio | Larcio Quintiano co(n)s(uli), | sodali Hadrianali, leg(ato) leg(ionis) XIIII gem(inae), donis milit(aribus) donato ab imp(eratore) [Commodo] Antonino Aug(usto), | proco(n)s(uli) prov(inciae) Sardin(iae), iuridico per Apul(iam), praef(ecto) f(rumenti) d(andi), praet(ori), | aed(ili) pl(ebis), q(uaestori) pr(o) pr(aetore) provinc(iae) Africae, seviro | Ti. Cl(audius) Phaedimus | h(onoris) c(ausa)

CIL VI 1502 v. 1.

---

478 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{10}$).



0,050


0,045

P. Caecilio Allenio | Fausto Maximo | Severiano c(larissimo) v(iro) | co(n)s(uli) | Caecilius Gaius | iun(ior) alumnus | patrono | incomparabili

CIL VI 1362 vv. 1—3. Consul est anni incerti; I. B. de Rossi *Roma sotterranea* II p. 142 saeculo fere tertio tribuit, quocum convenit litteratura.

479 Romae, basis marmorea; in museo Vaticano (vv. 1. 2 $\frac{1}{5}$, v. 3 $\frac{1}{6}$).

a. 193



0,067


0,037

Herculi | defensori | M. Silius | Messalla | consul

CIL VI 308 vv. 3—5. Inter vv. 4 et 5 spatium largius versu nullo deleto, sed nomine consulis in litura reposito litteris gracilioribus.

480 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).

post a. 192



0,030

[. . . . . *adlecto inter* | *patr*]*icios a divo Pertinace, III vir(o) a(uro) a(rgento) a(ere) f(lando) f(eriundo),* | [*so*]*dali Hadrianali, flamini Commodian(o)* | [*Pol*]*ytimus lib(ertus) et proc(urator) patrono*

CIL VI 1577 v. 3.

---

481 Romae, sub statua venatoris, qui leporem captum manu sublata tenet; in museo Capitolino ($\frac{1}{10}$).



0,050

Polytimus lib(ertus)

In CIL VI nondum edita; integra. Mus. Capit. vol. III tab. LX (G. Hirschfeld tituli statuariorum p. 173, 11).

Sub OL litteris apparet vestigium C antiquioris. Coniunxi cum praecedente, cum propter litterarum in utroque titulo aequabilitatem fieri possit, ut Polytimus hic non diversus fuerit ab eo, quem nominat alter titulus. Unde statuae huius aetas definiretur.

---

482 Romae, basis magna marmorea litteris parvis; in villa Albania (c. $\frac{1}{2}$).

post a. 194



0,012

L. Fabio M. f(ilio) Gal(eria) Ciloni Septi|mino Catinio Aciliano Le|pido Fulciniano co(n)s(uli), | *comiti imp(eratoris) L. Septimi Severi Pii* | *Pertinacis Aug(usti) Arab(ici) Adiab(enici) p(atris) p(atriae)* | sequuntur reliqui honores *Ti. C(laudius) Ambrelianus 7 (centurio) leg(ionis) V* | *Macedonicae ob merita*

CIL VI 1408 v. 1.


Extant bases tres (haec maxima est vv. 23; reliquae 1409. 1410 paullo minores) positae eidem viro L. Fabio Ciloni praefecto urbis et bis consuli; cos. II fuit a. 204, cos. I suffectus post a. 192, fortasse a. 194. Titulus hic positus est ante praefecturam urbanam, quam post primum consulatum obtinuit.

Ciloni dare voluit quadratarius, non *Cilone*, ut is vidisse sibi visus est, qui imaginem delineavit.

---

483 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{4}$).

post a. 206



0,025


0,022

M. Nummio Umbrio | *Primo M. filio Gal(eria)* | *Senecioni Albino* | *co(n)s(uli), pr(aetori) candidato,* | *leg(ato) prov(inciae) Africae, leg(ato)* | [*pro*]*v(inciae) Asiae, q(uaestori) candid(ato)* | . . . . . .

CIL VI 1475 vv. 1—3. De honoribus huius viri constat praeterea ex titulo Brixiano CIL V 4347 (infra n. 554), cf. praeterea CIL X 4330. Consul fuit anno s. s.

34 Romae, basis marmorea rep. ad viam Appiam; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).

paullo ante a. 212



0,034

L. Fulvio L. fil(io) Ouf(entina) | Gavio Numisio Petronio | Aemiliano, praetori | tutelario candidato | Aug(ustorum), quaestori candid(ato) | Aug(ustorum), pontif(ici), promagis|tro Salio Collino, praef(ecto) | feriar(um) Latina(rum), III vir(o) | monetali a(uro) a(rgento) a(ere) f(lando) f(eriundo), VI vir(o) | turmae I equit(um) Romanor(um) | Attia Cervidia Vestina | marito

IL VI 1422 v. 10. Praetura functus est Aemilianus non post annum s. s. R in voce ROMANOR evasit A litterae similis incuria puto apicidae. Sed litteratura universa accedit ad pictam.

485 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Britannico ($\frac{1}{5}$).

post a. 221




0,035

[C. Valerio] Volt(inia) Grato | [Sa]biniano | [co(n)s(uli) or]dinario, | [cur(atori) Fl]am(iniae) et alim(entorum), | [pr(aetori)] k(andidato) tutelar(i), | [q(uaestori) k(andidato), seviro] eq(uitum) Rom(anorum) turm(ae) III, | [vioc]uro, | [.....]s Aug(usti) lib(ertus) | [.... ali]mentorum | [i]ustissimo

CIL VI 1529 v. 5 pars superstes. Sabinianus consul est anni s. s.

486 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{9}$).




0,048

C. Caerellio | Pollittiano c(larissimo) v(iro) | proco(n)s(uli) Macedoniae | Boncii Victorinus | Iulianus et Germanus | Venussianus ex Africa | ob innumerabilia eius | in se beneficia

CIL VI 1366 vv. 1. 2. V. 1 A inter C et E postea addita est a quadratario.

Ex reliquis huius viri titulis constat eum Macedoniam rexisse aut imperante adhuc Antonino Severi filio aut sub aliquo successorum eius. Cf. etiam titulus Mogontiacensis Bramb. 1003.

487 Romae, sarcophagus marmoreus litteris minutis; in museo Vaticano ($\frac{1}{2}$).



0,011


0,012

M. Annaeus Saturninus Clo|dianus Aelianus v(ir) c(larissimus) | leg(atus) leg(ionis) XI Claudiae, cur(ator) | viae Latinae, pr(aetor) kandi|datus, trib(unus) pleb(is) kand(idatus), | [ab a]ctis senatus, quaestor | [urba]nus, trib(unus) leg(ionis) III Ital(icae), | [sexvir eq(uitum) Rom(anorum)], trium virum [capitalium aut *monetalium*] ......

CIL VI 1337 vv. 1. 2. Homo aliunde ignotus; saeculo tertio eum vixisse apparet. Lineae ad regendos versus ternae ubique incisae cernuntur.

488 Romae, tabula marmorea ex statione cohortis II vigilum; in museo Capitolino ($\frac{1}{6}$).

a. 191



0,030

0,016


I(ovi) o(ptimo) D(olicheno) | *pro salute* | *imp(eratoris) L. Septimi Sever[i Pii Pertinacis] Aug(usti)* | *Pii Felicis et exercitu(u)m* | *et p(opuli) R(omani) D. Iun(ius) Pacatus cum* | *Alexandro fil(io) sacrarum* | *iussu I(ovis) D(olicheni) sua pec(unia) adampliavit c(uram) a(gente) Caecilio* | *Rufo 7 (centurione), sacerdotib(us) Sopatrus et Marin(us) et Calus f(ilio)* [sic] e. q. s.

CIL VI 414 pars dimidia sinistra; in tabula altera, in qua titulus continuatur, additur annus s. s.
V. 3 in locum nominis Commodi erasi inserta sunt post a. 195 nomina Severi.

---

489 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano ($\frac{1}{3}$).

a. 194



0,030

0,028

0,020

Numini invicto | *Soli Mithrae* | *M. Aurelius Aug(usti) l(ibertus)* | *Euprepes una cum* | *filis suis d(onum) d(edit)* | *sacerdote Calpurnio* | *Ianuario, dedicata* | *VII kal(endas) Maias imp(eratore)* | *L. Septimio Severo Pertin(ace) II* | *[D. Clodio Septimio Albino] II* | *co(n)s(ulibus)*

CIL VI 724 vv. 8—11. Consulatus Severi et Albini alter incidit in annum s. s.; Albini nomen v. 10 erasum est.

---

490 Romae, anaglyphum marmoreum deorum quinque, quorum nomina subscripta sunt; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{6}$).




0,030

Arduinne, Camulo, Iovi, Mercurio, Herculi | *M. Quartinius M. f(ilius), cives Sabinus Remus,* | *miles coh(ortis) VII pr(aetoriae) Antoniniane p(iae) v(indicis) v(otum) l(ibens) s(olvit)*

CIL VI 46 v. 3. VLS, non VIS, clare distinguitur. Observa lineolas *coh.* et *pr.* vocabulis breviatis superscriptas.

491 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. ¼).




0,024

Betranus emeritus Aug(usti) nostri | *Claudius Herculanus domino Si[lvano]* | *sancto deo d(onum) d(edit) agente .....* | *actore Aug(usti)*

CIL VI 669 v. 1. Kellermannus exemplum novicium esse putabat, iniuria sine dubio. V. 1 videtur postea adiectus esse.

---

492 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (⅙). Exemplum novicium extat in museo Leidensi (Janssen tab. XIX, 2).



0,042

0,038

D(is) M(anibus) | *Gn. Pompeio* | *Pompeiano* | *equo publico,* | *tribuno leg(ionis) III* | *Italice, prefecto* | *cohortis Afrorum* | *in Daciam* | *Pompeia Cleobula* | *et Cleopatra fratri* | *karissimo*

CIL VI 3529 vv. 2. 4. 5.

493 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. ⅙).




0,032

D(is) M(anibus) s(acrum); | *Sex. Caecil(io) Ianuario* | *eq(uiti) R(omano) IIII mil(itiarum), per o|mnia bono viro* | *in terram se vivam* [sic] | *et hoc loco poni volenti* | *fieri curaver(unt)* *Novia So|phia mater et Caecilii* | *Terentianus et Sophos fratri pientissimo et rarissimo* cet.

CIL VI 3495 vv. 2—4. 'Litteris saeculi tertii vel secundi exeuntis' Henzen. Observa R litteram linea transversa distinctam fere ut rubricae nota in actis.

---

494 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. ⅕).




0,032

0,029

D(is) M(anibus) | *Iul(ius) Crescens ex* | *leg(ione) VII Cl(audia) ordina|tus 7 (centurio) in leg(ione) IIII Scyt(hica),* | *vixit ann(is) XLIIII;* | *filii et heredes eius posuerunt*

CIL VI 3603 vv. 2—4.

495 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{8}$).




0,042

Praesidi | D(is) M(anibus) s(acrum) | Fulvia Hermione Agathoni | Claudiano publico populi R(omani) | marito sanctissimo, cum quo vix(it) | annis XXXVIII sine ulla querella, s[ibi] | fecit et libertis libertabusqu[e poster]|isque eorum

CIL VI 2351 vv. 3. 4.

---

496 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{8}$).




0,062

L. Arrio Pistiano | filio optimo | Arri Pistianus et | Helpis parentes et sibi libertis libertabusque | posterisque eorum

CIL VI 12377 vv. 1. 2.

---

497 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{9}$).



0,065

0,060

0,050

Sallustiae | Spendusae | et Sallustiae | Cypare f(iliae)

Murat. 1740, 8; in CIL VI nondum edita, integra. Vv. 3. 4 postea additi a manu diversa.

II

MONVMENTA VRBANA SAECVLI TERTII RELIQVA

Quo magis abundant monumenta aetatis Severianae, eo rariora sunt quae ad saeculi tertii partem reliquam spectant. Praeter arcum Gallieni, cuius titulum exhibui (n. 507), exceptis fragmentis quibusdam minutis (CIL VI add. p. 845), operum publicorum unus extitit titulus thermarum Diocletiani (CIL VI 1130), qui periit. Bases statuarum imperatoribus positarum supersunt paucae; exhibui exempla eius, quae videtur Elagabali fuisse (n. 498), inscriptae litteris ornatis sed non bonis; *Severi Alexandri* altera (CIL VI 1083) periit, alterius (1084) fragmentum tantum extat, cuius ectypum praeter puncta e foliolis hederaciis facta nihil peculiare habet; fragmenti tertii (CIL VI 3785) litterae studiose deletae sunt. *Maximini* nomina pro Severi Alexandri et matris restituta sunt in tabula eleganti ad aediculam castrensem pertinente, cuius exhibui exemplum (n. 499). *Pupieni* unicum quod superest Romae monumentum repraesentandum curavi (n. 500). Paullo frequentiora sunt monumenta *Gordianorum* (CIL VI 1088—1096): proposui arulam *Iovis Heliopolitani* (n. 501), tabulas *imperatori ipsi et uxori* annis 239 et 241 positas (n. 502 504), quae omnia inscripta sunt litteris gracilibus parvis; minores etiam, sed quadratas habet dedicatio servata in latere tituli erasi (n. 503); minutissimas tituli a. 241 (n. 504) versus ultimus. Item litteris minutis eisque similibus, quae aeri incidebantur, utitur arula *Iovis Dolicheni* nunc in museo Parisino servata, quae propter gemellam in horreis musei Vaticani absconditam a. 244 tribuitur (n. 505). *Traiani Decii* filiorumque titulum urbanum unum, qui superest integer (CIL VI 1101), vidi in aditu sacrarii basilicae Vaticanae, sed repraesentare supersedi; *Treboniani Galli* exhibeo fragmentum musei Vaticani, scriptum litteris pictis similibus bonis (n. 506); tabulam magnam aedium Rondininiorum denuo detectam (CIL VI 1104 cf. add. p. 844) non vidi. Sequitur arcus Gallieni, quem iam memoravi, testimonium artis aetate illa una cum imperio paene ad interitum redactae (n. 507). Quae praeterea vidi fragmenta titulorum eiusdem imperatoris et uxoris filiorumque (CIL VI 1107 1108 1110) a reliquis eius aetatis non multum differunt. *Aureliano* restitutori imperii quae dicata est tabula musei Vaticani sola superstes quamvis manca (duae enim aliae CIL VI 1112 1113 interierunt), eius exemplum quamvis exiguum proposui (n. 508). Reliquorum qui saeculo tertio ad finem vergente fuerunt imperatorum *Taciti Floriani Probi Cari Numeriani* monumenta urbana, quae quidem repraesentari potuerint, supersunt nulla; quae ad *Carinum* pertinent tabula a. 284 (CIL VI 1115) et fortasse ara *genio cohortium praetoriarum posita* (CIL VI 216), vidi neque vero exhibere volui. Addidi hoc loco minus certae aetatis titulum sepulcralem *Antonii Frontonis Salviani* (n. 509), honorarium *Ocinii Africani* (n. 510), sepulcralem item *Gelliae Agrippianae* (n. 511), hominum clarissimorum eius aetatis omnium, qui varia scripturae genera illustrant. Elegans scripturae pictae ea aetate usurpatae exemplum est *Naeviae M. filiae Antoniae Rufinae c(larissimae) f(eminae)* titulus alter (CIL VI 1469) servatus in museo Vaticano.

Quae seriem hanc claudunt monumenta aetatis Diocletianae ipso numero imperatoris eius curam operum publicorum atque imperii urbisque splendorem aliquatenus restauratum testantur. Tamen litterarum formae in titulis urbanis, quanquam paullo maiore cura delineatae quam eius quae proxime praecessit aetatis, minime sunt laudandae: graciles sunt plerumque et inaequales, a vere monumentalibus plane diversae. Exhibui e basi a. 287 exempla duo, tituli frontis, qui nomine Constantini postea inserto interpolatus est, et lateris, scripti illius litteris minoribus (n. 512*ab*); item dedicationis titulum ad a. 290 spectantem (n. 513). Denique ne deesset exemplum quod demonstraret quam neglegenter interdum aetate illa litterae incisae essent, addidi dedicationem tituli incerti tam male sculptam, ut vix urbanam esse crederem (n. 514). Atque haec quidem exempla sufficere visa sunt; nam eiusdem omnino generis sunt qui praeterea extant mihique visi sunt tituli a. 285 in villa Borghesia (CIL VI 1116), a. 293 et a. 293 ad 296 musei Vaticani (CIL VI 1119*a* 1125), item fragmenta non pauca ex parte mihi ignota (CIL VI 1122 1125—1129 3787); tituli reliqui eius aetatis non nulli (CIL VI 1120 1121 1124) interierunt. Tabula marmorea quae spectat ad *ripam Tiberis restitutam* litteras habet paullo crassiores, sed et ipsas ex picto exemplo profectas illudque imitantes (n. 515). Litteris minoribus quadratis non prorsus malis, sed inaequalibus scriptae sunt arae *matris deum* a *Scipione Orfito* positae a. 295 (n. 516 517); quibuscum conferatur ara similis ab eodem homine *Iovi Soli Sarapidi* posita (CIL VI 402). Composui cum illis aras *matri deum et navi* eius *Salviae* a muliere eadem consecratas eodem fere sine dubio tempore, sed litteratura prorsus inaequali: altera enim (n. 519) scripta est litteris parvis quidem sed eiusdem fere generis atque Scipionis Orfiti arae, altera minutis et pessimis (n. 520). Thermarum Diocletianarum a. 305 dedicatarum titulos (CIL VI 1130 1131 1131*a*) iam memoravi; exempla eorum exhiberi non potuerunt. *Constantii* Caesaris titulus alter (CIL VI 1132) interiit; alterius quod extat fragmentum vidi, sed omisi; saeculi quarti ineuntis unum addidi taurobolii a. 305 percepti (n. 518), qui scriptus est litteris paullo maioribus melioribusque, quam eius aetatis reliqui.

Ex numero magno titulorum sepulcralium urbanorum, qui probabiliter saeculo tertio medio exeuntive tribuuntur, aliquot elegi exempla, quae varia scripturae in illis adhibitae genera illustrarent. Qui praecedit *Calpurnii Philokyrii* (n. 521) quamvis satis accurate scriptus tamen aetate fortasse recentior habendus est quam quae sequuntur formulae sepulcrales sermone barbaro conceptae (n. 522 524), quarum haec (n. 524) litterarum formas pictas habet altero saeculo non infrequentes, illa (n. 524) tertii fere medii mihi videtur esse. Comparari praeterea potest titulus musei Florentini urbanus inscriptus *Paramuthi Traiano do|mina servo | merenti | fecit* (Murat. 1552, 13), qui scriptus est litteris similibus atque n. 521 522; contra alter Florentinus ex urbe ita conceptus *diis Manibus | N. Fulvis Felix sibi et suis | fecit* (Fabr. p. 81, 107) similior est titulis n. 523 524. Tabula se-

pulcralis *Mummiae Isocratiae* (n. 522) docet ea quoque aetate, de qua in universum constat, interdum in usu fuisse formas litterarum rectas et siccas, cornibus carentes. Sed hic quoque monendum est, exempla quae proposui varietatem scripturae epigraphicae, qualis illa aetate in urbe obtinuerit, minime plenam exhibere.


Repertae sunt in urbe bases aliquot statuarum, quibus nomina artificum inscripta sunt (CIL VI 10038—10043); formula utuntur hac, quae est *opus illius*; ut in Graecis inde ab Alexandri fere aetate ἔργον sive ἔργα τοῦ δεῖνος solebat inscribi operibus claris artificum plerumque vetustiorum, quod tituli Pergameni nuper reperti docent. Atque Castorum quidem in monte Quirinali bases titulis inscriptas esse noviciis constat (CIL VI 10038); reliqui qui extant omnes uno eodemque charactere utuntur, quem Rossius probabiliter adscripsit saeculo alteri (exeunti puto) tertiove (*convengono al secondo ed al terzo secolo, ed al piu tardi agli ultimi anni incirca del predetto periodo*). Re vera extant exempla quaedam urbana scripturae illius pictae similis et elegantis in basibus annorum 150 (supra n. 288) 158 (n. 291) 161 (n. 293); sed tamen litteratura paullo brevior et crassior, omnino non prorsus eadem atque illa, qua artificum nomina scripta sunt. Paene ad unguem autem illae conveniunt cum litteris, quibus utuntur tituli aliquot saeculi tertii medii (ut infra n. 501 502 506); unde aliqua cum probabilitate huic ipsi aetati attribuentur. Reliquos artificum titulos urbanos non examinavi; poterunt tempora illorum ex litterarum formis nunc fortasse aliquanto accuratius definiri. Ita exempli gratia nomen nymphae *Anchyrrhoe* inscriptum cum soloecismo aperto basi statuae eius Tiburtinae, quae in Britanniam devecta est (*Archaeol. Zeitung* vol. XXXI 1873 p. 31) litteras habet titulorum huius aetatis (veluti supra n. 476) simillimas; probabiliter igitur saeculo alteri exeunti ineuntive tertio adscribetur. Exemplum eius tituli infra repetendum curavi extra ordinem.



0,040

498 Romae, tabula marmorea magna; in museo Vaticano (c. 1/3).

c. a. 220




0,016 0,012 0,010

[Pro salute et victo]ria deo imp(eratori) Caes(ari) M. Aurel[io | ...... o]ptimo Antonino Pio sideribu[s | demisso ... t]onitratori Aug(usto) orbis terrarum [..... | domino ....] maximo; providens imperii sui mai[estatem | auxit, fines eius] ampliavit, largam gloriam pac[e cumulavit, | ... parta la]urea dextra manu signum Victor[iae coronavit, | ......]r curiae sacro urbis et in aeternum [...... | .... f]elicia tempora quattuor in [.... | ..... s]ancto die nativitatis tuae ga[ud... | ...... s]uscipias sanctis manibusque suis c[...... | .... l]anugini flores digna sunt vota ...... | ..... sui Nox dea fit lux, sic dic mea V[.......; | corpus piscatorum] et urinatorum sua p(ecunia) p(osuit), primiceri[us ....; | hic locus est] urbis, qui nymphas accipit omnes e[....... | ......]ri toto octies denis circumdatas annis gratem ....

CIL VI 1080 vv. 12—14. Titulus omnino obscurus, praeterquam quod deus imperator videtur Elagabalus esse.

499 Romae, tabula magna marmorea, reperta in monte Caelio; in museo Vaticano (1/5).

a. 235




0,056 (0,030) 0,052

Pro salute et reditu d(omini) n(ostri) imp(eratoris) Caesaris [....... | C. Iulio Vero Maximino Pio Felici | invicto Aug(usto)] Domitius Bassus 7 (centurio) fr(umentariorum) agens | vice principis peregrinorum templum Iovis Reducis c(astris) p(eregrinis) omni | cultu de suo exornavit
votis | X annalib(us) | feliciter
votis | XX annalib(us) | feliciter

CIL VI 428 vv. 3. 4 pars dextra cum titulo in latere frontis sinistro. Vv. 1. 2 nomina Maximini in litura reposita sunt pro Severi Alexandri et matris; unde tempus tituli definitur. C·P ita scripta indicant castra peregrina.

500 Romae, fragmenta tabulae marmoreae ex coemeterio Callisti. Ex imagine Rossii (mensuras ignoro).

a. 234



In fronte: *Pupie[niae]* | *Sext(i filiae) Pau[linae]* | *Cetheg[illae]* | *c(larissimae) p(uellae)* | *Pupieni c(larissimi) [v(iri) co(n)-s(ulis) II]*


In parte aversa: .... *[Ma]rci filiae* | *[inf]antiae pulchrae* | *[Pu]pieni Maximi* | *[c(larissimi)] v(iri) co(n)s(ulis) II,* | *[ca]stae pulchrae* | .... *[My]rtale(?)*

CIL VI 1087 (cf. add. p. 844) integra; I. B. de Rossi inscr. christ. I p. 11. V. 5 punctum inter I et C observavit Rossius.

---

501 Romae, cippus marmoreus parvus cum anaglypho Rheae inter duos leones stantis; in museo Vaticano (c. 1/4).

inter a. 238 et 244



0,025 0,022 0,020


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) H(eliopolitano) | *conservatori* | *imperii* | *d(omini) n(ostri) Gordiani* | *Pii Fel(icis) invicti Aug(usti)* | *L. Trebonius Fab(ia)* | *Sossianus* | *colonia Heliupoli* | 7 *(centurio) frum(entariorum) leg(ionis) IIII Fl(a-viae)* | *Gordianae p. p.*

CIL VI 423 vv. 1—4. Quid litterae singulares duae ultimae significent non plane certum est.

---

502 Tabula marmorea; in museo Vaticano (1/8).

a. 239




0,056 0,063

Imp(eratori) Caes(ari) M. Antonio | *Gordiano Pio Felici* | *Aug(usto), p(ontifici) m(aximo), trib(unicia) pot(estate) II, co(n)s(uli), p(atri) p(atriae)* | *Cornelia Praetextata* | *[ob d]ivinam pietatem eius* | *[erga se at]que suos et* | *[iu]dicium,* | *[quo munific]entiam suam* | *[pro]bavit*

CIL VI 1089 vv. 1. 2. Interpunctio syllabaris per totum titulum observata est.

503 Romae, basis marmorea, reperta in Aventino; in museo Capitolino (1/6).

a. 239



0,030

0,025

Dedicata IIII idus Mart(ias) | imp(eratore) domino n(ostro) Gordiano Aug(usto) | et M. Acilio Aviola co(n)-s(ulibus) | per Q. Veturio Felicissimo elect(o) [sic] sequuntur nomina quinquennalium et curatorum


CIL VI 1159 dedicationis in latere inscriptae vv. 2. 3.

Facies erasa et in litura repositus titulus Constantii a. 353—354. Dedicatio vetustior est anni s. s. Mediae ei interpositus est urceus. Nota lineas superpositas vocabulis non perscriptis.

---

504 Romae, tabula marmorea parva; in museo Capitolino (c. 1/4).

a. 241



0,020

Pro s(alute) imp(eratoris) M. Antoni Gordiani Pii Felicis Aug(usti) et | Tranquillinae Sabinae Aug(ustae) venatores immun(es) | cum custode vivari Pont(ius) Verus mil(es) coh(ortis) VI pr(aetoriae), Cam|panius Verax mil(es) coh(ortis) VI pr(aetoriae), Fuscius Crescentio | ord(inatus) custos vivari coh(ortium) praet(orianarum) et urb(anarum) Diana Aug(usta) [sic] *d(e) s(uo) ex v(oto) p(osuerunt); | dedicata XII kal(endas) Nov(embres) imp(eratore) d(omino) n(ostro) Gordiano Aug(usto) et Pompeiano co(n)s(ulibus)*


CIL VI 130 v. 2 pars sinistra.

Anni indicatio addita in fine tituli (v. 6) scripta est litteris minutissimis, altis 0,007. Observa Q et L litterarum caudas paene rectas.

---

505 Romae, basis parva marmorea ex templo Iovis Dolicheni in Aventino; in museo Parisino (1/2).

c. a. 244



0,015


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) a(eterno) D(olicheno) et | Soli digno pres(tanti) | pro sal(ute) M. Aur(elii) And|ronici et Tarquitie | Marcelle coiugis et | filiorum eius aram | posuit ex voto per | C. Fab(ium) Germanum sacerd(otem)

CIL VI 412 vv. 3—5.

Sacerdos idem a. 244 titulum CIL VI 413 dedicavit Iovi et Iunoni; unde circa annum illum hic quoque titulus videtur positus esse. *Tarquitie*, non *Tarquilie* legendum; nam ITL in hac scriptura saepe simillimae sunt.

506 Romae, fragmentum tabulae marmoris caerulei; in museo Vaticano (c. 1/6).

a. 252-254



0,040


0,036

Imp(eratori) Caes(ari) C. [Vibio Afinio] | Gallo Ve[ldumniano] | Vol[usiano] .....

CIL VI 1105 integra.

507 Romae, in arcu Gallieni ad aedem S. Viti; ex imagine photographa (c. 1/14).

inter a. 260 et 268




0,100

Gallieno clementissimo principi, cuius invicta virtus sola pietate superata est, et Saloninae sanctissimae Aug(u-stae) | Aurelius Victor v(ir) e(gregius) dicatissimus numini maiestatique eorum

CIL VI 1106 v. 1 pars sinistra (divisa in lineas duas); Canina *edifizi* tab. CCLVI, unde mensuras desumpsi.

508 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano (c. 1/8).

inter a. 270 et 275




0,056

Magn[o et] | invic[to d(omino) n(ostro)] | imp(eratori) L. D[o-mitio] | Aureli[ano Pio] | Felici [Augusto] | ob infati[gabilem] | circa [..... | .... curam] | .....

CIL VI 1114 vv. 3. 4 quae supersunt.

509 Romae, basis marmorea; in villa Mellinia (c. 1/6).




0,038

0,034

Antonio Fron|toni Salviano | c(larissimae) m(emoriae) v(iro), quaestori ur|bano, aedili cereali | designato | Antonius Felix Ma-gnus c(larissimus) p(uer) | filius parentibus

CIL VI 1345 vv. 1. 2. Homo videtur aliunde non notus esse; scriptura est saeculi tertii.

510 Romae, tabula magna marmorea; in museo Vaticano (1/7).



0,056

L. Ovinius Curius Proculus Modianus | Afrikanus co(n)s(ul) heroum coeptum | in honorem Claudianae Eusebiae c(laris-simae) m(emoriae) f(eminae) | suae necessaria tutela muneitum [sic] *perfecit | ad memoriam L. Ovini Afrikani c(larissimae) m(emoriae) p(ueri) ne|potis et suam*

CIL VI 1479 vv. 1. 2 pars dimidia.

Consul aliunde non notus, vel tertii vel quarti vel quinti saeculi, ut putat *Fea*, qui adnotat: *la forma dei caratteri è ancor bella, tuttochè un poco manierata.* 'Litteris valde recentibus' *Henzen*. Saeculi tertii exeuntis esse possunt, sed etiam antiquiores.

511 Romae, cippus magnus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{14}$)



0,110

0,075

Glaucopi Veneri | *Gelliae* | *Agrippiane* | *c(larissimae) p(uellae)* | *Aurelia Soteris et Mussius* | *Chrysonicus* | *nutritores* | *lactanei*


CIL VI 1424 vv. 2—4.

---

512 Romae, basis marmorea reperta trans Tiberim, unde tabulae desectae sunt duae; in museo Capitolino (*a* c. $\frac{1}{9}$; *b* c. $\frac{1}{6}$).

a

a. 287



0,054

Magno et invicto | *imp(eratori) Caes(ari) C. Val(erio) Aurel(io)* | *[Constanti]no Pio Fel(ici)* | *invicto Aug(usto), pontif(ici) max(imo),* | *trib(unicia) potest(ate), co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae), proc(onsuli),* | *d(omino) n(ostro) corpus corariorum* | *magnariorum solatariorum* | *devoti numini maiestatiq(ue)* | *eius*

CIL VI 1117 vv. 2. 3.

CONSTANTI litterae (altae illae 0,045) in litura repositae pro DIOCLETIA, cuius reliquiae adhuc dispiciuntur; annum indicat dedicatio lateris.

b



0,032

In latere: *dedicatae* | *kal(endis) Ian(uariis)* | *d(ominis) n(ostris) Diocletiano III et* | *Maximiano co(n)s(ulibus)* | *curante Thessio Secundo p(atrono) c(orporis) corariorum*

CIL VI 1117 vv. 3. 4 lateris sinistri.

Consulatus Diocletiani tertius et Maximiani incidit in annum s. s. Eiusdem anni similisque litteraturae est basis ab eodem corpore posita Maximiano, in cuius locum Constantini Caesaris nomina reposita sunt (CIL VI 1118).

---

513 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{6}$).

a. 290




0,030

Dedicata VII id(us) Ian(uarias) | *d(ominis) n(ostris) Diocletiano Aug(usto) IIII* | *et Maximiano Aug(usto) III co(n)s(ulibus)*

CIL VI 869 vv. 2. 3. Cuius operis dedicatio sit ignoratur. Annus est s. s.

514 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).

a. 290



0,040


Dedicata | XV kal(endas) Ma|ias | d(ominis) n(ostris) Dio|cletiano | IIII et Max|imiano II | cons(ulibus)

CIL VI 870 vv. 4—7. Litterae leviter tantum incisae vel scariphatae sunt.

---

515 Romae, tabula marmorea reperta trans Tiberim; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{9}$).

inter a. 284 et 305



0,062


D(omini) n(ostri) providentissimi imp(eratores) | Diocletianus et Maximianus | invicti Augusti ripam per seriem | temporum conlapsam ad pristinum | statum restituerunt per pedes CX | curante Manio Acilio Balbo | Sabino v(iro) c(larissimo) curat(ore) alvei Tiberis | riparum et cloacarum sacrae urbis

CIL VI 1242 v. 8.

---

516 Romae, ara marmorea cum anaglypho magnae matris; in villa Albania (c. $\frac{1}{5}$).

a. 295



0,030


M(atri) d(eum) m(agnae) I(daeae) et Attinis | L. Cornelius Scipio Or[f]itus | v(ir) c(larissimus) augur taurobolium | sive criobolium fecit | die IIII kal(endas) Mart(ias) | Tusco et Anullino co(n)s(ulibus)

CIL VI 505 vv. 1. 2 (inter v. 1 et 2 anaglyphum deae est). Consules sunt anni s. s. Scriptum est clare, sed errore manifesto, OREITVS.

---

517 Romae, ara marmorea cum anaglyphis instrumentorum ad deae magnae cultum pertinentium; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).

c. a. 295



0,020


0,023

M(atri) d(eum) m(agnae) et Attidi | L. Cornelius Scipio | Orfitus v(ir) c(larissimus) | augur ex voto | taurobolio sive | criobolio facto

CIL VI 506 vv. 2. 3. Quae punctis indicantur supplementa sunt recentia. Eodem fere tempore dicata ab homine eodem atque n. 516.

518 Romae, ara magna marmorea, cuius latera anaglyphis ornata sunt; in museo Parisino (c. $\frac{1}{6}$).

a. 305



0,044

M(atri) d(eum) m(agnae) I(daeae) | d(ominis) n(ostris) Constan|tio et Maximia|no nob(ilissimis) Caes(aribus) | V cons(ulibus) XVIII k(alendas) Mai(as) | Iulius Italicus | v(ir) c(larissimus) XV vir s(acris) f(aciundis) tauro|bolium percepi felic(iter)

CIL VI 497 vv. 6. 7.

---

519 Romae, ara marmorea cum anaglypho deae matris, sub quo titulus scriptus est; in museo Capitolino ($\frac{1}{4}$).




0,024

Matri deum m(agnae) et navi Salviae | [Salviae] voto suscepto | Claudia Synthyche | d(onum) d(edit)

CIL VI 492 vv. 1 et 3. V. 2 *Salviae* errore repetitum.

---

520 Romae, ara marmorea; in museo Veronensi (c. $\frac{1}{3}$).




0,018

Navi Salviae et | matri deu(m) d(onum) d(edit) | Claudia Synty|[che ......

CIL VI 493 vv. 1—3 soli servati.

---

521 Romae, tabula marmorea; servata apud Ioh. Bapt. de Rossi (c. $\frac{1}{6}$).



0,036

D(is) M(anibus) | C. Calpurnius Philokyrius v(ir) e(gregius) | et Septimia Ammias coniux | comparaverunt sibi memorias II | et C. Calpurnio Ammiano eq(uiti) R(omano) | filio suo et libertis libertabus|que posterisque eorum | armarium distegum cum ta|berna et hortulo; si quis hoc | armarium vendere voluerit, tunc infe|ret arcae pontificum HS (sestertium) L mil(ia) n(ummum)

CIL VI 1600 vv. 2. 3. *Philokyrius* forma graecanica; P ubique clausa est. Puto titulum esse saeculi tertii exeuntis.

522 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{3}$).




0,056

Hunc ypogeum quem fecit sibi | et suis [*quae*] *hic posita est Mummia | Isocratia coniunx inconparabilis | Aur(elius) Aelianus maritus bene menti* [sic] *fec(i)t*

Marini Arv. p. 266 v. 1. P littera clausa est; puncta plerumque omissa.

---

523 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{3}$).




0,045

Siquis ei arae sivae | saepulturae quam|doque Manes infer|rae voluerit, inferet | collegio pontificum | HS (sestertium) c(entum) m(ilia) n(ummum)

Fabretti p. 107, 253 vv. 1. 2.

---

524 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).



0,032

Tu ne vellis aliena membra | inquitare [*i*]*acentis, dolies | conparabit sibi, quod si no|cuer*[*i*]*s nocebe*r[*i*]*s ab alio*

Paciaudi monum. Peloponn. I p. 204 vv. 1. 2. I saepius errore quadratarii L litterae evasit simillima.

CAPVT SECVNDVM

MONVMENTA ITALICA

I

MONVMENTA LATII ET ETRVRIAE

Numero et perfectione hac quoque aetate inter suburbana excellunt monumenta Ostiensia. Exhibui annorum plus minusve certorum inde ab a. 193 fere ad a. 197 octo (n. 525—532); inter quae magnitudine et pulchritudine litterarum insignia sunt columnae titulus a Severo ipso a. 197 positae (n. 527) et fragmentum tituli sepulcralis litteris scripti eiusdem paene magnitudinis (n. 528). His accedit fragmentum basis magnae Severo positae Veiis, quod vidi in museo Lateranensi (Canina Veji p. 99). Magis etiam quam eiusdem aetatis urbana haec monumenta demonstrant, artem quidem lapidariam aetate illa nondum prorsus defecisse, sed tamen singulas litterarum formas, item rationem litterarum collocandarum, spatia inter singulas litteras observata aliquantum differre ab usu antiquiore. Comparentur v. c. tituli Vespasiani (supra n. 319), Nervae (supra n. 257), Traiani (supra n. 265); comparari cum iis praeterea possunt monumenta Ostiensia saeculi alterius extremi tertiique ineuntis (CIL XIV 112—114), quae simili scriptura utuntur atque ea quae proposui exempla. *Severi Alexandri* titulum a. 224 (CIL XIV 125) non vidi. Quae sequuntur monumenta item Ostiensia quinque aetatis minus certae quidem, sed certo tertio saeculo tribuenda (n. 533—537), exempla sunt elegantiae singularis, qua oppidi eius suburbani florentissimi quadratarii ne summae quidem dignitatis hominum titulos vel honorarios vel sepulcrales scalpere solebant ea aetate. Qui ultimo loco positus est (n. 537), aetatis fortasse Diocletianae, eius litterae ad pictarum formas proxime accedunt. Exempla praeterea scripturae latae et crassae, sed non inelegantis saeculi tertii medii exeuntisque, quae monumentis Ostiensibus paene peculiaris videtur esse, haec sunt a me visa tabulae Mithriacae *A. Decimii Decimiani* (CIL XIV 60 61), monumenta sepulcrale *Clodii Lucrionis seviri Augustalis* (CIL XIV 331), honorarium *P. Horatii Chryserotis* item *seviri Augustalis* a. 182 (CIL XIV 367) — litterae amborum versu primo altae sunt 0,085 —, sepulcrale anaglyphis ornatum *L. Valerii L. fil(ii) Fyrmi* [sic] *sacerdotis Isidis Ostens(is) et m(atris) d(eum) trastib(erinae)* (CIL XIV 429).

Sequuntur monumenta oppidorum Latinorum varia (n. 538—541); quorum primum Capenas *Pertinacis* a. 193 quanquam minus eleganter scriptum est, tamen vetustioris consuetudinis adhuc servat vestigia (n. 538). Pisis in campo sancto extat titulus mutilus *Iuliae Augustae* scriptus litteris magnis (altae sunt versu primo 0,075) et bonis (CIL XI 1427); bonisque item sed minoribus (altis versu primo 0,042) scriptus est Veientanus *Caesiae Sabinae* (Orell. 3738) c. a. 256 positus, quem vidi in museo Lateranensi (cf. tituli Orell. 108 3448 3706 3737). Contra sarcophagus musei Vaticani notus *Sex. Varii Marcelli*, hominis clari, bilinguis, Velitris huc delatus, cuius propono exemplum (n. 539), multo minus accurate sculptus est, quam expectaveris. Insigne scripturae eius aetatis non bonae exemplum est basis mutila Falisca musei Lateranensis (edita apud Garruccium *dissert. archeol.* I p. 45). Maioribus litteris neque malis, sed tamen exilibus et minus profunde incisis scriptus est Tusculanus *Antalcidis Augustorum liberti* in museo Neapolitano servatus (IN 6926). Aliquanto rarius eadem aetate scribendi genus exile et altum est, quo utitur titulus Nomentanus in villa Borghesia servatus (n. 540); ei non dissimilis est urbanus musei Florentini ita inscriptus *Paramuthi Traiano* e. q. s., in quo E formam hanc habet II (Murat. 1552, 13; vide supra p. 169 extr.). Originis mihi ignotae titulus *L(icinii) Balerii* rustice conceptus (n. 541) potest tam tertii saeculi esse quam quarti; conferatur cum eo inter alios titulos similes urbanus *Flabii Cryserotis* in museo Neapolitano servatus (CIL VI 10104).

In fine paragraphi posui seriem monumentorum oppidi ignoti (n. 542) et Castronovanorum (n. 543—545), quae quam mala scriptura coloniae eius cives contenti fuisse videantur ad bases imperatoribus positas inscribendas demonstrant. Praeter *Severo Alexandro* positam (n. 542) reliquae publice positae sunt; scribendi autem genere utuntur *Gallieno* posita ex picto, ut videtur, exemplo profecta (n. 543), pessimo vulgari *Aureliani* (n. 544), non minus malo et inaequali *Numeriani*, quae sermonis quoque vitiis cum tali scriptura coniungi solitis non caret (n. 545).

Monumenta saeculi tertii exeuntis ex regionibus illis pauca mihi innotuerunt. *Carini* basim Ostiensem (CIL XIV 126) vidi, sed repraesentare non potui; *Maximiani* indidem, ut videtur, proveniens (CIL XIV 130) periit; *Diocletiani* Ostiensem item, non urbanam (CIL XIV 128 = CIL VI 1116), quae extat in villa Borghesia, non habui charta expressam.

525 Ostiae, basis marmorea; in museo Lateranensi (c. $\frac{1}{14}$).

inter a. 193 et 196



0,070
0,082
0,055

M. Aurelio | *Antonino* | *Caes(ari) imp(eratori)*, | *L. Septimi Severi Pii* | *Pertinacis Aug(usti)* | *Arabici Adiabenici* | *p(atris) p(atriae) fil(io)*

CIL XIV 121 (CIL VI 1050) vv. 1—3.

526 Ostiae, basis magna; in museo Lateranensi (c. $\frac{1}{14}$).

c. a. 200



0,113
0,063


Iuliae | *Aug(ustae)* | *matri castrorum*

CIL XIV 120 (CIL VI 1049) vv. 1. 2.

Urbanos non esse titulos hosce sola litterarum forma ductus suspicatus eram priusquam discerem Ostiae repertos esse.

527 Ostiae, basis marmorea; in museo Lateranensi ($\frac{1}{5}$).

a. 196




0,100
0,075

[Imp(erator) Caesar] d[ivi | *M. Antoni]ni Pii Germani[ci* | *Sarmati]ci filius, divi* | *[C]ommodi frater,* | *divi Antonini Pii nepos, divi Hadriani* | *pronepos, divi Traiani Parthici* | *abnepos, divi Nervae adnepos,* | *L. Septimius Severus* | *Pius Pertinax Aug(ustus)* | *Arabicus Adiabenicus, p(ontifex) m(aximus),* | *tr(ibunicia) pot(estate) IIII, imp(erator) VIII, co(n)s(ul) II, p(ater)* [*p(atriae)*] *columnam vii* [sic] *tempest[atis]* | *confractam restitui[t]*

CIL XIV 113 vv. 8. 9. Punctum post *Pertinax* in meo ectypo non apparuit, sed puto in lapide esse.

528 Ostiae, fragmentum tabulae marmoreae magnae (altae 0,28, latae 2,18) cum anaglypho Europae tauro insidentis; in museo Lateranensi ($\frac{1}{10}$).




0,180

Quirina

Benndorf et Schoene *die antiken Bildwerke des lateranensischen Museums* p. 374 n. 531.
Praeter hoc tribus vocabulum supersunt haec ... *ae eius*. Nomina erant dedicantis tribu *Quirina* et [*fili*]*ae eius*.

529 In Portu Romano, tabula marmorea; in museo Vaticano (1/6).

inter a. 193 et 211




0,052 0,035 0,044 0,038 0,033

Pro [salute] | im[p(eratoris)] Caes(aris) | Aug(usti) | nostri | L. Septimi Severi Pertinacis | Herculi numini | sancto | cum basi marmorata | acceptatoribus | et terraris C. Sentius | Portesis | s(ua) p(ecunia) d(onum) d(edit)

CIL XIV 16 vv. 4—8.

530 Ostiae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (1/5).

c. a. 195



0,032 0,026 0,024 0,020

Pro salute et | reditu imp(eratoris) Anto|nini Aug(usti), Faustinae | Aug(ustae) liberorumque | eorum aram sanctae | I(si)di, numini Sarapis, | sancto Silvano, Larib(us) | C. Pomponius | Turpilianus | proc(urator) ad oleum in Galbae | Ostiae portus utriusque d(onum) d(edit)

CIL XIV 20 vv. 1—6.

---

531 Ostiae, basis marmorea; in museo Neapolitano (1/4).

a. 195



0,019

In fronte: *P. Martio Quir(ina) Philippo | curatori viae Praenestinae, | aedilicio curuli V, q(uaestori) ab aerario, | tribuno fabrum navalium Portens(ium) | corpus fabrum navalium | Ostiens(ium), quibus ex s(enatus) c(onsulto) coire licet, patrono optimo | s(ua) p(ecunia) p(osuit)*


In latere sinistro: *dedicata III idus Apriles | Scapula Tertullo et Tineio Clemente co(n)s(ulibus) | cura(m) agentibus Calocaero lib(erto) | et C. Vettio Optato M. Clodio Minervale q(uin)q(uennalibus) p(er)p(etuis)*

CIL XIV 169 lateris tituli v. 2. Consules sunt anni s. s.

---

532 Ostiae, puteal rotundum marmoreum; in museo Vaticano (1/5).

a. 197




0,030 0,022 0,020

Hic puteus factus omni sumptu | monitu sanctissimae Cereris et Nympharum | C. Caecili Onesimi | patro(ni) et q(uin)q(uennalis) p(er)p(etui) c(orporis) m(ensorum) adiutor(um) | et L. Hortensi Galli q(uin)q(uennalis) nauticariorum | et N. Treboni Eutychetis | q(uin)q(uennalis) II acceptorum, | ded(icatus) X k(alendas) Sept(embres) Laterano et Rufino | co(n)s(ulibus)

CIL XIV 2 vv. 3. 4 et 8. 9.

533 Ostiae, tabula marmorea (sed fortasse ex cippo desecta); in museo Vaticano (1/8).




0,065
0,088
0,037
0,062

P. Bassilio P. f(ilio) | Crescenti, | trib(uno) coh(ortis) I Germ(anorum), | proc(uratori) ludi matutini, | pro-c(uratori) annonae Aug(ustae) Ostis, | C. Vettius Mercurius corn(icularius) | eius ob dedicat(ionem) statuae sportul(as) | numero s(upra) s(cripto) viritim dedit; | numerus caligatorum decuriar(um) XVI | colleg(io) fabrum | tignuar(iorum) Ostis; | cura(m) agentib(us) Q. Turranio | Hermogenen [sic], *M. Octavio | Asclepiodot(o), Q. Tullio Vita|lione mag(istris) q(uin)q(uennalibus) lustr(i) XXXIII*

CIL XIV 160 vv. 1—4 et 10. 11. Litterae videntur esse saeculi tertii ineuntis.

---

534 Ostiae, basis magna marmorea; in museo Lateranensi (1/8).




0,100
0,074
0,084
0,044
0,040
0,034
0,026

Cn. Statilius | Crescens | Crescentianus | VI vir Aug(ustalis), q(uin)q(uennalis) et curat(or) ordin(is) | Augustal(ium) et VI vir Aug(ustalis) Tusculis | fecit sibi et Statiliae Atalante coniug(i) | et lib(ertis) libert(abus) post(erisque) eor(um); in f(ronte) p(edes) XXI, in a(gro) p(edes) XXXII

CIL XIV 421 integra. Eiusdem fere aetatis videtur esse atque n. 533 vel paullo vetustior.

535 Ostiae, tabula magna marmorea cum anaglyphis; in museo Lateranensi (1/8).



0,075 0,045 0,052 0,022


T. Flavio T. f(ilio) Pal(atina) Vero, | *equiti Romano, aedem fecit* | *Vibussia L. f(ilia) Sabina mater,* | *quae iubet se quandone in ea aede poni et Gn(aeum) Ostiense(m) Hermete(m)* | *maritum suum, neque heres meus neque heredive meor(um) neque* | *cuiquam licevit in ea aede ponere neque corpus neque ossa; quod* | *siquis adversus ea fecerit inferet aerario p(opuli) R(omani) HS (sestertium) L m(ilia) n(ummum), item rei pub(licae)* | *Ost(iensi) HS (sestertium) L m(ilia) n(ummum): is autem qui detulerit accipere debebit sum(mae) s(upra) s(criptae) quartas. Ypogaeu(m) et cetera libertis libertab(us)q(ue) meis post(erisque) eor(um). Hic monimentus exteru(m) herede(m) non sequetur, set nec donatione(m) facere [licet]. In f(ronte) p(edes) XXVI, in a(gro) p(edes) XXXV*

CIL XIV 166 vv. 1—4; C. L. Visconti *annali dell' inst.* 1857 p. 305 qui anaglyphi artem et tituli sermonem formamque aetati Severi et Caracallae convenire dicit; Benndorf et Schoene *die antiken Bildwerke des lateranensischen Museums* p. 382, 545.

Puto aetatis esse Severi et Caracallae; cui opinioni non obstat sermonis barbaries.

---

536 Ostiae (quamvis Romae reperta), tabula marmorea; in museo Vaticano (1/8).




0,036 0,018

Post nomina Q. Veturii, ut videtur, Socratis et honores eius sequuntur *huic* [*ordo* | *Augustalium statu*]*am decrevit* e. q. s. *isque hono*[*re statuae accepto*] *HS (sestertium) L m(ilia) n(ummum) arcae eorum* [*intulit*] | *excepta stipulatione* quae sequitur, *posque* [sic] | *Veturia Q. f(ilia) Rufina et* | *Q. Veturius Q. f(ilius) Fel(ix) Socrates* | *dec(urio) Laurent(ium) vic(o) Aug(ustanorum) et dec(urio) Ost(iensium) sumptum statuae* | *ordini remiserunt, ob cuius dedicationem dedit* | *sportulas decurionib(us) X (denarios) III et Augustalibus X (denarios) V;* | *curante Q. Veturio Felicissimo lib(erto)* | *sevir(o) Aug(ustali) q(uin)q(uennali) et curatore ordinis eiusdem*

CIL XIV 431 vv. 13—15. Aetas monumenti comparatis titulis aliis Ostiensibus annorum 239 et 251 saeculum tertium fere medium est. Litterae minores actuariis similes sunt.

---

537 Ostiae, ut videtur, tabula marmorea; in museo Vaticano (1/8).



0,055 0,052 0,046

.... *praef(ectorum) prae*[*torio*] | *codicari nav*[*iculari*] | *infra pontem s*[*ublicium*] | *foti auxil*[*io eius*] | *patrono p*[....] | ....

CIL XIV 185 (= CIL VI 1639) vv. 2—4. Litterae mihi visae sunt saeculi tertii exeuntis esse; cf. supra n. 515.

538 Capenae, basis marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{5}$).

a. 193



0,038
0,034

In fronte: *Imp(eratori) Caes(ari) P. Helvio | Pertinaci Aug(usto) | co(n)s(uli) II, pontifici | maximo, trib(unicia) pot(estate), | p(atri) p(atriae) principi sev(erissimo) | fortissimo duci | et omnium vir|tu(t)um principi | Capenates foeder(ati) proc(urante) L. Licinio Speran|do*


In latere dextro: *dedicata XIIII kal(endas) Apri|lis cur(antibus) P. Scatilio Prospe|cto [. . . .] Mu|cio Muciano, Falcone et | Claro co(n)s(ulibus)*

Orell. 896 vv. 1—3. Consules in latere indicati sunt anni s. s. V. 3 post COS in ectypo saltem meo punctum non cernitur.

---

539 Velitris, sarcophagus marmoreus; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).

c. a. 215




0,047
0,035
0,057
0,035

Sex. Vario Marcello | proc(uratori) aquar(um) c(entenario), proc(uratori) prov(inciae) Brit(anniae) CC (ducenario), proc(uratori) rationis | privat(ae) CCC (trecenario), vice praef(ectorum) pr(aetorii) et urbi functo, | vice praef(ecti) aerari militaris leg(ionis) III Aug(ustae), | praesidi provinc(iae) Numidiae | Iulia Soaemias Bassiana c(larissima) f(emina) cum filiis | marito et patri amantissimo

CIL X 6569 vv. 1. 2 tituli Latini; Graecum non adscripsi.
Pater Elagabali videtur diem obiisse circiter anno s. s. V. 2 A litterae pedes casu in unum coaluerunt; P videtur ubique clausa esse.

---

540 Nomenti, cippus marmoreus; in villa Borghesia (c. $\frac{1}{6}$).




0,040

D(is) M(anibus) | Cl(audio) Felici bene | merenti Messal|la Rutilianus | heres fecit

Ineditus; vv. 3. 4.

541 Originis, ut videtur, suburbanae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{6}$).



0,035


0,030

Sommno aeternali [s(acrum?)] | L(icinius?) Balerius se bibus conce[s]|sit se vibo L. Caecilio Victori cob . . . (?) | sibi et Sulpiciae Crysidi qui et Bas[. . .] | qui vixit annis XXVIII m(ensibus) III d(iebus) IIII; | sibi et suis libertis libertabus|que pos(terisque) eo(rum); | tu qui leges et non ho|raberis erit tibi deus testimonio

Inedita; vv. 1. 2. Observa A litterae formam linea transversali angulata.

542 Ex municipio aliquo suburbano mihi ignoto, basis marmorea; in museo Lateranensi ($\frac{1}{5}$).

inter a. 222 et 235




0,030-0,035

Pro salute | imp(eratoris) Caes(aris) | M. Aur(elii) | Se(veri) Al(e)x(andri) | Pii Fel(icis) | Aug(usti) et | Iul(iae) Ma|meae ma|tris Aug(usti) n(ostri) | et castr(orum) | ab Aur(elio) | Silvano | trib(uno) | d(onum) d(atum)

Inedita, ut videtur; vv. 1—6.

543 Castronovi, basis ex lapide calcareo; in museo Vaticano ($\frac{1}{5}$).

inter a. 260 et 268




0,030

Imp(eratori) Caes(ari) P. Licinio | Gallieno Pio Felici | Aug(usto) | col(onia) Iulia Castro | Novo devota | numini maiestatiq(ue) eius d(onum) d(edit)

Henzen 5543 vv. 1—3.

544 Castronovi, basis ex lapide calcareo; in museo Vaticano ($\frac{1}{5}$).

inter a. 270 et 275



0,030 - 0,045


Imp(eratori) Caes(ari) L. | Domitio Au|reliano Pio Feli|ci Aug(usto), p(atri) p(atriae), con|suli Castrono|vani ex d(ecreto) d(ecurionum) p(osuerunt)

Henzen 5550 vv. 1—5.

---

545 Castronovi, basis ex lapide calcareo; in museo Vaticano ($\frac{1}{5}$).

inter a. 282 et 284



0,030 - 0,035

Imp(eratori) Caes(a)ri M. Aure|lio N[umer]iano | Pio Felici invic|to Aug(usto), p(atri) p(atriae), cosu|li, tribuniciae | potestati(s) | Castronovani d(ecreto) d(ecurionum) p(osuerunt)

Henzen 5559 vv. 1—6.

II

MONVMENTA ITALIAE INFERIORIS

Frequentissima sunt in regionis huius oppidis monumenta Severi et domus eius, ut supra iam dixi. Servata sunt, ut temporum ordine enumerem praecipua, fragmentum basis *Severo* positae a. 195 Aecanum (CIL IX 950), eiusdem anni basis Saepinas (CIL IX 2444), *Severi et Iuliae Augustae et filiorum* bases quinque Panormitanae annis 195 ad 199 positae (CIL X 7271—7275); a. 196 bases *Severi* Campana (CIL X 3834), Puteolanae *Severi et M. Antonini* filii eius sive *Caracallae* servatae illae in museo Neapolitano (CIL X 1650 1651; scriptae sunt litteris optimis, sed minus alte incisis); a. 197 et 198 in Thermis Himeraeis Siciliae repertae (CIL X 7276 7343) et Formiana (CIL X 6079); a. 200 bases *Severi et Caracallae* Atinas (CIL X 5052) et *Severi* solius Casinas (CIL X 5173); a. 207 tabula magna *Severi et Caracallae* Anagnina (CIL X 5909); a. 208 ad 211 eorundem Telesina (CIL IX 2204); a. 210 eorundem columna miliaria viae Traianae (CIL IX 6011). Extant deinde *Getae* tituli duo nomine eius, ut fere ubique, eraso Curensis (CIL IX 4959) et Anconitanus (CIL IX 5895); *Caracallae* columna miliaria viae Appiae a. 214 (CIL IX 5994); *Iuliae Augustae* basis Trebulana (CIL IX 4880); *Fulviae Plautillae* bases duae Curensis, quam vidi in museo Vaticano scriptam litteris ad pictarum formas prope accedentibus (CIL IX 4958), et Soluntina (CIL X 7336). Paucorum tantum ectypa obtinui; e quibus exhibui exempla duo Puteolanum a. 196 publice positum et litteris magnis scriptum, quod quatenus vetusta scripturae pulchritudo etiamtum servata manserit, quatenus mutata sit in deterius optime demonstrat (n. 546), et Beneventanum a. 201 columnae miliariae, quae quamvis scripta litteris minoribus in lapide asperiore, tamen et ipsa satis eleganter incisa est (n. 547). In titulis privati argumenti, veluti in Antiate *M. Aquilii Felicis* eius, qui a. 193 procurator operum publicorum fuerat, servato illo in museo Vaticano (CIL X 6657), in Aufidenate sacro a. 195 (CIL IX 2795), in Allifano sepulcrali *Aciliae M'. f(iliae) Manliolae c(larissimae) f(eminae)* a. 210 (CIL IX 2333), in Aveiate *Mithriaco* a. 213 (CIL IX 3608) scriptura variat potissimum secundum magnitudinem litterarum: Antiatis supra scripti gracilis et pulchra est, reliquorum crassa et minus elegans. Exemplum exhibui scripturae satis bonae, quamvis non magnae, Beneventanum a. 208 (n. 548) et aliquanto elegantius Curense a. 215, quod scripturam habet pictae similem (n. 549).

Elagabali in regionibus illis una superest basis non magna prope Forum Novum, quam paucis videre contigit (CIL IX 4853); paullo plures extant *Severi Alexandri* tituli, ut Puteolanus litteris bonis et magnis scriptus (versu primo altis 0,110), quem vidi in museo Neapolitano (CIL X 1652), item bases Panormitana *Alexandri* a. 223 (CIL X 7279) et Tyndaritana *Iuliae Mamaeae* (CIL X 7478). Eiusdem deinde aetatis habemus titulos honorarios virorum clarorum Campanos *L. Fulvii Gavii Numisii Petronii Aemiliani* (CIL X 3856) et *L. Ti.* [sic] *Claud(ii) Aurel(ii) Quintiani* consulis a. 235 (CIL X 3850), Ardeatem *L. Marii Maximi Perpetui Aureliani* scriptoris historici servatum Romae in museo Kircheriano, ubi vidi (CIL X 6764): scriptus est litteris non bonis. Nec meliores puto esse in ara *taurobolii* Beneventana a. 228 (CIL IX 1539) et in titulo *Silvani* rupi inciso a. 236 prope Vitolanum (CIL IX 2125).

Satis frequentia non in urbe tantum, ut supra observavimus, sed in omnibus fere orbis Romani regionibus monumenta sunt aetatis Gordianorum. Extant adhuc Rubis basis *Gordiano* posita a. 239 (CIL IX 312), *coniugis* eius a. 240 apud Marsos Antini (CIL IX 3833), amborum apud Ligures Baebianos (CIL IX 1457 1458); accedunt *ara taurobolii* a. 241 posita Formiana servata in museo Vaticano, ubi vidi (CIL X 6075), basis Trebulana *Aureliae Crescentiae honestissime et pudicissime femine* a. 243 (CIL IX 4894), *dedicatio* a. 249 inscripta basi postea Maximino Caesari positae Herdoniae (CIL IX 687). Unum exemplum esse volui scripturae eius aetatis non malae, sed inaequalis (ut docent tituli iidem repetiti in quattuor eius lateribus ubique diverse) aram *Dei Magni* Misenensem (n. 550).


Philipporum et *Decii* nulla praesto sunt exempla; *Galli* unum Albense, quod non vidi (CIL IX 3916) araque *Silvani* a. 252 dedicata prope Vitolanum (CIL IX 2126). *Valeriani* et *Gallieni* regnum paullo longius monumenta quoque paullo plura protulit adhuc servata, velut titulum Aletrinatem *Gallieni* scriptum 'litteris minoribus et elegantioribus' (quam reliqui qui in eadem basi extant tituli Diocletiani et Maximiani), sed postea abrasum (CIL X 5804), Terventinatem (CIL IX 2589), basim magnam eidem a. 265 positam Beneventi (CIL IX 1559), eiusdem anni Teanensem (CIL X 4784), *Saloninae* Curensem, cuius ectypum vidi (CIL IX 4961), fragmentum *Valeriani iunioris* Falerionense (CIL IX 5432), bases Cingulanas divi *Valeriani* Caesaris et *Salonini* (CIL IX 5682 5683): sed nullum titulorum eorum exhibere potui. *Divi Claudii* (Gothici puto) Panhormi in museo titulus extat scriptus 'litteris aetatis sequioris' (CIL X 7281); *Aureliani* Septempedae (CIL IX 5577), *Probi* Volturni repertus et servatus in museo Campano (CIL X 3728), *Numeriani* Saepini (CIL IX 2445). Atque hi quidem tituli certae omnes aetatis sunt; minus certae, sed probabiliter saeculo tertio medio exeuntive tribuendi, quos praeterea memoro, Neapolitanus *L. Munatii Concessiani v(iri) p(erfectissimi)* cet. in museo Neapolitano servatus (CIL X 1492), ibidemque servati Misenensis *T. Fl(avii) Aviti Forensis*, qui scriptus est litteris altis 0,070 ad 0,050 (CIL X 3678), Suessulanus *L. Pompeii Felicissimi* (CIL X 3764), Formianus *Fulviae Augurinianae c(larissimae) f(eminae)*, scriptus litteris altis 0,095 ad 0,045 (CIL X 6084), Beneventanus *M. Caecilii Novatilliani c(larissimi) v(iri) oratoris et poetae illustris* (CIL IX 1572), quocum conferendus est eiusdem viri titulus Tarraconensis (CIL II 4113), *Neratiorum* aliquot tituli Saepinates (CIL IX 2451 2452 2453), Amiterninus, quo *L. Iulius Pompilius Betulenus Apronianus c(larissimus) i(uvenis) balneas Amiterninis patriae suae dedit* (CIL IX 4196), itemque Amiterninus paullo illo vetustior *C. Sallii C. f(ilii) Quir(ina) Proculi splendidissimi viri* (CIL IX 4206) eique aetate suppar Antias satis notus in museo Capitolino servatus viri alicuius illustris, cuius nomen periit, *consiliarii* inter alios honores *Augusti, sacerdotis confarreationum et diffarreationum* . .

iuris periti (CIL IX 6662). Eiusdem praeterea aetatis similisque, nisi fallor, scripturae sunt *ara criobolii* Teatina (CIL IX 3015), cippus terminalis in Castro novo Piceni repertus inscriptus *publicum Interamnitum vectigal balnearum* (CIL IX 5144). Satis elegans scripturae magnae et alte incisae exemplum praebet titulus Campanus ita inscriptus: *te tibi* | *una quae* | *es omnia* | *dea Isis* | *Arrius Bal|binus v(ir) c(larissimus)*, quem vidi in museo Neapolitano (CIL X 3800). Tituli illi reliqui qualem exhibeant litteraturam singillatim repraesentare vix visum est operae pretium esse; continui me in exemplo uno Falerionensi, quod peculiarem eius aetatis in scribendis litteris elegantiam demonstrat (n. 551).

Saeculi tertii extremi unum addidi monumentum *Carini* Puteolanum (n. 552) optime scriptum. Atque bonis quoque litteris scripta est *Diocletiani* basis Misenensis musei Neapolitani (CIL X 3343); satis malis *Constantii* titulus Curensis nominibus pravis insignis, quem vidi in museo Vaticano (CIL IX 4962). *Diocletiani* autem et *Maximiani* monumentum Aletrinas supra iam memoratum (CIL X 5803), *Diocletiani* solius Panhormitanum (CIL X 7282), *Maximiani* Amiterninum (CIL IX 4516), amborum *columnam miliariam* viae Herculiae (CIL IX 4516), *Constantii* monumentum Septempedanum (CIL IX 5579), eiusdem Teanense (CIL X 4785), *Maximini* Caesaris Herdoniense (CIL IX 687) et Panhormitanum (CIL X 7283), quae praeterea in regione supra scripta et emporibus illis supersunt, nec vidi neque obtinui charta expressa.

546 Puteolis, basis marmorea; Neapoli in museo (1/3).

a. 196



0,130

0,080

Imp(eratori) Caesari | *L. Septimio Severo* | *Pio Pertinaci Aug(usto)* | *Arabic(o) Adiabenic(o), p(atri) p(atriae),* | *pontif(ici) max(imo), tribunic(ia)* | *potest(ate) IIII, imp(eratori) VIII, co(n)s(uli) II,* | *pro co(n)s(uli)* cet. *colonia Fl(avia) Au[g(usta)] Puteol(i)*

CIL X 1650 vv. 1—3.

547 Columna miliaria viae Appiae Capua Beneventum; extat Neapoli in museo (1/5).

a. 201



0,035

0,022

Imp(erator) Caes(ar) L. Septimius | *Severus Pius Pertinax* | *Aug(ustus) Arabic(us) Adiabenic(us) Parthic(us) maxim(us), pontif(ex)* | *maximus, trib(unicia) potest(ate) VIIII,* | *imp(erator) XI, co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae), desig(natus) III, pro co(n)s(ule)* — sequuntur nomina Caracallae et Getae, hoc erasum — *murum ad defension(em) viae vetustate con|labsum restituerunt*

CIL X 6908 (= IX 5980) vv. 14. 15.

548 Beneventi, tabula marmorea; servatur ibi in lyceo ($\frac{1}{6}$).

a. 208



0,036


. . . . | *c(larissimus) v(ir) natus IIII idus Mart(ias)* | *Annio Largo Prastin[a Mes]*||*sallino co(n)s(ulibus), vita funct[us V]* | *idus April(es) imp(eratore) Antonin[o Aug(usto)]* | *III et Geta nobiliss(imo) Caes(are) II* | *co(n)s(ulibus), ann(os) LXI dies XXVIII* | *mortuus, vixit ex mens[e Oct(obri)]* | *imp(eratoribus) Septimio Severo [III et M.]* | *Antonino co(n)s(ulibus) annis [V men]*||*sibus VI, adlectus [est inter]* | *praetorios a div[o Commodo* . . . .

CIL IX 1573 vv. 3. 4.

---

549 Curibus (*agli Arci*), tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).

a. 215



0,060

0,048

Dedic(ata) VII kal(endas) Octobr(es) | *Maecio Laeto II et Sulla Ceriale co(n)s(ulibus) per* | *c(uratorem) r(ei) p(ublicae) L. Egnatio Marciano* [sic], | *IIII viris* | *Q. Vedio Sabiniano et* | *P. Satreno Primo*

CIL IX 4972 vv. 1. 2. V. 2 in *Ceriale* E littera altera caret linea media transversa. Nomina quattuorvirorum duo in fine addita sunt ab alia manu. Consules sunt anni s. s.

---

550 Miseni (Cumis), ara magna marmorea, in cuius quattuor lateribus idem titulus legitur; Neapoli in museo ($\frac{1}{8}$).


a. 238-244

a



0,092

b




0,088

Deo | *Magno* | *et Fato* | *bono* | *Val(erius) Valens* | *v(ir) p(erfectissimus) praefect(us) classis Mis(enensis) p(iae) v(indicis) Gordianae votum solvit;* sequitur epigramma Graecum

CIL X 3336 vv. 1—4. Iuxta posui duorum laterum titulos, ut appareret quatenus differrent quamvis eodem tempore incisi.

551 Falerione, tabula magna marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{8}$).



0,055
0,040
0,034
0,030
0,055
0,050
0,040


T. Cornasidio | T. f(ilio) Fab(ia) Sabino, e(gregiae) m(emoriae) v(iro), | proc(uratori) Aug(usti) Daciae Apulensis, proc(uratori) | Alpium Atractianar(um) et Poeninar(um) | iur(e) gladii, subpraef(ecto) class(is) pr(aetoriae) Raven(natis), | praef(ecto) alae veter(anae) Gallor(um), trib(uno) leg(ionis) II | Aug(ustae), praef(ecto) coh(ortis) I Mont(anorum) p(iae) c(onstantis)?, aug(uri) | Laur(entium) Lavin(atium), aed(ili), duumvir(o) q(uin)q(uennali), q(uaestori) p(ecuniae) p(ublicae) | collegia | fabrum centon(ariorum) dendrophor(orum) | in honorem | T. Cornasidi | Vesenni Clementis | fili eius equo publ(ico) Laur(entium) | Lavin(atium), patroni plebis et col|legiorum, qui ab ipsis oblatum | sibi honorem statuae in | patris sui nomen memo|riamque transmisit

CIL IX 5439 vv. 1—5 et 12—14. Titulum saeculi esse tertii fere medii probabile est; A et L formae praeterea in titulis Hispanis et Africanis frequentes sunt.

---

552 Puteolis, basis marmorea, 'litterae multo pulchriores sunt, quam in titulis huius aetatis esse solent'; Neapoli in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 282/83



0,052

Fortissimo et piissimo | principi suo | M. Aurelio Carino | Rufius Volusianus v(ir) c(larissimus) eorum iudicio beatissimus iterum corrector

CIL X 1655 vv. 1—3.

III

MONVMENTA ITALIAE SVPERIORIS

E monumentis saeculi tertii, quae in regionibus supra scriptis servata sunt, selegi, ut consentaneum est, ea, quae scripturae perfectione et elegantia praestant, ut quid aetas illa in litteris sculpendis praestitisset inde intellegeretur; scripturae deterioris ibi quoque non rara esse exempla non est quod hoc loco demonstretur.


Aetatis Severianae propono titulum *Caracallae* Mediolaniensem (n. 553) — nam Comensem eidem a. 197 positum (CIL V 5259) non vidi — et *Nummii Albini* Brixianum (n. 554): non minus eleganter quam hic sculptus est *M. Nonii M. f(ilii) Fab(ia) Arrii Paulini Apri c(larissimi) v(iri)* aetatis fere eiusdem (CIL V 4341). Tabulam *Severo* a. 195 positam Parmensem (CIL XI 1174), quam vidi, fragmentumque basis filiorum eius Foroliviense (CIL XI 596) omisi. Paullo minus accurate, sed tamen minime male incisa est *ara Mercurii* Mantuana a. 208 (n. 555), cui similis est basis *Caracallae* Polensis a. 213 (n. 556). Litteris aliquanto altioribus et gracilioribus, sed item non malis, scripta est basis honoraria Polensis a. 227 (n. 557). Basim *Alexandri* Comensem (CIL V 5260), tabulam Parmensem *Iuliae Mamaeae* (CIL XI 1175), miliaria *Maximini* Aquileiense (CIL V 7989) et Segusionense (CIL V 8076), fragmentum tabulae *Maximi Caesaris* item Parmense (CIL XI 1176) non vidi; vidi aram *Iovis conservatoris* Veronensem, quam posuit *P. Pomponius Cornelianus, curator rerum publicarum*, consul fortasse a. 237, servatam ibi in museo (CIL V 3254) atque litteraturam aetati illi convenire iudicavi. Interdum antiquiorem scribendi usum illa quoque aetate servatum esse inter alios titulus docet Tergestinus *L. Seugoni Agrippini* evocati ex cohorte praetoria aetate *Severi Alexandri* (CIL V 543), in quo P litterae prorsus apertae sunt.

Ad alteram saeculi tertii partem pertinent *Gordiani* basis Vicetina (n. 558); ea et ipsa probat quae de titulorum in honorem eius imperatoris incisorum perfectione supra dicta sunt. Non vidi programma muneris gladiatorii, ex indulgentia *d(omini) n(ostri) M. Antonii Gordiani* edendi, lapidi incisum Bergomi (CIL V 5124). Bonis item litteris et magnis scripta est basis *Saloninae* Aquileiensis ibi in museo Cassis servata (CIL V 857), cuius ectypum habeo. Quae Feltriae extat basis *Decio* publice posita a. 250 (CIL V 2068), eius ectypum non obtinui; miliaria eiusdem imperatoris Veronensia, in quibus nomen bis *Deccius* scribitur (CIL V 8023 8028) non curavi. Quam exhibui basim eiusdem Eporediensem, ea litteris est scripta multo quam Gordiani Vicetina deterioribus (n. 559). Imperii quamvis brevis *Galli et filii* memoria extat praeclara portae Martiae Perusinae inscriptio a Borghesio optime illustrata (op. vol. V p. 257 ss.): composui eam cum altera arcus viae veteris, quae nunc dicitur, inscriptione fortasse coaeva (n. 560). *Valeriani et Gallieni* tabula magna Mutinensis (n. 561) scripta est litteris aevo Traiani omnino dignis: praeter argumentum inaequalitates tantum quaedam levissimae interpunctionis et compendiorum et litterae aliquot reliquis altiores aetatem arguunt. Inter praecipua aetatis Gallieni monumenta praeterea numeranda est celeberrima portae Veronensis *de' Borsari* inscriptio, sculpta litteris magnis olim aere expletis, quae quamvis in litura tituli antiquioris repositae formis utuntur pro aetate illa optimis incisaeque sunt accurate (CIL V 3329); sed titulus in alto positus et ex parte male habitus neque ectypo exprimi neque ex imaginibus photographis nimis exiguis repraesentari potuit. Qui extat *Claudii* Benacensis (CIL V 4869), eum non vidi. *Aureliani* deinde titulus Brixiae in foro publico prostans (CIL V 4319) male habitus est; *Ulpiae Severinae* uxoris eius titulus Veronensis (CIL V 3330) eisdem fere sculptus est litterarum formis non bonis atque Polensis, quem exhibeo (n. 562).

Saeculi tertii exeuntis pauca tantum servata sunt in regionibus illis monumenta. Vidi bases *Numeriani* et *Carini* Mutinenses (CIL XI 827 828), columnas aliquot miliarias *Diocletiani* Veronenses (CIL V 8016 8038 8047) et Laudensem (CIL V 8057), *Maximiani* basim Patavinam (CIL V 2818) et columnam miliariam Brixianam (CIL V 8042). Exhibui columnam *Maximiani* Polensem satis male sculptam, sed propter L litterae formam ei aetati peculiarem memorandam (n. 563).

Ex magno numero monumentorum, quae probabiliter, sed indiciis certis nullis, tertio saeculo tribuuntur, duo tantum selegi, basim Ticinensem propter litteras ex parte tantum sculptas, ex parte pictas memorabilem (n. 564) et Veronensem propter numerum et artificium litterarum ligatarum insignem (n. 565). Scripturae gracilis ad pictam accedentis eius aetatis praeterea exemplum praebet titulus Taurinensis *Caeciliae Aelianae civis Pollentinae* (CIL V 7045); eiusque scribendi generis non pauca praeterea exempla extant tam huius quam aetatis proxime insequentis.

553 Mediolanii, basis marmorea; in museo Brerae ($\frac{1}{10}$).



0,070


0,060

Imp(eratori) Cae[s(ari)] | M. Aurel[io] Antonin[o] | Aug(usto), | imp(eratoris) Caes(aris) L. S[ep]|timi Seve[ri] | Pii Pertina[cis] | Aug(usti) | [filio .....

CIL V 5806 vv. 1—4.

554 Brixiae, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).

a. 206



0,070 0,050 0,045 0,035


M. Nummio | *Umbrio Primo* | *M. f(ilio) Pal(atina) Senecioni* | *Albino có(n)suli), pr(aetori) candidat(o),* | *leg(ato) pro(vinciae) Africae, leg(ato) prov(inciae) Asiae,* | *q(uaestori) candidat(o) Augustór(um), pontif(ici),* | *Salio Palatino, VI vir(o) eq(uitum) R(omanorum) turmae pr(imae),* | *III viro monetali a(uro) a(rgento) a(eri) f(lando) f(eriundo)* | *M. Nummius Euhodus lib(ertus)* | *nutritor et procurator* | *l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL V 4347 vv. 1—4. Eiusdem viri postea legati Hispaniae citerioris est titulus Hispanus CIL II 3741.

---

555 Ceresarae inter Mantuam et Veronam, ara marmorea; in museo Mantuano ($\frac{1}{6}$).

a. 208




0,033 0,031 0,022 0,011

Mercurio | *Q. Locceius* | *Secundus* | *ex voto* | *Antonino III* | *[et Geta II] co(n)s(ulibus)*

CIL V 4036 integra.

---

556 Polae, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{10}$).



0,060 0,055 0,050 0,045

Imp(eratori) Caes(ari) | *M. Aurelio* | *Antonino* | *Pio Fe|l(ici) Aug(usto)* | *Part(hico) max(imo), Brit(annico) max(imo),* | *pont(ifici) max(imo), trib(unicia) pot(estate) XVI,* | *imp(eratori) II, co(n)s(uli) IIII, p(atri) p(atriae), proco(n)s(uli),* | *divi Severi fil(io), divi M. Anto|nini nep(oti), divi Antonini Pii* | *pronep(oti), divi Hadriani* | *abnep(oti), divi Traiani et* | *divi Nervae adnep(oti),* | *magno imperatori* | *d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL V 28 v. 1—4.

---

557 Polae, basis marmorea cum anaglypho mulieris velatae super aram sacrificantis; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).

a. 227



0,052 0,050 0,040

Q. Mursio Q. [f(ilio)] | *Plinio Miner[viano]* | *II vir(o), patr(ono) c[ol(oniae)],* | *coll(egium) dendroph[orum]* | *ob merita eius e[x aere]* | *conlato l(oco) d(ato) [d(ecreto) d(ecurionum)];* | *exemplum decret[i]* | *M. Nummio Senecione Albino, [M.] Laelio [Maximo co(n)s(ulibus)]* (decretum ipsum periit)

CIL V 56 vv. 1—3.

---

558 Vicetiae, basis marmorea; ibi in curia ($\frac{1}{10}$).

a. 242




0,080 0,052 0,042

Imp(eratori) Caes(ari) | *M. Antonio* | *Gordiano Pio* | *Fe|l(ici) Aug(usto), p(atri) p(atriae), co(n)s(uli) II,* | *proco(n)s(uli), tribun(icia)* | *potest(ate) V, pont(ifici)* | *maximo,* | *res publica* | *ex liberalitate* | *Matidiarum* | *d(onum) d(edit)*

CIL V 3112 vv. 1—3.

559 Eporediae (*Ivrea*), tabula marmorea; in hortis Giusianae ($\frac{1}{6}$).

a. 249-251



0,057

[*Imp(eratori) C*]*aesari* | *C. Messio* | *Q. Traiano* | *D*[*ec*]*io* . . . . . .


CIL V 6780 vv. 2. 3.

---

560 Perusiae supra portam Martiam (in duobus lapidum magnorum stratis) et in arcu viae veteris (*Via Vecchia*); ex imagine photographa.

a. 251-253

a



b




a *colonia Vibia* | *Augusta Perusia* *b* *Augusta* | *Perusia*

Vermiglioli *iscrizioni Perugine* p. 398 et 400 integrae.

---

561 Mutinae, tabula magna marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 260



0,102


0,080

0,072

Imp(erator) Caes(ar) P. Licinius | *Valerianus Pius Fel(ix) Aug(ustus), pon(tifex)* | *max(imus), Germ(anicus) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VII, co(n)s(ul) IIII,* | *p(ater) p(atriae), pro co(n)s(ule), et imp(erator) Caes(ar) P. Licinius* | *Gallienus Germ(anicus) Pius Fel(ix) Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), trib(unicia)* | *pot(estate) VII, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae), proco(n)s(ul), et P. Cornelius Saloninus* | *Valerianus nobiliss(imus) Caes(ar) pont(em) Secul(ae) vi ignis consumpt(um) indulg(entia)* | *sua restitui curaverunt*

CIL XI 826 vv. 1—3 pars sinistra.

562 Polae, basis ex lapide calcareo; ibi in museo ($\frac{1}{10}$).




0,065

Ulpie Seve|rine Aug(ustae) | *coniugi d(omini) n(ostri)* | *Aureliani in|victi Aug(usti)* | *matri cas|trorum* | *res publ(ica)* | *Polens(is)*

CIL V 29 vv. 1—3.

563 Polae, basis ex lapide calcareo; in museo ($\frac{1}{10}$).




0,075

0,080

[*Imp(eratori) Caes(ari)*] *M. Aurelio* | [*Valerio*] *Maximia*|[*no Pi*]*o Felici* | [*invic*]*to Aug(usto)* | .....

CIL V 30 vv. 1. 2 pars dextra servata.

564 Ticini, basis marmorea; Paviae in universitate ($\frac{1}{10}$).



0,084

0,078

C. Valerio | *Sabino* | *v(iro) p(erfectissimo)* | *rationali* | *d(ecurionum) d(ecreto)*

CIL V 6421 vv. 1. 2. Punctum inter V et P v. 3, item vv. 4. 5 picti tantum sunt, vv. 1—3 picti et incisi. Saeculo tertio adscribenda propter perfectissimatum.

565 Arilicae (*Peschiera*) ad lacum Benacum, basis magna ex lapide calcareo; extat Veronae in museo ($\frac{1}{8}$).



0,055

0,048

0,043

D(is) M(anibus) | *P. Virucate* | *P. f(ilii) Maxumi et Valeriae* | *P. f(iliae) Ursae; P(ublii) Virucate* | *Maximin(us) et Tertius par|entib(us) b(ene) m(erentibus), quorum* | *ob memor(iam) dederunt coll(egio) n(autarum)* | *V(eronensium) A(rilicae) consist(entium) HS (sestertium) IIII (milia) n(ummum), ut ex* | *reditu eius* [*summae*] *quodannis* | *rosas eis deducantur* [immo *deducant*] *et* | *cibos ponendum* [immo *ponant*] *secus vete|rem consuetudinem;* | *h(oc) m(onumentum) h(eredem) n(on) s(equetur)*

CIL V 4017 vv. 1—3.
P prima singulariter formata est ita, ut linea curva hastam rectam non solum tangat, sed etiam secet et ultra hanc sinistrorsum penetret; quod fortasse factum est casu, non consilio. Nexuum numerus magnus et sermo saeculo tertio potius quam secundo conveniunt; litteratura non obstat.

CAPVT TERTIVM

MONVMENTA PROVINCIARVM

I

MONVMENTA MOESIAE DACIAE PANNONIAE RAETIAE ASIAE

Cum ex Histria Dalmatia Norico quae proponerem monumenta saeculi tertii scriptura insignia non suppeterent, coniunxi hac paragrapho regionum supra scriptarum quamvis longe distantium exempla palaeographica. Non magna enim, si Graecas provincias exceperis, scribendi discrimina in eis observantur, quanquam quadratariorum ars et cura hac quoque aetate minime aequalis erat, ut expectaveris. Etiam actuariae scripturae usus in monumentis hisce non magni moduli plerisque rarus est: una eademque fere litterarum species simplex, ornatu paene omni carens, lata plerumque et crassa, raro alta et gracilis in eis observatur.

Atque aetatis Severianae quae exhibeo monumenta Pannonica (n. 566 568 573—576) scripturam illam crassam et humilem habent (uno excepto n. 566), quam per saeculum tertium in regionibus illis frequentatam esse plurima docent exempla. Quorum haec praeterea memoro Sopianense (CIL III 3313), Intercisanum *Severi Alexandri* (CIL III 3327), Aquincensia sacra *Suetrii Sabini legati Augusti* (CIL III 3428) et *Nymphis* quibusdam a *M. Valerio Karo decurione coloniae Aquinci* positum (CIL III 3382). Bases *Severi et liberorum* Pannonicam a. 198 (CIL III 3664), Dacicas (CIL III 1174 1308 1374—1378 1451) non vidi. Atque haec quidem monumenta curiose incisa sunt ad formas delineatas; quae neglegenter sculpta sunt, velut ara Brigetionensis infra proposita (n. 569), basis Matricana *Severi et Caracallae* a. 194/197 (CIL III 3387), ara *Severi et filiorum* Camponensis (CIL III 3391), basis Apulensis monumenti alicuius *familiarici* (Ephem. epigr. II p. 312 n. 415), atque paene vulgari scriptura utuntur, ut *ara Silvani* Aquincensis (CIL III 3369), *miliaria Severi* Pannonica (CIL III 3745 4624 4642 4654) alia, eorum litteras exempla sequi similia patet, quanquam non fideliter expressa sunt. Miliaria *Severi* duo a. 198 in Syria (CIL III 205) et in Cypro reperta (CIL III 218) non vidi. Melioribus in universum formis Raetica utuntur, ut exempla infra illata (n. 567 570 571 572) docent; Augustana potissimum aetatis illius non carent perfectione quamvis provinciali; cf. inter alia fragmentum tituli *Severi et Caracallae* in museo eius urbis servatum et litteris magnis (versu primo altis 0,090) scriptum (CIL III 5808). Miliaria *Severi* Norica satis frequentia a. 201 posita, quae servata sunt (CIL III 5714 5715 5717 5720 5723 5750) et a. 213 Salzburgense (CIL III 5745), item Raetica, ut infra propositum, servatum in museo Monacensi (n. 566), aliaque a. 201 in castello Ambras (CIL III 5981 5982), in museo Augustano (CIL III 5992 5995), in museo Mannhemiensi (CIL III 5996) servata, et a. 213 Monacensia (CIL III 5997 5999) et ipsa non sine quadam elegantia sculpta sunt. Quod magis etiam cadit in monumenta aliquot sepulcralia anaglyphis ornata, velut in Augustanum a. 203 *Ael(ii) Mont(anii) Phaedri* (n. 570) et in aram Reginensem *Mercurii* a. 204 Monachi servatam (n. 571). Etiam privata urbis Augustanae monumenta quaedam huius fere aetatis litteris pulchris scripta sunt, ut iam observaverunt antiquissimi in Germania epigraphices cultores Peutingerus Velserus alii (cf. CIL III 5812 5822 5845 5851); alia 'pessimis litteris' (ut CIL III 5830 alia) scripta sunt. Versus finem saeculi tertii hic quoque scriptura illa gracilis interdum invenitur 'male ornata', cuius *L* littera ita formata L peculiaris est; novi eius exemplum Augustanum unum (CIL III 5815). Deinde etiam Reginensia quaedam, quamvis litteris minutis scripta multisque cum ligaturis (veluti CIL III 5955 servatum Monachi in antiquario) non male sculpta sunt.

Ad artem quadratariam, qualis aetate Antonini Severi filii, quem Caracallam breviter dicimus, fuisset, recte aestimandam monumenta quaedam in oriente reperta ibique extantia, veluti bases eius duae magnae Heliupolitanae (*Baalbek*) columnarum ad porticum illam celeberrimam pertinentium (CIL III 138 cf. add. p. 970), cippus magnus non procul inde repertus ad vias Syriacas spectans a. 213 (CIL III 202), magni momenti forent; sed imagines eorum fideles desiderantur. Columnas miliarias viarum Macedoniae a. 217 (CIL III 711 712), *Elagabali* basim Troesmi in Moesia inferiore repertam (CIL III 773 = 6170) inspicere non magis potui. Contra arae basesve Dacicae Pannonicae Noricae, quas aut ipsas vidi aut ectypis expressas habui, veluti Apulensis *Nympharum* Vindobonae extans (CIL III 1129), Carnuntina a. 211 *Silvanarum* et *Quadriviarum* (CIL III 4441), in castello Alsó-Ilosva reperta *Caracallae* a. 213 (CIL III 795; hanc non vidi), arae *Iovis* Celeianae a. 211 et 217 (CIL III 5187 5189), basis Solvensis *Caracallae* a. 211/13 (CIL III 5324), item Apulenses *Victoriae Antonini Aug(usti) sacra* (CIL III 1072), *L. Marii Perpetui co(n)s(ularis) Dac(iarum) III* (CIL III 1178), scriptae sunt omnes litteris illis planis, latis, non elegantibus, inter se non multum diversis, quales fere exhibent eius aetatis exempla infra proposita (n. 567 573 574 575). Columnas miliarias *Macrini* Pannonicas (ut CIL III 3724; sed cf. infra n. 583) et Noricas (CIL III 5728 5735 5736), quas vidi, non multum ab illis differre consentaneum est.

Quae deinde coniuncta exhibui monumenta Bedaii in Norico reperta annorum 219 ad 237 (n. 577—580), non sine arte quadam et elegantia sculpta sunt: credideris in Italiae vicinia artem

quoque quadratariam aliqua ex parte integriorem servatam esse quam in provinciis remotioribus. Bedaii monumenta composuit et illustravit additis eorum imaginibus exiguis sed accuratis Fridericus Ohlenschlager Monacensis (in actis acad. illius class. philos. philol. et hist. a. 1883 p. 204ss.): comprobant monumenta postea reperta quae discimus ex hic propositis.

Quae sequuntur monumenta Pannonica musei Pestinensis omnia annorum 225 ad 231 (n. 583—587) composui ideo, ut in aequabilitate illa, quam dixi, scripturae tamen non deesse varietates perspiceretur. Ita charactere utuntur paullo quam reliqua altiore, quamvis minime bono, columnae miliariae *Elagabali* (n. 583) et *Severi Alexandri* (n. 584); elegantius quam reliqua incisa est basis *Mammaeae* (n. 586), cum qua conferantur Dacicae *Alexandri* et *Mammaeae* (CIL III 797 798), quas non vidi. Litterarum inter se ligatarum frequentiam aetate illa crescentem exempla demonstrant praeter infra proposita (n. 569 576 577 579 582) multa (veluti CIL III 3673 in museo Pestinensi servatum). Iuvabit cum eis componere eiusdem aetatis monumenta in regionibus orientis reperta: viae Romanae per Ciliciam in Syriam tendentis columnam *Severo Alexandro* positam a. 223 (CIL III 226), eiusdem imperatoris ad viam Macedoniae pertinentem, quae in museo Parisino extat (CIL III 709); deinde columnas miliarias Pannoniae inferioris in museo Pestinensi servatas *Alexandri* (CIL III 3731 3738) et *Macrini* (CIL III 3739 3740), eiusdem Raeticam in castello Ambras servatam (CIL III 5985); horum monumentorum ex parte ectypa habui.

Propter formarum elegantiam hic quoque memorabilis est *Gordiani* titulus in Pannonia repertus, quem exhibui (n. 588): num eandem artem demonstrent quae praeterea extant, sed in locis deviis, eiusdem imperii monumenta Sarmizegetusana a. 238 ambo (CIL III 1423 et 1456) et Virunense a. 239 (CIL III 4800) ignoro; miliarium *Gordiani* Vindobonense (CIL III 4644), quod vidi, minus eleganter scriptum esse, nisi memoria me fallit, adnotavi.

Philipporum duorum miliaria duo, Salonitanum a. 247 (CIL III 3203) et Pestinense a. 245 (CIL III 3717) charta expressa vidi: litterarum formae in eis notatu dignum nihil praebere visae sunt; non vidi bases eorundem Dacicas a. 245 (CIL III 1379 1380) nec Delminiensem eiusdem anni (CIL III 2706).

Male sculpti sunt Decii (n. 589), Valeriani (n. 590), Gallieni (n. 591), Claudii (n. 593) tituli, quos exhibui, omnes: observa in eo, quem ultimo loco indicavi (n. 593) capita A et M litterarum perquam lata, quae transitum videntur facere ad aetatis Diocletianae scribendi consuetudinem. Nec maiore arte sculpta sunt *Decii* miliaria Pestinense (CIL III 3746) et Raeticum Innsbruckii servatum, quantum iudicare licet ex imagine Starkii a. 1840 proposita (CIL III 5988). Neglegenter etiam dicitur sculpta esse ara *dei Azizi* pro salute *Valeriani Gallieni Valeriani Caesaris Saloninae* Potaissensis Dacica servata Hermannstadt in bibliotheca (CIL III 878); idemque etiam de miliario eorundem imperatorum Vindobonensi (CIL III 4653) dicendum est; tituli ad thermas Aquincenses pertinentis a. 268 litterae evanidae sunt (CIL III 3525). Ara Brigetionensis a. 269 *Claudio* dicata in museo Pestinensi servata (CIL 4289) item satis neglegenter sculpta est; Nicomediensem *Claudi Herculani protectoris Aureliani Augusti* (CIL III 327) et Naronensem thermarum a *M. Aur(elio) Tiberiano v(iro) p(erfectissimo) praes(ide) prov(inciae) Del(matiae)* a. 280 dedicatam (CIL III 1805) non vidi. Unus quem exhibui titulus Dacicus propter argumentum memorabilis, sed aetatis incertae (n. 591), tamen propter sermonis et incisionis barbariem saeculo tertio exeunti fere certo videtur adscribi posse.


Diocletianae aetatis formas etiam aliunde satis notas graciles titulus habet *deae Noreiae* prope Singidunum in Moesia superiore repertus, cuius hic exemplum proposui (n. 594). Quos praeterea exhibui Pannonicos duos (n. 595 597), ii formas habent paullo crassiores, sed tamen ab aetatis proxime praecedentis titulis ex eisdem regionibus oriundis diversas; conferantur cum eis basis *Maximiani et Maximini* Aquincensis (CIL III 3522), arae Mithriacae *Diocletiani et liberorum* Carnuntina nunc Vindobonensis (CIL III 4413) et supparis aetatis Virunensis (CIL III 4796). Formas aliquanto meliores titulus Raeticus Augustanus (n. 596) habet; columnae miliariae Noricae *Constantii* extantis in museo Gratzensi (CIL III 5739) litterae sunt evanidae et ex parte incertae. A lapidario fortasse Graeco sculptus est ideoque formas habet multo quam reliqui accuratiores, quamvis non bonas, titulus *matris deum* Tomitanus ex Moesia inferiore (n. 598); num eadem arte factus sit indidem proveniens Transmariscanus (CIL III 6151) ignoro; non dissimiles formas exhibet basis *Cari et Carini* Patrensis inedita, cuius ectypum Iohanni Schmidt debeo. Nec desunt alia in partibus orientis aetatis Diocletianae monumenta praeter edictum celeberrimum infra suo loco memoratum, epistylium magnum Trapezunte Ponti Cappadocici extans (CIL III 236), columna Halicarnasensis (CIL III 449), basis Atheniensis (CIL III 6103), *Constantii* Nicomediensis (CIL III 326), miliaria Diocletiani Syriacum (CIL III 197) et Cyzicenum (CIL III 197, *Constantii* in Cilicia extans (CIL III 223): quae omnia digna sunt observatione accuratiore quam adhuc instituti potuit.

Ne specimina artis quadratariae prorsus deessent eius, quae saeculo tertio in Asiae urbibus fuit, addidi in fine paragraphi monumenta quaedam ad priorem saeculi illius partem, ut videntur, referenda, Ephesi reperta (n. 599 600): scripta sunt elegantia ea, quam a Graeca provincia expectaveris. Similia non pauca per effossiones recentes ibidem in lucem prolata sunt prostantque in museo Britannico: unum memoro positum *Paulo alicui Aug(usti) vernae arkar(io) praeposito iustissimo* (Ephem. epigr. IV p. 38 n. 68), scriptum item satis eleganter, sed litteris graciliorībus et minus profunde incisis quam reliqua; puto illud saeculo tertio exeunti fere tribuendum esse.

Monumenta sepulcralia hominum tenuiorum (Aeliorum potissimum et Aureliorum) annorum indicationibus carentia, sed saeculi certo tertii, per Dalmatiam Daciam Pannoniam frequentissima esse notum est; litterae eorum quamvis diversae in singulis in universum tamen similes sunt omnes eorum certae aetatis monumentorum, quorum exempla exhibui.

566 Aquinci (*Alt-Ofen*) in Pannonia inferiore, fragmentum basis lapideae; in museo Pestinensi ($\frac{1}{6}$).

a. 197



0,050
0,032


...... *leg(ionis)* | *II adiut(ricis) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)* | *Laterano et Rufi|no co(n)s(ulibus)*

CIL III 3508 vv. 3. 4.

---

567 Columna miliaria viae Raeticae a ponte Aeni ad Arborem felicem; in museo urbis Augustae Vindelicorum ($\frac{1}{6}$).

a. 201



0,035


Imp(erator) Caesar | *L. Septimius Severus Pius* | *Pertinax Aug(ustus) Arabic(us)* | *Adiab(enicus) Parthicus maximus,* | *pontif(ex) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VIIII,* | *imp(erator) XII, co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae), proco(n)s(ul) et* | *imp(erator) Caesar Marcus Aurel(ius)* | *Antoninus Pius Aug(ustus) trib(unicia)* | *pot(estate) IIII, proco(n)s(ul) et* [Getae nomina erasa] | *vias et pontes rest(ituerunt); a Camb(oduno) m(ilia) p(assuum)* | *XI*

CIL III 5987 vv. 7—9.

---

568 Aquinci, basis ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{5}$).

a. 201



0,052
0,042


C. Iulius Severus ob ho|norem magisteri | *coll(egii) fabrum Silanum* | *pecunia sua fecit* | *Muciano et Fadiano co(n)s(ulibus)*

CIL III 3580 vv. 1 et 5.

---

569 Brigetione (*O-Szöny*) in Pannonia superiore, ara ex lapide calcareo anaglyphis ornata; in museo Pestinensi ($\frac{1}{5}$).

a. 202




0,042

Liber(o) et Lib(erae) | *Aug(ustis) pro sal(ute)* | *M. Aur(elii) Teren(tiani)* | *vet(erani) l(egionis) I ad(iutricis)* *Aur(elius) Demophilus* | *libert(us) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) imp(eratoribus) d(ominis) n(ostris) Sev(eris)* [c]*o(n)s(ulibus)*

CIL III 4297 vv. 1—3. Severi duo consules creduntur esse Septimius Severus et Caracalla consules anno s. s.

570 Augustae Vindelicum, basis ex lapide calcareo anaglyphis in lateribus tribus ornata; ibi in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 203




0,035

.... *Ael(ius) Mont(anius?)* | *Phaeder pro* | *salute sua et P.* | *Hisp(anii?) Canavili* | *fili et Ael(iae) Mont(aniae?)* | *Festinae con|iugis v(otum) s(olvit) l(ibens) l(aetus) m(erito), d(onum) d(edit) d(ie) VII kal(endas) Sept(embres) [Geta] II et [Plautiano]* | *II co(n)s(ulibus)*

CIL III 5802 vv. 3—5. Consules, quorum nomina quamvis erasa adhuc leguntur, sunt anni s. s.

571 In Castris Reginis (*Regensburg*), basis ex lapide calcareo cum anaglyphis Fortunae et Genii; extat Monachi in antiquario ($\frac{1}{6}$).

a. 204




0,037

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) deo M[ercurio] | *censuali pro s[alute d(ominorum)]* | *n(ostrorum) Aug(ustorum) imp(eratorum) S[everi et]* | *Antonini Par(thici) m[aximi nobi]|lissimi Caes(aris) n(ostri)* .... | *restituerunt [aedem]* | *cum signi[s consump]|tis vetus[tate, curam eg(erunt)]* | *Iul(ius) Verax [et ......]* | *neg(otiatores) d(ederunt) d(edicaverunt) Cil[one et Libone]* | *co(n)s(ulibus) V id(us) S[eptembres]*

CIL III 5943 vv. 1—3. Vocabula *Parthici maximi nobilissimi Caesaris nostri* in litura reposita sunt pro Getae nominibus.

572 Abusinae (*Eining*), quod est castellum Raetiae situm prope Danuvium et limitem Germanicum, ara ex lapide calcareo cum anaglyphis Fortunae et Genii; Monachi in antiquario ($\frac{1}{6}$).

a. 211




0,038

[Dominis nostris M. Aurelio Antonino et P. Septimio Getae Augustis et Iuliae] Aug(ustae) matri Aug(ustorum) et kast(rorum) I(ovi) o(ptimo) [m(aximo)] | *et Iun(oni) re(ginae) et Miner(vae) sac(rum), Genio* | *coh(ortis) III Brit(annorum) aram T. Fl(avius) Felix* | *praef(ectus) ex voto posuit l(ibens) m(erito); dedicavit kal(endis) Dec(embribus)* | *Gentiano et Basso co(n)s(ulibus)*

CIL III 5935 v. 5.

573 Intercisae (*Duna-Pentele*) in Pannonia inferiore, ara ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{5}$).

a. 213




0,030

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | *pro s(alute) imp(eratoris) M. Aur(elii) Ant(onini)* | *Pii Aug(usti) et Genio* | *coh(ortis)* ⋈ *(miliariae) Hem(esenorum) Ant|oninianae T. Cl(audius)* | *Procus b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis)* | *legionis II ad(iutricis)* | *pi(ae) fid(elis) Antonin(ianae)* | *imp(eratore) Anton(ino) IIII et Cael(io) Balb(ino) it(erum) co(n)s(ulibus)*

Ephem. epigr. II p. 362 n. 597 vv. 2—4.


574. 575 *Buda-Eörs* prope Aquincum, bases ex lapide calcareo duae; Pestini in museo ($\frac{1}{5}$).

574
a. 213 aut 222



0,040
0,036

575



0,036
0,030

D(eo) inv(icto) M(ithrae) | M. Aur(elius) Fr|ontinian|us, M. Aur(elius) | Fronto mil(ites) | leg(ionis) II ad(iutricis) pro s(alute) | sua et suorum temp(lum) constitu(erunt)


Sol(i) soc(io) | M. Aur(elius) Fron|tinianus | et M. Aur(elius) Fro|nto mil(ites) leg(ionis) | II ad(iutricis) fratres | temp(lum) constituerunt) | Antonino | IIII co(n)s(ule)

CIL III 3383 vv. 5. 6, 3384 vv. 2. 3 et 8. 9.

---

576 Aquinci, ara ex lapide calcareo; Pestini in museo ($\frac{1}{5}$).

a. 218



0,030
0,032


I(ovi) [o(ptimo) m(aximo)] | pro salute d(omini) n(ostri) | M. Aureli An[toni|ni] pii felicis Aug(usti) | L. Sept(imius) Const|antinus optio | spei leg(ionis) II | adi(utricis) p(iae) f(idelis) Anton|inianae v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | [imp(eratore) Antonino | et] Advento co(n)s(ulibus)

CIL III 3445 vv. 2—4.

Quae versu exempli huius ultimo in lapide dicitur superesse I littera ultima *Antonini* vocabuli, in ectypo non apparet; unde omisi.

577 Bedaii (*Chieming*) in Norico, ara ex lapide calcareo; Monachi in antiquario ($\frac{1}{6}$).

a. 219



0,047

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Arubiano | et Bedaio sancto | Tul(lius) Iuvenis | b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) leg(ionis) II | Ital(icae) Antoninian(ae) | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | idib(us) Mais d(omino) [n(ostro) | imp(eratore) Antonino] | II et Sacerdote co(n)s(ulibus)

CIL III 5580 vv. 1. 2. Caracallae nomen erasum est.

---

578 Bedaii (*Chieming*), ara ex lapide calcareo; Monachi in antiquario ($\frac{1}{6}$).

a. 219




0,042
0,046

Bedaio Aug(usto) | et Alounis | sacr(um) | C. Catius | Secundia|nus II vir | imp(eratore) Antonin(o) | II et Sacerdote co(n)s(ulibus)

CIL III 5581 vv. 1. 2.

579 Bedaii (*Chieming*), ara ex lapide calcareo; Monachi in antiquario (1/5).

a. 226




0,042 0,028

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Arub(iano) et sancto | Bedaio Vind(ius) Verus | b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) leg(ionis) II Ital(icae) | p(iae) f(idelis) Severianae) ex voto | pos(uit) idib(us) Mais | imp(eratore) d(omino) n(ostro) Seve|ro Alexandro | Aug(usto) II et Marcel|lo II co(n)s(ulibus)

CIL III 5575 vv. 1—3 et 7—10.

580 Bedaii (*Chieming*), ara ex lapide calcareo; Monachi in antiquario (1/5).

a. 237




0,032 0,012

Bedaio Aug(usto) | sacr(um) Aloun|ar(um?) Setoni|us Maxim|ianus et | Fir(mius) Firmi|nianus II vir(i) | Perpetuo et Cornel(iano) co(n)s(ulibus)

CIL III 5572 vv. 1—3 et 8.

581 Originis incertae ex Dacia vel Pannonia, columna ex lapide calcareo; Pestini in museo (1/10).

inter a. 218 et 222




0,110 0,095 0,055

Imp(eratori) Caes(ari) | divi Anto|nini Magni Pii filio, | divi Severi nepoti | M. Aurelio [Antonino] | pio fel(ici) Aug(usto), pont[if(ici)] | maximo, trib(unicia) pot(estate) II[II], | co(n)s(uli), patri patri[ae], | proco(n)s(uli) coh(ors) [Maur(orum) ....] | Ɖ (quingenaria) eq(uitata) [Antoniniana] cura(m) agente P.... | ......

CIL III 3675 vv. 1—3.

582 Savariae (*Stein am Anger*) in Pannonia superiore, basis ex lapide calcareo; Pestini in museo (1/4).

a. 228




0,032 0,026

Sign(um) Victo(riae) | Q. Gav(ius) Maximus | Q. Tori(us) Priscianus | mag(istri) col(legii) Gen(ii) | p(rovinciae) P(annoniae) s(uperioris), P. Ael(ius) Exupe|ratus et T. Aur(elius) | Peculiaris scri(bae) | coll(egii) d(ederunt) d(edicaverunt) | Modesto II et Pro|bo co(n)s(ulibus)

CIL III 4168 vv. 2. 3.

583 Aquinci, ara ex lapide calcareo; Pestini in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 228



0,038


Aesculapio | *et Hygiae* | *Aug(ustis) Aur(elius)* | *Artemidorus* | *b(ene)f(iciarius) leg(ati) leg(ionis)* | *II ad(iutricis) p(iae) f(idelis) S(everianae)* | *agens curam c....* | *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)* | *Modesto* | *et Probo* | *co(n)sulibus)*

CIL III 3412 vv. 9—11.

---

584 Columna miliaria viae Aquinco Mursam; Pestini in museo ($\frac{1}{10}$).

a. 222-235



0,115

0,070


Imp(erator) Caes(ar) | *M. Aurel(ius) Severus* | *Alexander pius fe|lix Aug(ustus) pontif(ex) ma|ximus, trib(unicia) potestas* [sic] | *VIIII, co(n)s(ul) III, pater pa|triae restituit ab Aq(uinco)* | *m(ilia) p(assuum) XXXIIII*

CIL III 3721 vv. 1—3. P litterae exempla omnia clausa esse visa sunt in ectypo; F vocabuli *pontifex* ita scripta est I‹.

---

585 E Castris Ulcisiis (*Szent-Endre*) in Pannonia inferiore, basis ex lapide calcareo; Pestini in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 230



0,052

Imp(eratori) Caes(ari) cet. *Severo Alexandro .....* | *Aug(usto) pont(ifici)* | *max(imo), trib(uniciae)* | *potestatis VIIII, co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae)* | *coh(ors) I* ⋈ *(miliaria) N.... S... S... S(everiana)* | *devota nu|mini eius*

CIL III 3638 vv. 6—8.

586 E Castris Ulcisiis (*Szent-Endre*) in Pannonia inferiore, basis ex lapide calcareo; Pestini in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 230




0,055

Iuliae | *Mameae* | *Aug(ustae) matri* | *d(omini) n(ostri) invicti* | *imp(eratoris) Severi* | *Alexandri* | *p(ii) f(elicis) Augusti* | *et castrorum* | *coh(ors) I* ∞ *(miliaria) N... S... S... S(everiana)* | *devota nu|mini eorum*

CIL III 3639 vv. 4. 5.

587 Aquinci, ara ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{6}$).

a. 231



0,028 0,032 0,028


[*I(ovi)*] *o(ptimo) m(aximo) et Genio* | [*Ɔ (centuriae)*] | *Sept(imius) Cogi*|*tatus c(ustos) a(rmorum)* | *et Sept(imius) Car*|*us m(ilites) leg(ionis)* | *II ad(iutricis) p(iae) f(idelis) Sev(erianae)* | *v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito)* | *Pompeian(o)* | *et Peligniano* | *co(n)s(ulibus)*

CIL III 3457 vv. 8—10.

---

588 Intercisae (*Duna-Pentele*) in Pannonia inferiore, basis ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{8}$).

a. 240




0,060

Imp(eratori) Caes(ari) M. | *Ant(onio) Gordiano* | *p(io) f(elici) invicto Aug(usto)*, | *pontif(ici) max(imo)*, | *trib(unicia) pot(estate) III, p(atri) p(atriae)*, | *co(n)s(uli), proco(n)s(uli)* | *co-h(ors) I ∞ (miliaria) Hem(esenorum) Gordiana* | *sagitt(ariorum) eq(uitum) c(ivium) R(omanorum)* | *numini eius* | *devotissima*

CIL III 3331 vv. 1—3.

589 Latobicis (*Treffen*) in Pannonia superiore, ara ex lapide calcareo; in museo Laibacensi ($\frac{1}{8}$).

a. 250



0,038 0,028


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | *et Gen(io) lo(ci)* | *G. Iuli(us) Dign(us)* | *b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) leg(ionis) X* | *G(eminae) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)* | *kale(ndis) Oct(obribus)* | *imp(eratore) d(omino) n(ostro) Decio* | *Aug(usto) et Grato* | *co(n)s(ulibus)*

Ephem. epigr. II p. 411 n. 818 vv. 7—9.

---

590 Ex *Titel* prope Acumincum Pannoniae inferioris; basis ex lapide calcareo; Pestini in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 254/55



0,070

Imp(eratori) Caes(ari) P. Lic(inio) | *Valeriano p(io) f(elici)* | *Aug(usto), p(ontifici) m(aximo), trib(unicia)* | *pot(estate) III, co(n)s(uli), p(atri) p(atriae)*, | *proco(n)s(uli) ordo* | *col(oniae) Prap* . . . . . *devo*|*tus numini* | *eorum* [sic]

CIL III 3255 vv. 1—3.

---

591 Aquinci, basis ex lapide calcareo; Pestini in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 267




0,032

Genio | *imp(eratoris) P. Lic(inii) Gallieni* | *invicti Aug(usti)* | *Clementius* | *Silvius v(ir) e(gregius) a(gens) v(ices) p(raesidis) et* | *Val(erius) Marcellinus* | *praef(ectus) leg(ionis), prot(ector)* | *Aug(usti) n(ostri), a(gens) v(ices) l(egati), municipes* | *ex provincia* | *Raetia s(olverunt) l(ibentes) l(aeti) m(erito)* | *Paterno et* | *Archesilao co(n)s(ulibus)*

CIL III 3424 vv. 11. 12.

592 Apuli (*Karlsburg*) Daciae, columna magna ex lapide calcareo; in museo Klausenburgensi ($\frac{1}{6}$).



0,054

0,028

0,024


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Aur(elius) Martinus | Basus(?) et Aur(elius) | Castor po(....) Lyd|i circumstantes | viderunt numen | aquilae descidise | monte supra dracones | tres; valida vipe[ra] | supstrinxit aquila(m); | hi s(upra) s(cripti) aquila(m) de | periculo | liberaverunt, | v(oto) l(ibentes) m(erito) p(osuerunt)

Ephem. epigr. II p. 307 n. 397 vv. 1. 2 et 6—8.

---

593 Aquinci, basis ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{8}$).

a. 270




0,050

Imp(eratori) Caes(ari) M. | Aurel(io) Claudio | Germanico | pi(o) f(elici) invicto | Aug(usto), pont(ifici) max(imo), | trib(unicia) potes(tate) | III, co(n)s(uli), pro | co(n)s(uli), p(atri) p(atriae), leg(io) II | adi(utrix) VI p(ia) VI f(idelis) | constans | Claudiana | numini ma|iestatique | eius | dicatissima

CIL III 3521 vv. 1—4.

594 E monte Avala prope Singidunum (*Belgrad*) Moesiae superioris; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

a. 287



0,040

0,035

Deae Noreiae sacrum | pro salute d(ominorum) n(ostrorum) Diocletiani et | Maximiani Aug(ustorum) | ordo amplis(simus) col(oniae) Sing(iduni) per | M(arcos) Aur(elios) C.... et Sosonem | II viros curante | Simplicio v(iro) e(gregio?) d(ominis) n(ostris) | Diocletiano et Maximi|ano Aug(ustis) co(n)s(ulibus)

CIL III 1660 (cf. add. p. 1022) vv. 2. 3.

---

595 Aquinci, ara ex lapide calcareo; in museo Pestinensi ($\frac{1}{8}$).

a. 287




0,048

Herculi Aug(ustorum) | Aurel(ius) Firminus | pref(ectus) leg(ionis) II A[ug(ustae)] ex | prot(ectore) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) imp(eratoribus) | d(ominis) [n(ostris) D]iocletiano III | et Maximiano | Aug(ustis) co(n)s(ulibus)

Ephem. epigr. II p. 377 n. 678 vv. 1. 2.

596 Augustae Vindelicum, basis magna ex lapide calcareo; ibi in museo (1/5).

a. 290 0,050



0,046


Providentissimo | principi, rectori | orbis ac domino, | fundatori pacis | aeternae | Diocletiano p(io) f(elici) | invicto Aug(usto), pont(ifici) | max(imo), Germ(anico) max(imo), Pers(ico) | max(imo), trib(unicia) pot(estate) VII, | co(n)s(uli) IIII, patri | pat(riae), proco(n)s(uli) Sept(imius) | [Vale]ntio v(ir) p(erfectissimus) p(raeses) pr(ovinciae) d(evotus) n(umini) m(aiestati)que eiusd(em) d(edit)

CIL III 5810 v. 1—3.

---

597 Ad *O-Szöny* prope Adiavum Pannoniae superioris, ara ex lapide calcareo; in museo Pestinensi (1/5).

a. 303 0,066



0,060


0,024

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Aur(elius) Ian|uarius t(ransrhenanus? terra?) | Bat(avus) v(ir) p(erfectissimus) dux | P(annoniae) s(ecundae) S(aviae) v(otum) m(erito) l(ibens) s(olvit) | d(ominis) n(ostris) VIII et VII Aug(ustis) co(n)s(ulibus) | die id(uum) Iul(iarum)

Ephem. epigr. II p. 423 n. 884 vv. 2—4 et 6. 7.

---

598 Tomis (Constantiae) in Moesia inferiore, ara ex lapide calcareo; servatur in museo Parisino (1/5).



0,052


0,046

0,032

Matri deum | magnae | pro salute adq(ue) | incolumitate | d(ominorum) n(ostrorum) Aug(ustorum) et Caes(arum) | Aur(elius) Firminianus | v(ir) p(erfectissimus) dux limit(is) prov(inciae) Scyt(hiae) | bonis auspiciis | consecravit

CIL III 764 vv. 1—6.

599 Ephesi, basis magna marmorea; Londinii in museo Britannico (1/8).




0,034
0,030
0,028

[Ti. Claudio .... Vibiano Tertullo] ab epistulis Graecis | et a rationibus Aug(ustorum) | et praef(ecto) vigulum | Spectatus Aug(ustorum) n(ostrorum) | lib(ertus) adiut(or) t(abulariorum) ob me|rita eius
Τι. Κλ(αύδιον) Οὐειβιανὸν | Τέρτυλλον τὸν | ἐπὶ τῶν Ἑλληνικῶν | ἐπιστολῶν καὶ τῶν | καθ' ὅλου λόγων τῶν | μεγίστων αὐτοκρατό|ρων καὶ ἔπαρχον οὐιγουλῶν | Σπέκτατος σεβ(αστῶν) ἀπελεύ|θερος βοηθ(ὸς) ταβλαρίων | τὸν ἴδιον εὐεργέτην

CIL III 6574 vv. 4—6.
Virum hunc praefectum vigilum fuisse Severo et Caracalla imperantibus probabile est; cf. O. Hirschfeld *römische Verwaltungsgeschichte* I p. 147.

600 Ephesi, basis magna marmorea; Londinii in museo Britannico (1/8).



0,030
0,026

Ti. Cl(audio) T. f(ilio) Papiria | [X]enophonti | [pro]c(uratori) Aug(usti) ad bona co|[g]enda in Africa, proc(uratori) | [pr]ovinc(iae) Asiae, subpraef(ecto) | annonae urbis, proc(uratori) Illyri|ci per Moesiam inf(eriorem) et Dacias | tres, proc(uratori) argentariarum Pan|noniarum et Dalmatiarum, | proc(uratori) Daciae Apulensis, proc(uratori) in Aegypto ad epistrategiam | septem nomorum et Arsinoitum, | proc(uratori) viarum urbis | Salvianus Aug(usti) n(ostri) vern(a) dis|pensator rationis extraord(inariae) provinc(iae) Asiaé

CIL III 6575 (cf. ephem. epigr. IV p. 37, 67) vv. 14—16.
Severi fere aetati tribuenda.

II

MONVMENTA GALLIAE ET GERMANIAE

Saeculi tertii monumenta in provinciis Gallicis non minus frequentia fuisse quam in reliquis fere omnibus putaverim; certae tamen aetatis quae repraesentari possent non multa ad manus erant. Supplebunt eorum syllogen corporis volumina XII et XIII, siquando absoluta erunt.

Aetati Severianae probabiliter tribuitur basis honoraria Lugudunensis primo loco a me proposita (n. 601), quam Boissieu nimis eleganter nec satis fideliter repraesentavit; scripta est autem litteris pro aetate ea admodum bonis. Quae ille praeterea delineanda curavit monumenta eius aetatis Lugudunensia, aras tauroboliorum a. 194 (p. 32) et a. 197 (p. 36), aram matronarum *pro salute domini n(ostri) imp(eratoris) L. Sept(imii) Severi Aug(usti) totiusq(ue) dom(us) eius* positam (p. 59), ea omnia nimis eleganter ab eo mihi visa sunt delineata esse. Comparari cum illis velim aram taurobolii eiusdem aetatis Valentiae in Gallia Narbonensi servatam (CIL XII 1745); item aram a. 201 *deo Invicto et Genio loci* Genavae positam (CIL XII 2587). Etiam reliqua saeculi tertii ineuntis fere monumenta Lugudunensia a Boissievio exhibita, basis magna *Tib. Antistii Fausti fil(ii) Quir(ina) Marciani procuratoris* (p. 269), cippus *Aurelii Caeciliani praepositi vectigalium* (p. 272), bases *Fulvii Aemiliani c(larissimi) v(iri)* (p. 466) et *Cervidiae Q. f(iliae) Vestinae c(larissimae) f(eminae) Fulvi Aemiliani* (p. 485) admodum eleganter sculpta ab eo repraesentantur.

Elagabali extat basis Vintiae in Gallia Narbonensi (CIL XII 8): qualibus scripta sit litteris ignoro. Non malis certe utitur ea quam proximo loco exhibui *ara Tutelae* a. 224 Burdigalensis (n. 602).

Ad Alexandri imperium pertinet cippus *genio stationis legionis XXII* dicatus, qui extat Tarnaiae Nantuatium (CIL XII 144).

Sequuntur specimina tria ex monumento celeberrimo Tauriniacensi (n. 603), posito illo imperante *Maximino*: quanquam enim acta continet verbosa, tamen monumentalis scripturae speciem aliquam affectat, successu sane mediocri.

His monumentis ad priorem saeculi tertii partem spectantibus adieci incertae aetatis aram ad Aquas Nerias repertam (n. 604), cuius litterae perquam latae et humiles, quamvis non male incisae, illi potissimum aetati convenire visae sunt. Aetatis Gordiani specimina curiosa praebent arae tauroboliorum sive potius tauropoliorum Lactoratenses, ex quibus exempla quaedam selegi (n. 605—607); eorum ultimum anni indicatione caret, sed videtur aetatis esse supparis. Quae *Timesitheo* patri Tranquillinae Gordiani Luguduni posita est basis, Boissievii temporibus latens, litteras habet non male in universum formatas, sed incuriose incisas (n. 608). Basim *Gordiani* Vintii extantem (CIL XII 9) et Arelatensem *Saturnini praefecti classis Brittannicae Philippianae* (CIL XII 686) charta expressas non habui. Tabula *Claudio* a. 269 posita Cularone sive Gratianopoli (CIL XII 2228) itemque ara in agro Vocontiorum *Ignibus aeternis* posita imperante eodem (CIL XII 1551) litteris dicuntur scriptae esse bonis. *Aureliani* vero miliarium Gallicum, quod exhibui

(n. 609) barbare compositum est et sculptum. *Numeriani* cippus Aximensis (CIL XII 110) mihi non satis notus est; basis columnae magnae Ebroduni *Diocletiano* a procuratore Alpium maritimarum dedicatus ita 'instauratus est, ut pristina lectio prorsus obscurata sit' (CIL XII 78); titulus magnus Gratianopoli supra portam urbis extans *Diocletiani et Maximiani* nunquam, nisi fallor, satis fideliter est delineatus (CIL XII 2229).

Magnus est numerus etiam in Galliis titulorum sepulcralium, qui propter nomina defunctorum (abundant inter eos Aurelii, rara sunt praenomina), formulas (veluti *quieti et memoriae, quieti perpetuae, memoriae aeternae* al.), tum propter litterarum formas saeculo tertio adscribuntur probabiliter. Formas eorum apte illustrant tituli Lugudunenses a Boissievio depicti (v. c. p. 472 II 477 III 480 I II 481 IV al.) atque Viennenses Allmeri (cf. CIL XII 1937ss.); inter Arelatenses formulae christianae iam saeculo illo in titulis comparent (CIL XII p. 84). Exhibui exempla duo scripturae aliquanto rarioris, arulam *dei* in Gallia et in Britannia culti *Sucelli* Viennensem (n. 610), quam saeculo tertio ineunti fere attribuo, et miliarium Augustodunense (n. 611), cuius litterae similes sunt eorum, quibus in reliquis regionibus aetate Diocletiana utebantur.

Tertii saeculi monumenta in Germaniis paene abundant. Itaque ex magno, qui suppeditabat, numero exemplorum certae aetatis fere omnium atque adhuc servatorum a me ipso in museis nostris curiose selecto exempla ea proposui, quae aut scripturae artificio aut peculiari eius forma viderentur insignia esse. Neque distinxi superioris et inferioris provinciae singulorumve locorum monumenta, quanquam lapidum unius cuiusque diversitas interdum etiam scribendi formas diversas produxit; unus idemque fere ubique scripturae χαρακτήρ, plus minusve apte a singulis quadratariis expressus, sed ad exempla similia referendus. Vulgaris quam dico scripturae epigraphicae exempla pauca admisi (veluti n. 620): alia quaedam eius generis infra suo loco proponentur.

Atque Severianae aetatis saeculive secundi exeuntis tertiique ineuntis exempla infra proposita (n. 612—621), quae quidem e monumentis desumpta sunt maioribus atque cum cura publice inscriptis, veluti Batava (n. 613 614 619), non carent dignitate quadam et arte (vide praecipue n. 619). Idem de fragmento Mogontiacensi valet, quod *opus theatri* in *Caracallae* honorem a *legione XXII* dicatum videtur memorare (Bramb. 1305); etiam titulus ad thermas Amisinas (*Ems*) pertinens, servatus ille in museo Wiesbadensi (Bramb. 1543), accurate incisus est eadem fere aetate. Contra ara *Iovi o(ptimo) m(aximo) summo exsuperantissimo* aliisque deis multis posita ab *Antistio Advento legato Augusti pro praetore* (Severi ut videtur) apud Batavos (Bramb. 55) scripta est litteris altis gracilibus pravis; crassis et latis, sed deformibus fragmentum ad *Severum* item referendum Coloniense (Bramb. 420*d*).

Non pauca praeterea in Germaniis extant monumenta ad Severi tempora referenda: basis Caracallae *imperatori destinato* posita a re publica Aquensi a. 197 (Bramb. 1663), arae *Iovis et Fontis* a. 204 musei Colmariensis (Bramb. 1918), *Iovi et Genio* centuriae alicuius posita a. 205 Mogontiaci (Bramb. 1024), *pro salute victoria et reditu* Severi liberorum uxoris c. a. 209 dicata in castello limitari Grosskrotzenburg (Bramb. 1432), *Fortunis salutaribus* a *Q. Venidio Rufo Mario Maximo* legato Germaniae inferioris posita Bonnensis (Bramb. 516), titulus denique sepulcralis legati Germaniae superioris *C. Caerellii Polittiani* puto (v. supra n. 484) Coloniensis (Bramb. 1003); quae omnia scripta sunt litterarum genere non dissimili eius, cuius infra exempla proposita sunt.

Ex magno numero monumentorum sacrorum, quae saeculo illo ubique fere in Germaniis in locum ararum simplicium matronis sacrarum cesserant, deis Romanis paene omnibus atque peregrinis nonnullis dicata cum sollemni illa *in honorem domus divinae* formula hic frequentissima, quaedam sane satis bene sculpta sunt, ut Mogontiacensia (n. 615 618), Bonnense (n. 617), Wirtembergense (n. 616). Sed reliqua sacrorum turba, e quibus notationes tantum annorum ex fastis repetitas apposui (n. 612 621—624 cet.), perspicue quidem nec prave, sed minime eleganter incisa est. Inter meliora numeranda sunt ara *Mercurii* Mogontiacensis a. 198 (Bramb. 956) et *Virtutis* Wirtembergensis a. 217 (Bramb. 1582). Quae praeterea huc pertinent monumenta, bases *Caracallae* a. 212 in castello *Saalburg* reperta Homburgensis (Bramb. 1424) et a. 215 male habita Mogontiacensis (Bramb. 1322), arae duae *Iovis Iunonis reginae genii loci* Stuttgartenses (Bramb. 1575 1576), litterarum forma non multum differunt. Rudioribus, ut expectaveris, utuntur columnae miliariae *Severi* Altaripana in museo Spirensi servata (Bramb. 1945) atque *Caracallae* Coloniensis (Bramb. 1934) et Wirtembergenses (Bramb. 1959 1961).

Elagabali unum proferre potui titulum miliarii non sine cura, sed formis minime pulchris incisum atque repertum ad Aquas Aurelias (n. 625); conferantur cum eo similes miliariorum tituli a. 213 (Bramb. 1962) et a. 220 (Bramb. 1938); Wirtembergensem a. 221 (Bramb. 1609) non novi. Alexandri complures in terris Rhenanis servati sunt. Quorum nonnulli, veluti Bonnensis sacer (n. 626), Viconovani duo publici (n. 631 632 cum aequali indidem proveniente Bramb. 1444), Batavus sacer (n. 634) aliquanto melius incisi sunt; reliqui, miliarium Wirtembergense (n. 627, cui admodum simile est monumentum Sumelocennense Bramb. 1633), Batavus votivus (n. 628) eiusdemque anni sacri duo Wirtembergensis et Mogontiacensis (n. 629 630) et tertius e Castris Veteribus (n. 633) male, omnium pessime et exiguis litteris Aurelianensis a. 232 (n. 635) scripti sunt. Exempla meliora praeterea sequuntur Aurelianensis paullo vetustior a. 222 (Bramb. 1551) et a. 223 ad murum castelli limitaris alicuius Nassoviensis pertinens (Bramb. 1549). Contra titulo rudibus litteris scripto *bonum eventum eq(uitum) leg(ionis) XXII pr(imigeniae) p(iae) f(idelis)* duo *q(uon)d(am) cives Sumel(ocennenses)* honoraverunt Mogontiaci a. 231 (Bramb. 1034). Reliqua Alexandri monumenta, fragmenta musei Wiesbadensis a. 224 (Bramb. 1499) et Mogontiacense a. 225 (Bramb. 1039), aras eiusdem musei ex Castello Mattiaco a. 226 (Bramb. 1318), Mogontiacenses a. 227 (Bramb. 1060) et a. 230 (Bramb. 1027), denique miliarium a. 222 musei Caroliruhensis (Bramb. 1957), sprevi. Aetatis Maximinorum duo supersunt monumenta, ara magna *deae Virtutis Bellonae* a. 236 musei Mogontiacensis (Bramb. 1336) et miliarium Darmstadiense a. 235 (Bramb. 1963), quae vidi ambo neque vero hic exhibenda putavi.

Temporibus et loco coniuncti sequuntur e castello prope Niederbieber prodeuntes tituli quattuor (n. 636—639): duo eorum a. 239 tam parvis litteris scripti sunt, ut vix locum habeant inter monumenta (arula eiusdem generis a. 246 minimis litteris scripta infra recensebitur inter acta), duo reliqui aetatis quidem incertae, sed scripturae non multum diversae, maioribus alter (n. 639), alter parvis (n. 638) scripti sunt. Ceterum non multo meliores litteras habent arae eodem a. 239 positae Altae Ripae servata in museo Spirensi et in Castris Veteribus reperta, item

a. 242 e Castello Mattiaco eruta, quas exhibui (n. 640 641 642), neque arula Lupoduni c. a. 249 *Genio opt(ionum) coh(ortis) III Aquit(anorum) Philippianae* dedicata (annal. Bonnens. XLVI a. 1869 p. 164) admodum laudabiliter scripta est. Tabulam in castello Wirtembergensi Jagsthausen *imperantibus Philippis*, ut videtur, positam (Bramb. 1608), non vidi.

Quae ad alteram saeculi tertii partem spectant, ara Rigomagensis a. 250 (n. 643), Bonnensis a. 252 (n. 644) non multum differunt a praecedentibus; tamen quaedam iam in eis comparent formae (veluti R et E) aetatis sequioris. Convenit fere cum illis miliarium *Decii* Altaripanum (Bramb. 1946 quod vidi; Argentoratense *Hostiliani* Bramb. 1953 periit); deteriores magis magisque hic quoque sunt *Valeriani et Gallieni* tituli, qui sunt miliarii mutili musei Spirensis (Bramb. 1947 1948), itemque *Aureliani* (Bramb. 1939). Contra insigne aetatis illius monumentum Treveris extat titulus *M. Piaonii Victorini tribuni pretorianorum* opere tessellato pavimento insertus, quem olim rettuli ad Victorinum illum qui postea imperavit (Bramb. 776).

Saeculi ad finem vergentis artem labentem illustrant *Taciti et Floriani* tituli, quos exhibui (n. 645 646); simili neglegentia incisae sunt columnae miliariae *Numeriani* a. 283 (Bramb. 1943) *Carini* a. 284 (Bramb. 1949) *Diocletiani* a. 285 (Bramb. 1950). Basis *Diocletiani et Maximiani liberorumque* Bonnensis a. 295 in museo Coloniensi servata (Bramb. 467) adeo detrita est, ut repraesentari non potuerit. Seriem claudere licuit monumento simili, quamvis mutilo et ipso, quod aliquanto melius sculptum est quam reliqua: ara Mogontiacensi *Diocletiani Maximiani et liberorum* (n. 647), cuius litterae testimonium videntur esse imperii ea aetate ubique reviviscentis.

Inter annorum incertorum, sed saeculi omnino tertii monumenta in regionibus illis, ut dixi, satis frequentia non pauca sunt, quae cuinam potissimum saeculi eius parti tribuenda sint dubitaveris. In Colonia Agrippinensi reperta est servaturque ibi in museo basis non magna *Soli Serapi cum sua cline in h(onorem) d(omus) d(ivinae) a Dextrinia Iusta L. Dextrinii Iusti filia Agripp(inensi)* dedicata (Bramb. 330); scripta est litteris tam bonis, ut saeculi secundi esse crederetur, nisi ramuli palmae versu tertio (IN · H · D · D) appicti ipsumque argumentum ad tertium ducerent. Bonis deinde pro aetate illa litteris sculpti sunt tituli aliquot honorarii, veluti quos supra memoravi *Venidii Rufi* et *Caerellii Polittiani* Bonnensis et Coloniensis; similis illis est Mogontiacensis *Cl(audii) Aelii Pollionis leg(ati) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) G(ermaniae) s(uperioris)* a *b(ene)f(iciariis) co(n)s(ularis) G(ermaniae) s(uperioris)* positus *praesidi integerrimo* (Bramb. 982); erit saeculi tertii fere medii. Eiusdem fere aetatis vel paulo vetustior videtur esse basis marmorea Bonnensis *praesidis* alicuius *Germaniae inferioris*, cuius nomen deletum est (Bramb. 453). Inter sacras memoro propter artem non prorsus spernendam aram *Neptuni* cum dei anaglypho Aquensem (Bramb. 1668) et *Mercurii* in vicinia effossam (Bramb. 1674), in museo Caroliruhensi servatas; deinde Wirtembergensem *Campestrium* in museo Stuttgartensi (Bramb. 1585), item musei Mannhemiensis e vicis Badensibus collectas *Mercurii* (Bramb. 1724), *deae Viroddi* (Bramb. 1726), *dei Taranucni* (Bramb. 1812), denique *deae Maiiae* musei Spirensis (Bramb. 1835); quas vidi omnes. Etiam inter minoribus litteris scriptas plerasque sacras quaedam excipiendae sunt a reliquarum neglegentia et barbarie, veluti *ara Semelae* ad taurobolia spectans Coloniensis ibi in museo servata (Bramb. 313) et *dearum Quadrubiarum* Badensis musei Mannhemiensis (Bramb. 2061). Rudibus litteris et, ut dixi, ad vulgarem scripturam vergentibus permulta monumenta inscripta sunt tam sacra quam sepulcralia: ex sacris indico propter litterarum quamvis malarum magnitudinem duas Badenses musei Caroliruhensis, alteram Leonensem *Minervae et Herculis* (Bramb. 1700), alteram Altaripanam *Iovis optimi maximi* musei Spirensis (Bramb. 1788), cuius versus tres quattuorve ultimi aegre intelleguntur; tam barbare scripti sunt. Restant tituli sepulcrales aliquot memorandi. Rari inter eos sunt huius aetatis scripti litteris magnis, quamvis non pulchris, veluti fragmentum Coloniense *C. Iulio Sperato fratri obito* positum (Bramb. 374); inter minoribus litteris scriptos aliquanto plures litteris scripti sunt non admodum malis et curiose incisis, veluti Batavus (Bramb. 129), Borbitomagenses aliquot (Bramb. 903 912), Mogontiacenses non pauci, praecipue carminibus ornati. Plurimi vero ut barbare concepti ita male et neglegenter sculpti sunt, etiamsi partim leguntur in sarcophagis magnis, partim sub imaginibus defunctorum anaglyphis et ipsis arte rudi factis. Ut sermonis indiciis (praenominibus omissis, *defunctus* vocabulo et similibus) et formulis, ita ipsa forma lapidum vel sarcophagorum et anaglyphorum arte tertii saeculi monumenta Mogontiacensia (ut Bramb. 920 922 924) Treverensia Coloniensia distinguuntur; utuntur plerumque litteris illis latis et crassis, de quibus iam dixi. Memoro propter formas litterarum non malas titulos Treverenses duos, alterum positum *ob memoriam custodiendam adq(ue) propagandam magistror(um) c(ivitatis) Tr(everensis)* (Bramb. 769), quem saeculi tertii exeuntis ineuntisve quarti esse putaverim, et prope Igel vicum repertum saeculi tertii medii *Maiorii Ianuarii* (Bramb. 833), Mogontiacensem *Togii Statuti militis numeri exploratorum Divitiesium Antoninianorum* (Bramb. 1237), qui cuius aetatis sit ipse indicat. Tria illa exempla qui comparaverit, intra saeculi spatium non magnopere mutatas esse litterarum formas intelleget; quod etiam docent exempla quae sequuntur.

601 Luguduni, basis magna marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).

BONAE·MENTI·AC·R 0,040
DVCI FORTVNAE·RED 0,035
HIBITA·ET·SVSCEPTA
PROVINCIA

Bonae Menti ac r[e]|duci Fortunae red|hibita et suscepta | provincia | T. Flavius Secundus Philipp[ia]|nus v(ir) c(larissimus) leg(atus) Aug(ustorum) prov(inciae) Lug[ud(unensis)], | leg(atus) leg(ionum) I M(inerviae) et XIIII gem(inae), all(ectus) | inter praetorios tribunici|os quaestorios, trib(unus) militum | leg(ionis) VII gem(inae) cum Iulia Nepotil|la c(larissima) f(emina) sua et T. Fl(avio) Victorino Phi|lippiano c(larissimo) i(uvene) trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V Ma|ced(onicae) et T. Fl(avio) Aristo Ulpiano c(larissimo) p(uero) lec|to in patricias familias | aram constituit ac dedicavit

Boissieu *inscr. de Lyon* p. 65 vv. 1—4.

---

602 Burdigalae, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 224

TVTÉLÁE 0,056
AVG
C·OCTÁVIVS 0,048
VITÁLIS

EX·VÓTÓ POSV 0,042
IT
L·D · EX · DD
DEDIC·X·K·IVL·IVLIAN 0,030
II·ET·CRISPINO·CÓS 0,018


Tutéláe | Aug(ustae) | C. Octávius | Vitális | ex vótó posu|it | l(oco) d(ato) ex d(ecreto) d(ecurionum); | dedic(ata) X k(alendas) Iúl(ias) Iuniano | II et Crispino có(n)s(ulibus)

Caumont *bulletin monumental* 1842 p. 253 integra. P. Charles Robert *bulletin épigraphique de la Gaule* I 1881 p. 163 delineatam dat integram accurate, sed modulo nimis exiguo. Consules sunt anni s. s.

603 Apud Viducasses (*Vieux*) in Aremorica, basis magna marmorea; in castello *Thorigny* (⅓).

a. 238

v. 1 0,023 v. 2 0,073



0,027

0,022

0,023

In antica (versus 30): *T. Sennio Sollemni Sollem|nini filio* ...... sequuntur versus duodecim | *amicus Ti. Claudi Paulini leg(ati) Aug(usti) pro|vinc(iae) Lugd(unensis) et cliens fuit* ... sequuntur versus septem *adsedit etiam in provincia Lug|dunense M. Valerio Floro trib(uno) mil(itum) leg(ionis) III Aug(ustae)]* | *iudice arcae ferrar(iarum)* | *tres prov(inciae) Gall(iae)* | *pr* ...... *sua volunt(ate) posuerunt.* | *Locum ordo civitatis Viducass(ium) liber(orum) ded(it), p(osita) XVII k(alendas) Ian(uarias) Pio et Proculo co(n)s(ulibus)*

In latere sinistro (versus 20): *exemplum epistulae Claudi* | *Paulini leg(ati) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Lu|sitaniae ad Sennium Sollem|nem sac(erdotem) ad aram Romae et Aug(usti)* sequitur epistula

In latere dextro (versus 32): *exemplum epistulae Aedini* | *Iuliani praef(ecti) praetor(io)* | *ad Badium Cominianum* | *proc(uratorem) et vice praesidis agentem* sequitur epistula, in qua inter alia haec leguntur *Sollemnem istum oriundum* | *ex civitate Viduc(assium) sacerdot(em), quem propter sectam gravitatem(que)* e. q. s., deinde *Sollemnis iste meus proposito eorum* | *restitit,* postea *is certus honoris mei erga se* | *ad videndum me in urbem venit* sequuntur versus tres

Creuly *mémoires de la société des antiquaires de France* a. 1876 p. 27 ss.

---

604 Aquis Neriis (*Néris*), epistylium ex lapide calcareo; servatur ibi (⅓).



0,074

0,056



0,074

0,056


...*io deo V*.... | ... *Rom(ae) et Aug(usti)* ....

... *usq(ue) b* ...... | ... *que flam* ....

Caumont *bulletin monumental* a. 1871 p. 600.

605 Lactorate, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).

a. 241



0,027

Pro salute imp(eratoris) M. | *Antoni Gordiani* | *Pii Fel(icis) Aug(usti) et Sa|biniae Tranquil|linae Aug(ustae) toti|usq(ue) dom(us) divi|nae proq(ue) statu* | *civitatis Lactoraten(sium)* | *tauropolium fe|cit ordo Lact(oratensium)* | *d(omino) n(ostro) Gordiano* | *Aug(usto) II et Pompeiano co(n)s(ulibus)* sequuntur versus quattuor


Mémoires de la société des antiquaires de France XIII 1837 p. 121 ss. tab. III 14 vv. 1—7.

---

606 Lactorate, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).

a. 241


a



0,037

0,018

b



0,037

0,040

0,026


Iunia Domi|tia tauro|pol(ium) accepit | *hostiis su|is sacerdote* | *Traianio Nu|ndinio d(omino) n(ostro) Gor|diano II et Po|mpeiano co(n)s(ulibus)* | *VI id(us) Dec(embres)*

Pom(ponia) Flora | *tauropoliu|m accepit h|ostiis suis sa|cerdote Tra|ianio Nun|dinio d(omino) n(ostro) Gor|diano II et Po|mpeiano co(n)s(ulibus) VI id(us) De(cembres)*

Mémoires (ut n. 605) tab. III 3 vv. 7—10 et tab. III 13 vv. 7—9.

---

607 Lactorate, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{3}$).



0,020

0,018


0,016

0,007

Sacr(um) | *m(atri) m(agnae)* | *Aprilis Repenti|ni fil(ius) et Satur|nina Taurini* | *fil(ia) tauropoli|um acceperunt* | *sacerdote* | *L. Accio Rem(o)* | *hostiis* | *suis*

Mémoires (ut n. 605) p. 153 integra.

608 Luguduni, basis marmorea; ibi in museo (1/5).



0,032
0,025


C. Furio Sabinio Aquilae | Timesitheo proc(uratori) prov(inciae) Lugud(unensis) et | Aquit(aniae), proc(uratori) prov(inciae) Asiae, ibi vice XX (vicesimae) | et XXXX (quadragesimae), itemq(ue) vice proco(n)s(ulis), proc(uratori) | prov(inciarum) Bithyniae Ponti Paphlagon(iae) | tam patrimoni quam rat(ionum) privatar(um), | ibi vice proc(uratoris) XXXX (quadragesimae), item vice proc(uratoris) | patrimon(ii) prov(inciarum) Belgic(ae) et duarum | Germaniar(um), ibi vice praesid(is) prov(inciae) | German(iae) inferior(is), proc(uratori) prov(inciae) Sy|riae Palaestinae, ibi exactori reli|quorum annon(ae) sacrae expeditio|nis, proc(uratori) in urbe magistro XX (vigesimae), | ibi logistae thymelae, proc(uratori) prov(inciae) | Arabiae, ibi vice praesid(is) bis, proc(uratori) | ration(um) privat(arum) per Belgic(am) et duas | Germ(anias), praef(ecto) coh(ortis) I Gallic(ae) in Hispan(ia) | C. Atilius Marullus Arvern(us) | et C. Sacconius Adnatus Me|diomatr(icus) patrono optimo

Henzen 5530 vv. 1. 2 et 18—20.

---

609 *Treteau* (*dép. de l'Allier*), columna miliaria; servatur *Moulins* in museo (1/4).

a. 275




0,035–0,040

Imp(eratori) Cesari L. D[o]|metio Aurelian|o M(agno?) Germanico, | tribunicie p(otestatis) V, co(n)|s(uli) III, p(atri) p(atriae) Clar LXXXV

Tadet *voies* p. 11 integra. V. 1 extr. v in lapide dicitur esse; in ectypo o fortasse supra aperta esse visa est.

---

610 Viennae, ara parva ex lapide calcareo; ibi in museo (1/6).




0,036

Deo Sucello | Gellia Iucund(a) | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

CIL XII 1836 integra.

611 Augustoduni, miliarium; ibi in museo ($\frac{1}{3}$).



0,020


.... *[ab]* | *Autessioduro* | *[L]XVI Siduo m(ilia) p(assuum) X[XIIII]; ab* | *Autessioduro* | *[LXX]II Intaranum m(ilia) p(assuum) XX[XIII]; ab* | *Autessioduro* | *sic* | *Odouna* | *Intaranum* | *[L]XXX; Intar[anum] m(ilia) p(assuum) XLV; a* | *Nevirno* | *sic* | *Massava* | *Intaranum*

E. Desjardins *table de Peutinger* (Parisiis a. 1869—1875 fol.) p. 25 vv. 4—8.

---

612 Mogontiaci, ara ex lapide arenario; in museo Mannhemiensi ($\frac{1}{5}$).

a. 196



0,027


Deae Diane | *C. Lucilius* | *Messor mil(es)* | *leg(ionis) XXII pr(imigeniae) f(idelis)* | *cus(tos) basil(icae)* | *Dextro et* | *Prisco co(n)s(ulibus)*

Brambach 1134 vv. 6. 7. Consules sunt anni s. s.

---

613 *Roomburg* apud Batavos, tabula ex lapide calcareo; ectypum gypseum est in museo Leidensi ($\frac{1}{3}$).

a. 196/98



0,055

0,052


Imp(erator) Caes(ar) L. Septimius Seve[r]|us Aug(ustus) et M. Aurelius Antonin|us Caes(ar) coh(ors) XV vol(untariorum) arma|mentarium vetustate conla|bsum restituerunt sub Val(erio) Pu|dente leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) curante Caecil(io) Batone pre(fecto)

Brambach 6ª vv. 1. 2.

---

614 *Roomburg*, tabula magna lapidea; in museo Leidensi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 198 et 209




0,074

Imp(eratores) Caes(ares) L. Septimius Severus Pius Pert[inax et] | *M. Aurellius Antoninus Aug(usti)* .... | *Antoninianoru* | *numero expl(oratorum) Bat(avorum), cur(atore) co(hortis) Q. Venidio Ruf(o)* .....

Brambach 7 vv. 1. 2.

615 Mogontiaci, ara ex lapide arenario; in museo Mogontiacensi (1/6).

a. 199



0,042

.... | *et Genio Iuent|utis Voberg|ens(is) T. Genialinius* | *Crescens v(otum) s(olvit) l(aetus)* | *l(ibens) m(erito) Anullino* | *II et Frontone* | *co(n)s(ulibus)*

Brambach 1000 vv. 6—8. Consules sunt anni s. s.

---

616 *Grossbotwar*, qui vicus est in agris decumatibus, basis magna ex lapide arenario; in museo Stuttgartensi (1/8).

a. 201



0,054

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) Apo[lli]ni et Sironae | *aedem cum signis C. Longinius* | *Speratus vet(eranus) leg(ionis) XXII pr(imigeniae) p(iae) f(idelis)* | *et Iunia Deva coniunx et Lon|gini Pacatus Martinula Hila|ritas Speratianus fili in* | *suo posuerunt v(otum) s(olventes) l(aeti) l(ibentes) m(erito) Muciano et Fabiano co(n)s(ulibus)*

Brambach 1597 vv. 2. 3. Consules sunt anni s. s.

---

617 Bonnae, ara ex lapide calcareo; in museo regio Bonnensi (1/8).

a. 201



0,055

0,050


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | *conservatori* | *C. Maximius Pauli|nus praef(ectus) cas|tror(um) leg(ionis) I M(inerviae)* | *v(otum) s(olvit) l(ibens)* [*m(erito)*], | *dedicata III k(alendas) Nov(embres)* | *Muciano et* | *Fabiano co(n)s(ulibus)*

Brambach 481 vv. 8. 9.

---

618 Mogontiaci, ara ex lapide arenario; ibi in museo (1/8).

a. 204



0,032


0,022

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | *Genio Ↄ (centuriae)* | *Volusi Veri* | *Honoratius* | *Clemens mil(es) leg(ionis)* | *XXII p(rimigeniae) p(iae) f(idelis)* | *v(otum) s(olvit) l(aetus) l(ibens) m(erito)* | *Cilone et Libone* | *co(n)s(ulibus)*

Brambach 1025 vv. 2 et 8. 9. Consules sunt anni s. s.

619 *Cattwijk aan Zee*, ubi castra Romana erant; basis magna ex lapide calcareo; ectypum gypseum est in museo Leidensi (1/3).

a. 205



0,065

0,055


[Imp(erator) Caesar L. Septimius S]ever(us) Pius Pert(inax) Aug(ustus) | [............ pont(ifex)] max(imus), tribunicia) pot(estate) XIII[I .... et | M. Aurelius A]ntoninus Pius Au[g(ustus) | ...... restitu]er(unt) milit(es) leg(ionis) I M(inerviae) e[....... | .... Q. V]enidio Rufo

Brambach 2 vv. 1—3.

---

620 Prope *Iversheim* (*Münstereifel*), basis ex lapide arenario, quae olim ara Iovis fuerat; in museo regio Bonnensi (1/4).

a. 205 aut 208



0,027

0,023

0,020

Sub Iulio Cas|tino leg(ato) leg(ionis) I M(inerviae) | cura Petroni | Aquilae Ↄ (centurionis) fur|nus factus ar|val(is) a M. An(nio) Dio|cente [duob(us)] | Augustis co(n)s(ulibus)

Brambach 520 vv. 1—4. Iulius Castinus legatus Daciae fuit a. 217. V. 6 DIOCENTE aut DIOGENTE (pro *Diogene*) in ectypo lego, non DLOCENTE; de Diocletiano cogitari non posse apparet. Duo Augusti consules Caracalla et Geta fuerunt annis s. s.

---

621 In Castello Mattiacorum (*Kastel*), ara ex lapide calcareo; in museo Mogontiacensi (1/6).

a. 208



0,030

0,025


[I(ovi) o(ptimo)] m(aximo) | [Iu]noni re|[gi]nae Aquili|[n]ius Patern|us d(ecurio) c(ivitatis) Matti(acorum) | ex voto posi [sic] | *l(ibens) l(aetus) m(erito); dedicata | k(alendis) Oct(obribus) ter et bis | co(n)s(ulibus)*

Brambach 1313 vv. 8. 9. Indicatur Severi tertius et Caracallae alter consulatus, qui est anni s. s.

---

622 In Castris Veteribus (*Xanten*), basis ex lapide arenario; in museo Leidensi (1/5).

a. 210




0,032

M. Antist(ius) Placidin(us), | M. Ulp(ius) Aspadius, L. | [Iu]l(ius) Victor missi | hon(esta) missione ex | [s]ignifer(is) leg(ionis) XXX d(onum) d(ant) | Faustino et Rufino | co(n)s(ulibus)

Brambach 220 v. 6. Consules sunt anni s. s. V. 7 evanidus est.

623 Mogontiaci, ara ex lapide arenario; ibi in museo (1/5).

a. 210



0,030

0,020


Deo Mercurio | Tib. Iustinius | Ael(ia) Augusta | Titianus b(ene)f(iciarius) | leg(ati) leg(ionis) XXII | et Servandia | Augusta eius | v(otum) s(olverunt) Faustino et Rufino | co(n)s(ulibus)

Brambach 999 vv. 8. 9. Consules sunt anni s. s.

---

624 *Dottendorf* prope Bonnam, ara ex lapide arenario; in museo Coloniensi (1/5).

a. 214



0,034


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) et Genio | loci dis d(eabus)q(ue) | omnibus Aur(elius) | Superinius | Marcus b(ene)f(iciarius) | co(n)s(ularis) pro se | et suis v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | Messala et | Sabino co(n)s(ulibus)

Brambach 513 vv. 8. 9. Consules sunt anni s. s.

---

625 *Steinbach* prope Aquas Aurelias (*Baden*), columna miliaria; in museo Caroliruhensi (1/5).

a. 220/21




0,070

Imp(eratori) Caes(ari) divi | Severi nepoti, di|vi Antonini Mag(ni) | fil(io) M. [Aurelio | Antonino pio felici | Aug(usto), tr(ibunicia) pot(estate)] III, co(n)s(uli) | III, p(atri) p(atriae), proco(n)s(uli) c(ivitas) A(urelia) | A(quensis) ab A(quis) leug(as) IIII

Brambach 1956 vv. 1—3. Elagabali nomina uncis inclusa erasa sunt.

626 *Dedekirchen* prope Bonnam, ara ex lapide calcareo; in museo regio Bonnensi (⅓).

a. 222



0,052

Victoriae Aug(ustae) | C. Publicius C. filius Septimia | Siscia Priscillianus p(rimus) p(ilus) | leg(ionis) I M(inerviae) [Sev(e-rianae) Alex(andrianae)] p(iae) f(idelis) | d(onum) d(edit) dedicante Fl(avio) Apro | Comodiano leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) | et Aufidio Coresino Marcell[o] | leg(ato) leg(ionis) eiusd[em .. k]al(endas) Maias | d(omino) n(ostro) [Sev(ero) Alexandro Au]g(usto) | co(n)s(ule)

Brambach 464 vv. 5. 6.

---

627 *Noettingen* prope *Pforzheim* in agris decumatibus, columna miliaria; in museo Caroliruhensi (⅓).

a. 222



0,060


Im[p(eratori) Caesari divi] Severi Pii | nepoti, divi Antonini Pii | Mag(ni) filio M. Aur(elio) Severo | Alexandro Pio Fel(ici) Aug(usto) | pontific(i) max(imo), tribunicie potes(tatis), | co(n)s(uli), patri patrie civ(itas) Aur(elia) Aq(uensis) | ab Aquis leug(as) | XVII

Brambach 1960 vv. 4. 5

---

628 *Birten* prope Cliviam, ara ex lapide calcareo; in museo regio Bonnensi (⅔).

a. 223




0,017–0,020

In hon(orem) d(omus) d(ivinae) pro | salute imp(eratoris) Severi | Alexandiri [sic] *Aug(usti) deo | Apollini Dyspro Lu(nae) S|oliq(ue) de(is) milites leg(ionis) | XXX U(lpiae) v(ictricis) p(iae) f(idelis) sub cura | agent(ium) T. F(lavii) Apri Com|-modiani leg(ati) Aug(usti) p(ro) p(raetore) et | Cannuti Modesti leg(ati) | leg(ionis) Sept(imius) Mucatra | imag(inifer) et Sept(imius) Gallus | et Sept(imius) Mucatra et | Sept(imius) Deospor et Sept(imius) | Sammius et [ϵ] Sept(i-mius) Mucatra | candidati v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito) | Maximo it(erum) [e]et Aeliano | co(n)s(ulibus)*

Brambach 151 vv. 7—10 et 16. 17.

629 *Cannstadt* in agris decumatibus, ara ex lapide calcareo; in museo Stuttgartensi (1/8).

a. 223



0,045-0,048


In h(onorem) d(omus) d(ivinae) I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Genio loci et For|tunae dis deabus|que Emeritius | Sextus miles | legionis XXII | pr(imigeniae) p(iae) f(idelis) Severia|nae b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) pro | se et suis posu|it v(otum) s(olvens) l(ibens) l(aetus) m(erito) | Maximo et | Aeliano co(n)s(ulibus) | idibus Ianu|aris

Brambach 1574 vv. 11. 12.

---

630 Mogontiaci, ara ex lapide arenario; ibi in museo (1/6).

a. 223



0,036

Deo Marti arm(igero?) | Iulius Emeri|tus mil(es) leg(ionis) VIII | Aug(ustae) | Severianae | [Alexandrianae] | exactus co(n)s(ularis) dedicata a(nte) [d(iem)?] | XIII k(alendas) Maias | Maximo et | Aeliano co(n)s(ulibus) | v(otum) s(olvit) l(ibens) l(aetus) m(erito)

Brambach 996 vv. 9. 10.

631 In Vico novo (*Heddernheim*), ara ex lapide calcareo; in museo Wiesbadensi (1/6).

a. 229



0,045
0,037


In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | plat(eam) praetor(ii) | aram qui | et genium | Sattonius Gratus d(onum) d(edit) | imp(eratore) [Alex(andro)] Aug(usto) | III et Dione co(n)s(ulibus)

Brambach 1446 vv. 6. 7.

---

632 In Vico novo (*Heddernheim*), ara ex lapide calcareo; in museo Wiesbadensi (1/4).

a. 230




0,022

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | Genium plateae novi vi|ci cum edicula et ara | T. Fl(avius) Sanctinus mil(es) leg(ionis) XXII | p(rimigeniae) [Alex(andrianae)] p(iae) f(idelis), imm(unis) co(n)s(ularis), et Per|petuus et Felix fratres c(ives) | R(omani) et Taunenses ex origi|ne patris T. Fl(avii) Materni ve|terani coh(ortis) III praet(oriae) piae | vindicis et Aurelia Am|mias mater eorum c(ivis) R(omana) d(onum) d(ant) | Agricola et Clementino co(n)s(ulibus)

Brambach 1444 vv. 2. 3 et 12. Consules sunt anni s. s.

633 *Berthen* prope Castra Vetera (*Xanten*), ara ex lapide calcareo; in museo regio Bonnensi (¼).

a. 230 0,025 0,020




I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Martius | Victor | sig(nifer) leg(ionis) XXX U(lpiae) v(ictricis) | Severianae | Alexandri(anae) | p(iae) f(idelis) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | Agricola et Cle|mentiano co(n)s(ulibus)

Brambach 202 vv. 8. 9. Consules sunt anni s. s.

---

634 *Birten* prope Cliviam, ara ex lapide calcareo cum anaglyphis Iovis et camillorum; in museo regio Bonnensi (⅓).

a. 232 0,027




I(ovi) o(ptimo) m(aximo) conser|vatori Terti|nius Vitalis | mil(es) leg(ionis) XXX U(lpiae) v(ictricis) S(everianae) A|l(exandrianae) lib(rarius) praef(ecti) pro se | et suis v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | VI kal(endas) Maias | Lupo et Maximo co(n)s(ulibus)

Brambach 146 vv. 1—3.

---

635 In vico Aurelio (*Oehringen*) ad limitem Germanicum, basis parva ex lapide calcareo; in museo Stuttgartensi (⅓).

a. 232 0,018




[I]n h(onorem) d(omus) d(ivinae) vicanis Aurel(ianis) si|gnum Minervae suo | impendio restituit Faus|tius Faventinus quaestor | Lupo et Maximo co(n)s(ulibus)

Brambach 1561 vv. 1. 2. Consules sunt anni s. s.

---

636 In castello prope *Heddesdorf* et *Niederbieber*, arula parva lapidea; in museo ducis *de Wied* (⅔).

a. 239 0,020




In h(onorem) d(omus) d(ivinae) Genio vexillar(iorum) et | imaginif(erorum) Attianus Coresi(nus) vex(illarius) | Fortionius Constitutus | imag(inifer) signum cum edicla | et tabl(am) marmoream d(onum) d(ederunt) d(edicaverunt) | imp(eratore) d(omino) n(ostro) Gordiano Aug(usto) et Aviola co(n)s(ulibus)

Brambach 693 vv. 1. 2.

637 In castello prope *Heddesdorf* et *Niederbieber*, anaglyphum parvum Genii lapideum; in museo ducis *de Wied* (2/3).

a. 239




0,010

Idus Octob(res) Genio | hor(rei) n(umeri) Brittonum | A(urelius) Ibliomarius op(tio) fi(sci?) | v(otum) s(olvit) posittum quinta|nesis positu [sic] ....

Brambach 694 vv. 1. 2. Reliqua incertae interpretationis sunt.

---

638 In castello prope *Heddesdorf* et *Niederbieber*, ara parva lapidea; in museo ducis *de Wied* (2/3).




0,018

Genio | tabulari | lib(rariorum) A. Vib(ius) | Mercuri|alis libra(rius) | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

Brambach 695 vv. 1—3. Videtur eiusdem aetatis fere esse atque praecedentes.

639 In castello prope *Heddesdorf* et *Niederbieber*, ara ex lapide calcareo; in museo ducis *de Wied* (1/6).



0,045

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | deo Marti | prestanti | Ulmionis f[i]|lio Donno ...|......... [*curante*]

Brambach 691 vv. 1—3. Saeculi tertii fere medii esse litterarum formae indicant, cf. n. 636. 637.

---

640 Altae Ripae (*Altripp*), ara ex lapide calcareo; in museo Spirensi (1/3).

a. 239



0,068

0,064

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | Iun(oni) reg(inae) Reg|inius Potens | v(otum) s(olvit) X k(alendas) Oct(obres) | Gordiano | Aug(usto) et Aviola | co(n)s(ulibus)

Brambach 1789 vv. 5. 6.

641 In Castris Veteribus (*Xanten*) aut prope Cliviam reperta, ara ex lapide calcareo cum anaglyphis trium deorum, in lateribus camilli sunt; servatur in museo regio Bonnensi ($\frac{1}{6}$).

a. 239



0,030


I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Iunoni regine | Minervae T. Quartini|us Saturnalis signi|fer leg(ionis) XXX U(lpiae) v(ictricis) pro se | et suis v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | [i]mp(eratore) d(omino) n(ostro) Gordiano et Aviola co(n)s(ulibus) kal(endis) Iul(iis)

Brambach 145 v. 6.

---

642 In Castello Mattiacorum (*Kastel*), ara ex lapide arenario cum anaglyphis quattuor deorum; in museo Mogontiacensi ($\frac{1}{6}$).

a. 242



0,035


0,040

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | conservatori | Lic(inius) Tugna|tius Publius | II v(ir) c(ivitatis) T(aunensis) in suo | ut haberet | restituit | Attico et Pr|etextato | co(n)s(ulibus)

Brambach 1310 vv. 8—10. Consules sunt anni s. s.

643 Rigomagi (*Remagen*), ara ex lapide calcareo; in museo regio Bonnensi ($\frac{1}{5}$).

a. 250



0,045

0,050


In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | Arcias Mari|nus sacerdo|s Dolicheni | donum dona|vit equitibus | chortis I F(laviae) De|cio et Grato co(n)s(ulibus)

Brambach 645 vv. 2—4. Consules sunt anni s. s.

---

644 Bonnae, ara ex lapide calcareo; ibi in museo regio ($\frac{1}{5}$).

a. 252



0,017


0,010

0,017

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) I(ovi) o(ptimo) m(aximo) | et Genio loci | dis deabusq(ue) | omnibus aed(em) | Venconius Cr|escens et Iulius | Felix b(ene)f(iciarii) leg(ati) | leg(ionis) I M(inerviae) p(iae) f(idelis) pro se | et suis v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito) kal(endis) | [S]ep(tembribus) imp(eratoribus) d(ominis) n(ostris) Ga[l|l]o et Volusiano | [A]ug(ustis) co(n)s(ulibus)

Brambach 500 vv. 10—12.


645 Mogontiaci, ara ex lapide arenario; ibi in museo (1/5).

a. 276  0,035

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | *dae Lune* | *Marcellinius* | *Placidinus* | *d(ecurio) c(ivium) R(omanorum) Mog(ontiacensium)* | *et Martinia* | *Martiname* | *ex voto p(osuerunt) l(ibentes) l(aeti)* | *Tacito et Aemi*|*liano co(n)s(ulibus)* | *[k]al(endis) Ian(uariis)*

Brambach 1130 vv. 9. 10.


646 Coloniae Agrippinae, columna miliaria; in museo regio Bonnensi (1/8).

a. 276  0,058

[Imp(eratori) Caes(ari) M. An]|*nio Floria[no]* | *[P]io [F]elici in[vi]*|*ct(o) Aug(usto) po[nt(ifici)]* | *[m]ax(imo), trib(unicia) po[t(estate)* | *p(atri)] p(atriae) proco(n)s(uli)* .....

Brambach 1964 vv. 2. 3.

647 Mogontiaci, ara ex lapide calcareo; in museo Mannhemiensi (1/6).

a. 303  0,044

In h(onorem) [d(omus) d(ivinae) Iovi et] | *Iunoni r[eginae et]* | *Minervae [dis dea]*|*busque im[perii?] pro* | *salute et in[columitate]* | *d(ominorum) nostro[r(um) Diocletiani et]* | *Maximian[i invict(orum)]* | *Augustoru[m et Constantii]* | *et Maximia[ni nob(ilissimorum) Caes(arum)* | *civitas Mog[ontiacensis* | *A]urelio* reliqua incerta

Brambach 1281 vv. 6—9.

III

MONVMENTA BRITANNIAE

Tituli saeculi tertii in Britannia reperti non pauci in universum non multum differunt a Germanicis Gallicisque. Ita e titulis Severi ipsius filiorumque exempla nulla repraesentanda duxi; luculenta imperii eorum specimina habemus titulos ad vallum Hadriani a Severo restitutum castellaque a vallo versus septentriones sita pertinentes (veluti Habitancienses CIL VII 1002 1003 alios). Exhibui *Elagabali et Alexandri* Cilurnensem a. 221 (n. 648), *Alexandri* Netherbyensem (n. 649), *Gordiani* duos (n. 650 651), *aram Mithriacam* Borcoviciensem a. 252 (n. 652), tabulam Iscensem *Valeriani et Gallieni* (n. 653), denique miliarium *Diocletiani* (n. 654). Atque monumenta haec paene omnia ex septentrionalibus insulae regionibus provenire, in quibus multo plura omnino reperta sunt quam in meridionalibus, mirum non est; Iscense unum (n. 654) ex Silurum regione versus meridiem et occidentem sita profectum aliquantum a reliquis differt. Ibidem etiam alia quaedam labentis aetatis monumenta reperta sunt, veluti *templi Dianae* titulus a *T. Fl(avio) Postumio Varo v(iro) c(larissimo)* positus (CIL VII 95); sed litterae eius evanidae sunt.

E reliquis sacris sepulcralibusque aetatis eiusdem, sed anni certi notis carentibus nullus visus est exhibendus esse, quamquam non carent proprietate quadam palaeographica: multi eorum scripti sunt litteris pravis, quarum infra alio loco quaedam proferentur exempla.

648 Cilurni (*Chesters*), in statione ad vallum Hadriani, tabula magna lapidea; servatur ibi apud Ioh. Clayton. Ex imagine Brucii (c. 1/8).

a. 221



0,048


Imp(erator) Caes[ar M.] Aurel(ius) [Antoninus Pius Felix] | Aug(ustus), summus sacerdos dei Solis Elagabali? | pontif(ex) max(imus), tr]ib(unicia) p(otestate) IV, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae), divi [Antonini Magni filius], | divi Sever(i) nep(os), [et] M. [Aurelius Alexander nobilissimus] | Caesar imper(ii) [heres ....] | alae II Astur[um ....] vetustat[e conlapsum restitu]|erunt per Marium Valeria[num leg(atum) Aug(usti) pr(o) pr(aetore)], | instante Septimio Nilo praef(ecto) [eq(ui-tum)], | dedicatum III kal(endas) Novem(bres) Grato et Sele[uco co(n)s(ulibus)]

CIL VII 585 vv. 8. 9.

---

649 *Netherby*, in castello a vallo Hadriani versus septentriones sito, tabula marmorea; servata ibi. Ex imagine Brucii (c. 1/8).

a. 222



0,032

Imp(eratore) Caes(are) M. Aurelio | Severo Alexandro Pio Fel(ice) Aug(usto), | pont(ifice) maximo, tr[i]b(unicia) pot(estate), co(n)s(ule), p(atre) p(atriae), coh(ors) I Ael(ia) | Hispanorum ∞ (miliaria) eq(uitata) devota numini | maiestati-que eius baselicam | equestrem exercitatoriam iam pridem a solo coeptam | aedificavit consummavitque | sub cura Mari Vale-riani leg(ati) | Aug(usti) pr(o) pr(aetore), instante M. Aurelio | Salvio trib(uno) coh(ortis), imp(eratore) d(omino) n(ostro) | Severo Alexandro Pio Fel(ice) | Aug(usto) co(n)s(ule)

CIL VII 965 vv. 1. 2.

---

650 *Lanchester*, in castello ad viam Eburaco ad vallum sito, tabula lapidea; extat in bibliotheca cathedralis Dunelmensis; ex imagine Brucii (c. 1/8).

inter a. 238 et 244



0,040


Imp(erator) Caesar M. Antonius | Gordianus P(ius) F(elix) Aug(ustus) | principia et armamen|taria conlapsa restitu|it per Maecilium Fuscum leg(atum) | Aug(usti) pr(o) pr(aetore) curante M. Aur(elio) | Quirino pr(aefecto) coh(ortis) I L(ingonum) Gor(dianae)

CIL VII 446 vv. 1. 2.

---

651 *Papcastle*, in castello non procul a mari Hibernico iuxta Uxellodunum (*Maryport*) sito, basis lapidea; servata ibi. Ex imagine Brucii (c. 1/10).

a. 242



0,070

0,060

.... | leg(ato) Aug(usti) ... | num(erus) Frision|um Aballav|ensium [Alex(andrianorum)?] | XIIII kal(endas) et XIII kal(endas) | Nov(embres) Gor(diano) II et Pompei(ano) | co(n)s(ulibus) et Attico et Pre[t|e]xtato co(n)s(ulibus) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

CIL VII 415 vv. 7. 8. Consules sunt annorum 241 et 242.

652 Borcovicii (*Housesteads*), in statione ad vallum Hadriani, ara ex lapide calcareo; in museo Aelianensi. Ex imagine Brucii (c. $\frac{1}{8}$).

a. 252



0,040


Invicto Mith|rae saeculari | Publ(icius) Proculi|nus Ɔ (centurio) pro se | et Proculo fil(io) | suo v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | d(ominis) n(ostris) Gallo et | Volusiano co(n)s(ulibus)

CIL VII 646 vv. 7. 8.

---

653 Iscae (*Caerleon*), in castello apud Silures, tabula magna lapidea; servatur ibi in museo ($\frac{1}{8}$; v. 3 ex imagine Edwardi Lee).

inter a. 253 et 259



0,060

Imp(eratores) Valerianus et Gallienus | Aug(usti) et Valerianus nobilissimus | Caes(ar) cohorti VII centurias a so|lo restituerunt per Desticium Iubam | v(irum) c(larissimum) leg(atum) Aug(ustorum) pr(o) pr(aetore) et | Vitulasium Laetinianum leg(atum) leg(ionis) | II Aug(ustae) curante Domitio Potentino | praef(ecto) leg(ionis) eiusdem

CIL VII 107 vv. 1—3. Vocabulorum *impp.* et *Augg.* litterae ultimae consulto videntur eradi coeptae esse.

---

654 *Oldwall* prope Luguvallium (*Carlisle*) ad vallum Hadriani, cippus rudis miliarius; extat Luguvallii. Ex imagine Brucii (c. $\frac{1}{8}$).

inter a. 286 et 305



0,048

Imp(erator) Diocletia|nus P(ius) F(elix) Aug(ustus) | semper seni(or) ....

CIL VII 1190 integra.

IV

MONVMENTA HISPANIAE

In Hispaniis saeculi tertii tituli non tam frequentes servati sunt, quam in Illyrico et in Germaniis. Inter Severi ipsius, uxoris filiorumque titulos plerique scripti sunt litteris non proprie monumentalibus, sed quae ad pictarum formam accedant; sunt eius generis exempla, quae proposui, Tuccitana tria, inprimis duo priora, a. 200 et 212 (n. 655—657); altiores etiam et graciliores, pictis omnino aequales titulus habet Isturgitanus a. 198 (CIL II 2124). Cum Tuccitanis fere conveniunt bases Severi Mirobrigensis (CIL II 863) et Vivatiensis a. 203 (CIL II 3343), quarum ectypa vidi aut reportavi; etiam fragmentum tabellae Tarraconensis a. 195, quod vidi, non dissimile est (CIL II 4101); miliarii vero Bracarensis (CIL II 4768 cum 4769) litterae renovatae sunt.

Caracallae aliquot extant tituli maiores scripti litteris monumentalibus non malis, quales habent exempla duo Legionensia a. 216 infra exhibita (n. 658 659); sed eiusdem anni titulus Cordubensis (n. 660) litteras habet pictis illis prorsus similes, quas in inscriptionibus Africanis infra observabimus. E miliariis eius unum tantum vere servatum est Malacitanum a. 214, accurate scriptum, quod vidi (CIL II 4689): duo enim quae praeterea extant Bracarensia renovata sunt (CIL II 4753 4766).

Infeliciter antiquioris aevi scripturam quadratam, altam, rectilineam imitatur basis *Mammaeae* Carthaginiensis, quam exhibui (n. 661); eiusdem Valentina (CIL II 3733) litteras habet valde detritas, sed meliores. Etiam Uliensis *Severi Alexandri* ipsius (CIL II 1533) tam male habita est, ut repraesentari non potuerit; litterarum formae videntur fuisse elegantiores quam reliquorum eiusdem fere aetatis titulorum.


Maximini unum extat miliarium Cordubense permagnum a. 237, quod exhibui (n. 662); scriptura utitur picta Africanis et reliquae Baeticae exemplis non dissimili, sed inaequali. Miliaria Maximini duo Bracarensia (CIL II 4756 4757) renovata sunt.

Gordiani unum vidi in Hispaniis monumentum superstes basim Baetulonensem (CIL II 4606), servatam una cum *Tranquillinae* (CIL II 4607) et *Philippi* (CIL II 4608), quarum tamen ectypa sumere non potui; neque vero eas ita scriptas esse memini, ut eius quam alibi observavimus in titulis Gordiani perfectionis testes esse possint. Quam exhibeo *Tranquillinae* basim Iliberritanam (n. 663), ea et ipsa scripta est litteris ut breviter dicam pictis, sed minime bonis. Eisdem sed elegantioribus scripta est *ara taurobolii* Cordubensis a. 338 (Ephem. epigr. III p. 36 n. 15); similibus *Nemesis ara* item Cordubensis (CIL II 2195). Labentis opificii specimina praebent tituli *Decii*, tam is, quem exhibeo Callensis (n. 664), quam Barcinonensis miliarius *Decii* (CIL II 4957) et basis *Herennii Etrusci* Dertosana (CIL II 4058); nec multo melius sculpta est *Aureliani* basis rotunda Cordubensis, quam propono (n. 665). *Claudii Gothici* vidi bases duas Valentinam (CIL II 3737) et Barcinonensem (CIL II 4505), *Taciti* miliarium Olisiponense (CIL II 4959), *Probi* basim Valentinam paene evanidam (CIL II 3738), satis imperfecte sculptas omnes; cura aliquanto maiore nec sine quadam elegantia incisae sunt tabulae duae Italicenses *Probi* et *Cari*, quas repraesentandas curavi (n. 666 667); *Cari* et *Carini* miliaria Bracarensia (CIL II 4760 4761) renovata sunt. *Magniae Urbicae* Carini uxoris titulus Accitanus (n. 668) ex oppido devio, cuius tituli citerioris Hispaniae incultis magis similes sunt quam ulterioris, eam fere artis infantiam testatur, quam Carthaginiensis supra relatus *Mammeae* (n. 661). Sed locorum discriminibus illis non multum tribuo; puto formas illas ad quadratariorum tantum sollertiam maiorem minoremve referendas esse. Nam aetatis Diocletianae tituli certe Tarraconenses, i. e. ex capite totius provinciae prodeuntes, veluti *Cari* is, cuius exemplum exhibui (n. 669), satis eleganter sculpti sunt. Scriptura non prorsus aequalis, sed similis est in titulo *Carini* ibidem posito anno eodem ab eodem magistratu (CIL II 4103). *Maximiani* unum vidi miliarium Olisiponense satis neglegenter scriptum (CIL II 4960). *Constantii* vero tituli duo Baetici, Cordubensis alter pessime scriptus, quod tamen aliqua ratione in eo excusari potest vel certe explicari (n. 670), alter Olaurensis (n. 671) elegantiam aliquam frustra affectans, artem quadratariam ibi quoque magis magisque defecisse probant.


Saeculi tertii titulos, sed annorum incertorum, non multos in Hispaniis vidi propter scripturae proprietatem valde memorabiles. In Baetica potissimum meridionali tabellae sepulcrales non rarae sunt, militum pleraeque vel tenuioris condicionis hominum, quae scripturae neglegentia Italicas eiusdem generis, veluti Misenenses, aequiperant. Sunt eius generis tituli Italicenses satis multi: e. c. *militis cohortis III Gallorum* (CIL II 1127), *servi stationis serrariorum Augustorum* (CIL II 1131), privatorum varii (CIL II 1146 1156 alii). Peculiare scripturae genus est in titulo Baetico non procul ab Hispali ad Baetim reperto *M. Accennae M. f(ilii) Gal(eria) Helvii Agrippae praetorii* (CIL II 1262), quem probabile est saeculi tertii ineuntis esse. Vitiose conceptus est et scriptus litteris exiguis paene actuariis (altae sunt 0,020), inaequalibus, lineis male directis in tabella parva a geniis duobus alatis sublevata; elegantiam quandam provincialem litterae affectant. In septentrionalibus provinciae citerioris oppidis, Asturicae, Legione, Pallantiae, Larae tituli sepulcrales extant extabantve barbari, qui cuinam saeculo tribuendi sint difficile dictu est: solent quarto quintove adscribi, sed mihi non ultra tertium descendere visi sunt. Eorum litteratura ut varia est et saepe imperfecta — nam partim anaglypha addita quadratarii aliquod sane artificium evincunt, partim ne ex officina quidem quadratarii videntur profecta esse —, ita ad certam artis normam referri nequit; exempla proferre inutile visum est. Adeo enim inter se differunt, ut ex uno alterove exemplo proposito non multum discatur.

655. 656 Tucci in Baetica, bases duae marmoreae; extant ibi in muro carceris (1/8).

a. 200

655 

0,032

656 


Iuliae Aug(ustae) matri | castrorum res | publica Tucci-ta|norum d(onum) d(edit) p(ublice)

Imp(eratori) Caesari M. Aurelio | Antonino Aug(usto) L. Septimi | Severi Pii Pertinacis | Aug(usti) Arabici Adiabe-nici | Parthici maximi pa|catoris orbis filio d(onum) d(edit) res publica | Tuccitanorum

CIL II 1668 1669 vv. 1. 2.

657 Tucci, basis marmorea; ibi in muro carceris (1/8).

a. 212



0,032

Imp(eratori) Caes(ari) divi Sep|timii Severi Pii | Ara-b(ici) Adi[a]b(enici) Part(hici) max(imi) | Brit(annici) m(aximi) filio, divi M. | Antonini Pii Ger(manici) Sarm(atici) | nepoti, divi Antonini | Pii pronepoti, divi Hadria|ni abnepoti, divi Traia|ni Part(hici) et divi Nervae | adnepoti | M. Aurelio Antonino | Pio Aug(usto), | Parthic(o) max(imo), Brit(annico) | max(imo), pont(i-fici) max(imo), trib(unicia) pot(estate) | XV, imp(eratori) bis, co(n)-s(uli) [III], p(atri) p(atriae), | pacatori orbis, | res pub(lica) Tuc-citanor(um) | d(onum) d(edit)

CIL II 1671 vv. 1. 2.

658 Legione, basis magna marmorea; ibi in museo (1/8).

a. 216



0,050
0,045
0,042


In antica: *Imp(eratori) Caesari | M. Aurelio Anto|nino Pio Feli|ci Aug(usto), Parthic(o) max(imo), Brit(annico) max(imo), | German(ico) max(imo), pontif(ici) max(imo), tri-b(unicia) pot(estate) XVIIII, | co(n)s(uli) IIII, imp(eratori) III, p(atri) p(atriae), proc(onsuli) | equites in his | actarius | leg(ionis) VII gem(inae) | Ant(oninianae) p(iae) f(elicis) de|-voti numini | maiestatiq(ue) eius*

In latere: *dedicat(a) | VII k(alendas) Oct(obres) | Cattio Sa-b(ino) II et Cor(nelio) | Anullino | co(n)s(ulibus)*

CIL II 2663 vv. 1—3. Consules sunt anni s. s.

659 Legione, basis marmorea; extat Valladoliti in museo provinciali (1/6).

a. 216




0,026

[I(ovi) o(ptimo) m(aximo)] Iunoni regina[e] | pro salute ac im-p[erii] | diuturnitate [imp(eratoris)] | M. Aurelli Antonini | Pii Fel(icis) Aug(usti) et Iuliae | Piae Fel(icis) Aug(ustae) matris | Antonini Aug(usti) cas|trorum senatus | ac patriae | C. Iul(ius) Cerealis co(n)s(ularis) leg(atus) | Aug(usti) pr(o) pr(ae-tore) pr(ovinciae) H(ispaniae) n(ovae) c(iterioris) Anto-ni|nianae post divission(em) | provinc(iae) primus ab eo m[is-sus]

CIL II 2661 vv. 10—12.

660 Cordubae, tabula marmorea; extat ibi inserta muro domus privatae (1/4).

a. 216



0,016


0,037

[-. Fabio M. fil(io) Gal(eria) .....]do, | [flam]ini divor(um) Aug(ustorum) | provinc(iae) Baet[icae]; | huic consummato hono[re flam]oni | Cattio Sabino II Cornel(io) Anullino co(n)s(ulibus) | consensu concili universae prov(inciae) Bae-t(icae) | decreti sunt honores quantos quisque maximos plurimosque flamen est | consecutus cum statua; | M. Fab(ius) Basi-leus Celt(itanus) pater | honore accept(o) impens(am) remisit

CIL II 2221 vv. 5. 6 et 9.

661 In Carthagine nova, basis marmorea statuae, quae et ipsa servata est; ibi in pergula aedium publicarum (1/8).

inter a. 222 et 235



0,060


Iuliae Avitae | *Mameae Aug(ustae),* | *matri domini* | *n(ostri) sanctissimi* | *imp(eratoris) Severi Ale|xandri Pii Fe|licis Aug(usti) et* | *castrorum et* | *senatus et pa|triae et univer|si generis humani conven|tus Karthag(iniensis)*

CIL II 3413 v. 1—3.

---

662 Cordubae, columna miliaria viae Augustae; extat ibi in palatio episcopali (1/8).

a. 237



0,120
0,060
0,055
0,040


Imp(erator) Caesar | *C. Iulius Verus* | *Maximinus Pius Felix* | *Aug(ustus), pontifex maximus, Germa[ni]cus* | *maximus, Dacicus* | *maximus, Sarmaticus* | *maximus, tri[b]uniciae potest(atis)* | *III, imp(erator) II, co(n)s(ul) I, p(ater) p(atriae), proco(n)s(ul)* | *et G. Iulius Verus Maximus* | *nobilissimus Caesar,* | *Germanicus maximus,* | *Dacicus maximus,* | *Sarmaticus maximus,* | *filius imp(eratoris) Caesaris* | *G. Iuli Veri Maximini* | *Pii Felicis, restituer[unt]*

CIL II 4731 vv. 1—4.

---

663 Iliberri (*Granada*), columna marmorea, litteris ex parte refectis; extat ibi ante aedes publicas (1/8).

inter a. 241 et 244




0,035
0,033

Furiae Sabiniae Tranquilli|nae Aug(ustae), | *coniugi imp(eratoris) Caes(aris) M. Antonii* | *Gordiani Pii Fel(icis) Aug(usti),* | *ordo m(unicipii) Flor(entini) Iliber|ritani devotus numini maiestatique* | *sumptu publico posuit d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL II 2070 vv. 1—4.

664 Apud Callenses in Baetica, basis marmorea; servatur in museo Hispalensi (1/8).

a. 250



0,060
0,030
0,035


Imp(eratori) Caes(ari) | *C. Messio Q. Traiano* | *Decio Pio Felici in|victo Aug(usto), p(ontifici maxi|mo, p(atri) p(atriae), tribun(icia) potes|tat(e) II, co(n)s(uli) II, proco(n)s(uli)* | *[res] p(ublica) Callensis* | *[de]vota numini* | *maiestatiq(ue) [eius]* | *d(ecreto) d(ecurionum)*

CIL II 1372 vv. 1—3.

---

665 Cordubae, columna marmorea rudis; extat ibi in domo privata (1/8).

inter a. 270 et 275



0,065
0,035


Imp(eratori) Caes(ari) | *Luc(io) Domitio* | *Aureliano Pio* | *Fel(ici) invicto* | *Aug(usto) res pub(lica)* | *Astig(itana) devota* | *numini maies|tatiq(ue) eius*

CIL II 2201 vv. 1—4.

---

666 Italicae, tabula marmorea; servatur Hispali in palatio ducis *de Montpensier* (1/8).

inter a. 276 et 281




0,040

[Imp(eratori)] Caes(ari) | *[M. Aurelio] Probo* | *[Pio Fel(ici) in]victo Aug(usto),* | *p(ontifici) m(aximo), trib(unicia) potest(ate), co(n)s(uli),* | *proco(n)s(uli)* | *r(es) p(ublica) Italicensium* | *[de]vota numini* | *[ma]iestatique eius* | *[de]dicante Aurelio* | *[Iu]lio v(iro) p(erfectissimo) a(gente) v(ices) p(raesidis) et* | *[c]uratore rei public(ae)* | *Italicensium* infra sunt palmae ramuli sex

CIL II 1116 vv. 9—12.

667 Italicae, tabula marmorea; servatur Hispali in palatio ducis *de Montpensier* (⅓).

a. 282



0,060

0,040


Imp(eratori) Caes(ari) | M. Aur(elio) Caro | Pio Felici invicto | Aug(usto), pont(ifici) max(imo), trib(unicia) | pot(estate), p(atri) p(atriae), co(n)s(uli), proco(n)s(uli) | res p(ublica) Italicen-s(is) | devota numini maiestatiq(ue) | eius

palmae ramuli duo

CIL II 1117 vv. 1—3.

668 Acci (*Guadix*), basis marmorea; extat ibi ante castra militaria (⅓).

inter a. 282 et 285




0,045

Magniae Ur|bicae Aug(ustae) ma|tri castrorum, | coniugi d(omini) n(ostri) | Carini invic|ti Aug(usti) col(onia) Iul(ia) G(e-mella) | Accis devota nu|mini eius

CIL II 3394 vv. 1—3.

669 Tarracone, basis marmorea; ibi in museo (⅓).

a. 283



0,067


0,026

Fortissimo et clemen|tissimo | imp(eratori) Caes(ari) M. Aur(elio) Caro | invicto Aug(usto), p(ontifici) m(aximo), t(ribunicia) p(otestate), co(n)s(uli) II, | p(atri) p(atriae), proconsuli | M. Aur(elius) Valentinianus v(ir) c(larissimus) p(raeses) p(rovinciae) | Hisp(aniae) cit(erioris) leg(atus) Aug(ustorum) pr(o) p(raetore) devotus n(umini) m(aiestati)-q(ue) | eius

CIL II 4102 vv. 6—8.

670 Cordubae, columna marmorea, in cuius altera facie titulus Aureliani (supra n. 665) inscriptus est; extat ibi in domo privata (⅓).

inter a. 292 et 306




0,050-0,040

Imp(eratori) Caes(ari) | Flavio Val(erio) | Constantio | [P(io)] F(elici) invicto | Aug(usto), trib(unicia) po|test(ate) .....

CIL II 2202 vv. 1—3. Mala versuum collocatio inde aliqua ex parte excusatur, quod titulus columnae iam stanti postea insculptus est.

671 Olaurae (*Lorilla*) in Baetica, columna marmorea; extat Hispali in museo (⅓).

a. 293



c. 0,050

[Diocletiani nomina penitus erasa] *et imp(eratori) Cae(sari) | M. Aur(elio) [Valerio Maximiano] invict(o) | Aug(usto), p(onti-fici) m(aximo), trib(unicia) pot(estate) VIII, con(suli) VI, p(atri) p(atriae), | procons(uli) et Flavio Valerio | Constantio et Galerio Va|lerio Maximiano, nobi[liss(imi) Caes(ares)] | nostri consti[tuti* .....]

CIL II 1439 vv. 6—8. V. 4 Valerii Maximiani nomina quamvis erasa adhuc leguntur. Versuum ultimorum interpretatio incerta est.

V

MONVMENTA AFRICAE

Nulla omnino inter imperii Romani provincias comparari potest cum Africa, si copiam et varietatem monumentorum epigraphicorum saeculo tertio ibi factorum spectaveris. Aedificiorum magnorum arcuum aliorumque operum *Severo* dedicatorum epistylia inscripta extant Ammaedarae arcus et periboli a. 195 (CIL VIII 306 307), Apisae c. a. 198 scriptum litteris optimis (CIL VIII 776; altae sunt versu primo 0,120, reliquis 0,070), arcus in colonia Assuras *divo Severo* et *Iuliae Domnae* dicati, cuius maior pars nuper periit (CIL VIII 1798). Etiam a privatis aliquot hominibus arcus erecti sunt aetate illa, quorum tituli magni extant, veluti coloniae Cillitanae in provincia Byzacena a *Q. Manlio Felice Recepto* (CIL VIII 210), Cirtae una cum aedicula tetrastylo a *M. Caecilio Natale* eo, qui apud Minucium Felicem in dialogo Octavio contra Christianos disputat (CIL VIII 7094—7098). Sed titulorum illorum in alto positorum imagines proferri non posse consentaneum est. E titulis sacris honorariisve moduli paullo minoris exhibeo primum tituli alicuius in provincia proconsulari reperti et dedicati inter a. 195 et 197 exemplum (n. 672), Apisanum a. 196 restitutum a. 201 (n. 673), monumenta militaria Lambaesitana a. 198 (n. 675 676), basim *Severi filiorum et uxoris* Sitifensem (n. 677), *Iuliae Domnae* Medelitanam (n. 678). Scriptura in monumentis illis variat: monumentalem optimam habent praeter infra proposita (n. 672 673 675 676) e titulis Africanis, quorum ectypa novi, tabulae *Severi et filiorum* magnae Thamugadensis a. 199 (CIL VIII 2437) et Lambaesitanae a. 198 et 199 (CIL VIII 2551 2553), *Vibiae Aurelliae Sabinae* Severi sororis bases duae Calamenses (CIL VIII 5327 5328); sed ne horum quidem monumentorum scriptura prorsus aequabilis est. Epistylii Agbiensis a. 194, quod *D. Clodii Septimii Albini Caesaris* nomina continet non erasa (scripta litteris magnis, altis 0,150), ectypum non habui. Litteris non aeque bonis nec profundis scripta est basis *Severi et filiorum* a. 207 Sitifensis (CIL VIII 8469); satis elegantibus, sed parvis titulus porticus in saltu Massipiano a. 202 pro salute eorundem et matris conditae (CIL VIII 588), paullo minoribus et nitide sculptis basis *Getae* a. 205 Auziensis (CIL VIII 9035). Ad pictarum vero formas accedunt litterae titulorum infra positorum Sitifensis (n. 677) et Medelitani (n. 678); similes sunt, sed minores (altae 0,030), tituli *Severi* Safaritani (CIL VIII 9727), item arae satis altae in Casis prope Lambaesem repertae, quae *Severo* et filiis uxorique posita est Getae nomine, cuius clara in fine vestigia dispiciuntur, eraso (CIL VIII 4323). Etiam reliqui eius aetatis tituli similes litteraturae diversitates habent. Exhibui Saldensem a. 197, in quo ad textum reliquum litteris monumentalibus scriptum eisdem fere, quibus plerique alii scripti sunt, quaedam addita sunt in fine litteris diversis ad pictarum exemplum formatis (n. 674). Optimis quoque litteris scripta est basis *P. Porcii Optati cl(arissimi) p(ueri)* posita c. a. 198 Cirtae, servata in museo Parisino (CIL VIII 7062); item *Claudiae Gallittae* basis Rusicadensis (CIL VIII 7978); *Sex. Cornelii Sex. f(ilii) Quir(ina) Honorati*, qui imperante Severo obiit, in Portu Magno Mauretaniae Caesariensis reperta (CIL VIII 9760); *P. Aelii P. fil(ii) Palatina Marciani* Caesareae in Mauretania reperta (CIL VIII 9358); eiusdem originis *C. Octavii Pudentis Caesii Honorati* procuratoris Augustorum trium (CIL VIII 9370), aliae. *L. Alfeni Senecionis* clari sub Severo filioque ducis basis Auziensis scripta est litteris tenuibus, sed accurate incisis (CIL VIII 9046).

Caracallae, cum divo patre, fratre, matre, praeter fragmenta epistyliorum Avulensia (CIL VIII 709 710), arcus quadrifrons dicatus est a. 214 Theveste, cuius tamen titulorum exempla non habui (CIL VIII 1855—1859). Nec magis arcus Dianensis *Macrini et Diadumeniani* a. 217 (CIL VIII 4598) imagines vidi. Extant *Caracallae* praeterea, quarum ectypa vidi, bases magnae litteris magnis et bonis (altis 0,070) inscripta Lambaesitana a. 214 (CIL VIII 2369), minoribus (altis 0,040) Rusicadensis a. 215 in museo Parisino servata (CIL VIII 7973) et Siagitana a. 215 (CIL VIII 966); in Castello Nibber repertae eius et matris a. 213 (CIL VIII 1615 1616: litterae in utraque altae sunt 0,045); matris Cuiculitana a. 213 ad 217 (CIL VIII 8320; litteris altis 0,050). Atque harum quidem litterae monumentales in universum non multum differunt a Severianis (veluti in n. 675 676). Multo et maioribus et gracilioribus utuntur *miliaria Caracallae* ad coloniam Lares repertum a. 216, cuius litterae primo et ultimo versu altae sunt 0,115 (CIL VIII 10093), et Hadrumetinum a. 217 (CIL VIII 10027; litteris altis 0,070): non dissimiles sunt litterae titulorum infra relatorum Medelitani (n. 678) et Salditani quasi pictae (n. 674). Formas easdem, sed minores habet titulus a. 217 sepulcralis Caesareae repertus (CIL VIII 9407). Quos infra protuli aquaeductus Lambaesitani titulos (n. 679 680), ii Severi paullo antiquioribus (ut n. 676) simillimi sunt.

Ad Elagabali aetatem spectantem unum tantum titulum ex ectypo novi dedicationis notam brevem a. 221 (CIL VIII 7966), qui pro illis temporibus optime scriptus est. Optime item scripti sunt tituli aetatis Alexandri, veluti bases magnae Cirtenses *Concordiae coloniarum Cirtensium* sacra a. 224 (CIL VIII 6942) eique simillima *Genio populi Romani* posita (CIL VIII 6947), quarum nisi prior anni indicationem haberet utraque facile ex scripturae indole multo antiquior ipsiusque saeculi primi exeuntis esse iudicari posset. Conferatur etiam musei Rusicadensis basis dedicata a. 225 *M. Fabii Frontonis auguris* (CIL VIII 7988). Minus bene scripta est *ara Iovis* in saltu Aurasio reperta, dedicata a. 224 (CIL VIII 2467); peius etiam scriptus est *cippus sepulcralis*, quamvis hominis *omnibus honoribus functi*, Sitifensis a. 234 (CIL VIII 8492); satis bene contra *M. Damatii Urbani summarum artium liberalium litterarum studiis utriusque linguae perfecte eruditi*, ut expectaveris, item Sitifensis a. 229 (CIL VIII 8500). Singularis deinde scripturae cuiusdam, cuius L et G litterae potissimum peculiarem formam habent, ea fere aetate in Africa frequentis exempla sunt *ara dei Malagbeli* pro salute Alexandri posita

in vico Msad et servata Algerii in museo (CIL VIII 8795), tituli sepulcrales Auzienses *Sulpiciae* alicuius *Victoriae* a. 227 litteris parvis (0,025 ad 0,010) scriptus et aliquanto maioribus (0,045 ad 0,050) *Q. Gargilii Campani* a. 233 (CIL VIII 9109), alia. Splendidum eius exemplum offert titulus *P. Iulii Iuniani Martialiani* legati Alexandri Lambaesitanus, quem proposui (n. 681); alia infra sequentur. Ceterum eandem scripturam, plerumque nitide sculptam, interdum etiam neglegenter nec profunde, sed fugiente ut ita dicam scalpro incisam esse, titulus docet Zaraitanus praetorii positus *pro salute imperatoris* alicuius, cuius nomen erasum coniectura restitui nequit (CIL VIII 4517).

Maximini epistylium extat Galitanum aedis Concordiae litteris satis magnis scriptum (altae sunt 0,070 ad 0,055), quae prorsus similes sunt altis et gracilibus monumentorum Caracallae et Alexandri: imperatoris nomen in litura repositum est fortasse a Capelliano, ut adnotavit Mommsenus (CIL VIII 757). Nec multum differt scriptura, et ipsa alta et gracillima, *arae Mercurii* a. 236 Sitifi dedicatae (CIL VIII 8433) et *miliarii* magni Tunetani a. 237 (CIL VIII 10047), quod prorsus convenit cum *Caracallae* supra memoratis (CIL VIII 10027 10093): ibi quoque nomina imperatoris et filii in litura reposita sunt. Eiusdem fere aetatis basis Mactaritana *Q. Rupilii Q. filii Pap(iria) Honorati in equestres turmas adlecti a divo Alexandro* (CIL VIII 627) et ipsa scripta est litteris bonis (altis 0,060); L littera iam eam habet formam, de qua supra dixi (cf. n. 681).

Pupieni et Balbini miliarium a. 238, quod propter summam monumentorum ab imperatoribus eis relictorum raritatem omittere nolui, litteris scriptum est parvis et simplicibus (n. 682).

Gordiani monumenta Africana quanquam satis frequentia sunt utpote in provincia, unde domus eius dignitas inprimis originem duxit, tamen quae repraesentarem non multa ad manus fuerunt. Arcus eius Mustitani epistylium qualibus litteris scriptum sit ignoro (CIL VIII 1577); satis bonas (altas 0,070) habet basis imminuta in municipio Bibensi provinciae proconsularis extans (CIL VIII 907). Neglegenter vero incisa est *ara Martis* a. 239 in Villa Magna reperta, cuius exhibui exemplum, ut de scripturae genere constaret (n. 683): non recte enim Alphonsus Rousseau adnotavit scriptam eam esse litteris curvilineis uncialibusque similibus. Sunt graciles et pictis similes, quarum meliora supra habuimus exempla aetatis Severianae (n. 677 678). Africae propter litterarum formas non sine probabilitate videtur vindicatus esse Gordiani titulus a. 238 Burdigalensis (*Bulletin épigraphique de la Gaule* I 1881 p. 32 76 162 tab. II).

Inde a medio fere saeculo tertio in titulis Africanis novum scripturae epigraphicae genus frequentius usurpatur, cuius iam antea in eadem provincia quasi initia observavimus (cf. supra n. 461 a. 177 ad 180). Exemplum eius est titulus *Genio imperii Philipporum* positus in municipio Abbir Cellensi (n. 684); ad formas pictas et ipsa accedit, sed mira elegantia sculpta esse solet. Qui sequitur a. 247 titulus Serteitanus (n. 685) litteras quadratas simpliciores habet parvas, sed admodum anguste collocatas; diversas rursus non bonas (altas 0,030) titulus sepulcralis eiusdem a. 247 Auziensis (CIL VIII 9158).

Galli unum novi miliarium a. 252/53 Rusicadense scriptum litteris parvis (0,025 ad 0,030) sed satis bonis, vitiose tamen conceptum (CIL VIII 10323), quod repraesentare supersedi.

Valeriani et Gallieni monumenta, in quibus alibi scriptura esse solet pessima, non nulla in Africa servata sunt scripta elegantissime, velut Thibicense et Sitifense infra edita, quae publice posita sunt (n. 687 688); Lambaesitanum item exhibitum (n. 686), quamvis et ipsum positum publica auctoritate, tamen minus elegantibus litterarum formis utitur. Litteris bonis minoribus (altis 0,035) praeterea scripta est ara Lambaesitana *Iovis a C. Macrinio Deciano v(iro) c(larissimo) leg(ato) Aug(ustorum) pr(o) p(raetore) prov(inciarum) Numidiae et Norici* a. 260 dedicata (CIL VIII 2615); minus bonis et parvis (0,035) *ara Victoriae* a. 253 Gemellensis (CIL VIII 2482), maioribus (0,050) simplicibus sed minime elegantibus basis angusta et alta Verecundensis *pro salute et incolumitate d(ominorum) n(ostrorum) Valeriani et Gallieni Augustorum* posita (CIL VIII 4219), gracilibus et neglegenter incisis ara a. 261 *bonae Valetudini* sacrata *ex responso Herculis a L. Pesc(ennio) Honorato sacerdote eius* (CIL VIII 9610). Propter formam A litterae aetate demum posteriore frequentiorem exhibui praeterea exemplum tituli memorabilis a. 260 Auziae positi, in quo *expeditionis contra Faraxen rebellem* mentio facta est (n. 689).

Claudii Gothici titulus Thubursicensis (CIL VIII 4876) scriptus est litteris malis (altis 0,060), quas repraesentare nolui.

Aureliani praeter *album veteranorum* infra proponendum (CIL VIII 2626) titulum unum profero *arae Lambaesitanae* (n. 690) scriptae satis accurate; miliarium eius Tunetanum litteras habet non magnas (altas 0,040) et malas (CIL VIII 10017). Addidi titulum Graecum in Aegypto inferiore repertum, cuius vocabula Latina *regina et rex iusser(un)t* probabiliter referuntur ad *Zenobiam et Vaballathum* (n. 691): scripta autem sunt litteris pravis, ab Africae reliquae usu plane diversis.

Epistylium aediculae Capsae a. 280 pro salute *Probi* aedificatae litteras habet satis grandes (altas 0,070 ad 0,040), sed non bonas et evanidas (CIL VIII 100). Singulari elegantia litterarumque formis eis, quas supra dixi inde a medio fere saeculo tertio in titulis Africanis observari, scripta est basis *Cari* Neapolitana (n. 692); Lambaesitana *pro salute Carini et Numeriani* posita minus bene scripta est (CIL VIII 2530); litterae eius similes sunt earum, quas habet exemplum meum n. 681, sed cura minore factae.

Diocletiani et sociorum satis frequentia sunt in Africa monumenta adhuc servata. Epistylia arcus Sufetulensis (CIL VIII 232), theatri Ammaedarensis (CIL VIII 309), arcus Mididitani (CIL VIII 608), arcus Macomadiensis (CIL VIII 4764), aedificii incerti Mactaritani (CIL VIII 624, quod scriptum est litteris magnis, altis 0,110 ad 0,120), sane repraesentari non potuerunt. Sed scripturae aetatis eius indolem satis illustrant bases Lambaesitanae ab eodem magistratu positae (n. 693 694) et Ammaedarensis (n. 695), charactere diverso scriptae; item epistylium paullo recentius quam illae Thevestinum (n. 696). Pontis Auziensis titulus a. 290 positus scriptus est litteris malis et paene evanidis, unde repraesentari non potuit (CIL VIII 9041). Diversitatem scripturae in monumentis quamvis aetatis eiusdem ab eisdem adeo hominibus positis optime illustrant arae ab *Aurelio Litua v(iro) p(erfectissimo) p(raesidi) p(rovinciae) M(auretaniae) C(aesariensis)* ambae propter expeditionem contra barbaros feliciter factam dedicatae altera Caesareae (CIL VIII 9324), scripta litteris elegantibus (altis 0,055 ad 0,040) eisdem fere atque basis *Cari* infra relata (n. 692), altera Saldis (CIL VIII 8924) litteris multo neglegentioribus et inaequalibus (altis 0,040). Plane vero ab his omnibus abhorret scriptura tituli Aegyptiaci (n. 697), quem hic collocavi necessario: similis est aliqua ratione Singidunensi supra relato (n. 594).

Atque haec quidem sunt certae aetatis monumentorum exempla Africana. Restant permulta annorum non certorum, saeculo

autem tertio attribuenda, et ipsa scribendi genere memorabilia, quorum tamen perpauca tantum ut hic exhiberem operis huius rationes permiserunt. Saeculo ineunte scripturam obtinuisse rectilineam, planam, a saeculi praecedentis non multum diversam, qualem fere exhibent exempla infra exhibita priora (n. 672—676), consentaneum est. Memoro eius exempla praeterea musei Parisini aras Rusicadenses *Genio coloniae Veneriae Rusicadis Aug(ustae)* sacram (CIL VIII 7960) et *Iovis o(ptimi) m(aximi) Apennini conservatoris dominorum n(ostrorum trium) fortissimorum felicissimorumque imperatorum* (CIL VIII 7961); item basim *Pomponiae Germanillae cl(arissimae) f(eminae) coniugis Cl(audii) Claudiani co(n)s(ularis) duarum Pannoniarum* (CIL VIII 7977). Adde aram *Victoriae Aug(ustae)* Sitifensem (CIL VIII 8454), *numin(ibus) Augustor(um)* a *colonis Lemellefens(ibus)* positam (CIL VIII 8808), titulum Salditanum, quem *Sex. Cornelii L. f(ilii) Arn(iensi) Dextri Maximus* et *Petronianus* subscripserunt statuis equestribus *propatrui sui* viri sub Pio et Marco florentis (CIL VIII 8935). Scriptura illa ornamento omni carens, qualem fere habent Pupieni miliarium (n. 682) et basis a. 247 (n. 685), praeterea observatur in tabella votiva Carthaginiensi anaglyphis ornata, quam servat museum Vindobonense (CIL VIII 1009); in basibus duabus Rusicadensibus *Sex. Otacilii M. f(ilii) Quir(ina) Restituti*, scriptis litteris parvis (0,025), quae ibi extant in museo (CIL VIII 7990 7991); in cippo ornato anaglypho solito in museo Cirtensi hominis barbari *Fittau Feriusis* posito a filia *Aur(elia) Vedera* (CIL VIII 8272; ita enim legendum esse docet ectypum). Incultis denique formis eadem redit in titulis sepulcralibus aliquot hominum militarium, veluti in Tipasensi *Ulpii Tertii curatoris alae I contariorum* (CIL VIII 9291).


Altera est series numerosa titulorum eorum, qui scripturam imitantur pictam vel calamo exaratam adeove stilo in cera scariphatam, cuius exempla coaeva supra cognovimus Hispana quaedam (n. 662 663 669), certae aetatis infra exhibuimus pauca (n. 677 678 696). Quorum ut indoles in universum aequalis, ita in singulis non levis est diversitas, quam exemplis illustrare quoniam non potuimus, saltem indicabimus numeris adscriptis ordinem corporis inscriptionum secuti. 'Optime insculptis' eius generis litteris utitur basis *C. Mevii Silii Crescentis Fortunatiani c(larissimi) p(ueri)* Mididitana (CIL VIII 610); 'nitide sculptis', sed non prorsus aequalibus, cippus quadrilaterus sepulcralis anaglyphis defunctorum ornatus Thibicensis *C. Aedinii Sterceiani Felicis* et suorum (CIL VIII 770); item quadrilaterus, sed anaglyphis carens Avittensis *Fausti Gulebiani* (CIL VIII 812); bases Turcetanae complures, veluti *C. Attii Alcimi Feliciani p(erfectissimi) v(iri)*, litteris magnis (altis 0,060) scripta (CIL VIII 822), *Q. Considii Namphamonis*, dedicata a. 230 (CIL VIII 826), *T. Racilii Tertulli Dativi* punctis omnino carens (CIL VIII 827), *Magnilianorum Q. Vetulenii Urbani Herenniani flaminis perpetui* et *Magniliani* filii litteris scripta 'lectu' propter peculiarem formam 'difficilibus' (CIL VIII 828), aliae; arae Giufitanae *Caelestis Augustae* a *P. Iddibalio Victorino* dedicata (CIL VIII 859) et *Plutonis Augusti* (CIL VIII 861); Zuccharitana *L. Sisennae Bassi* servata in museo Parisino (CIL VIII 924); Neapolitanae *Q. Coelii Laeti f(ilii) Laeti et M. Caelii Syllae* [sic] *f(ilii) Pacati* (CIL VIII 972) et *M. Numisii Clodiani* (CIL VIII 974); ara *Serapidis* Thevestina (CIL VIII 1844); cippus sepulcralis *Graniae Marcellinae quae et Crementiae* Caesareensis (CIL VIII 9378). In basi item Caesareensi *P. Aelii P. fil(ii) Palatina Marciani* praepositi numerorum variorum (CIL VIII 9358) utrumque scribendi genus coniunctum cernitur: versus enim priores duodecim scripti sunt litteris planis et simplicibus (altis 0,035 ad 0,030), qui sequuntur tres ultimi nomen dedicantis continentes *C. Caesii Marcelli veter(ani) ex dec(urione) al(ae) II Thracum* litteris illis pictis caudatis (altis 0,040 ad 0,030). Interdum scriptura illa pictae titulorum Pompeianorum saeculi primi prorsus similis est, ut in basi Bibensi *Flavii Felicis flaminis perpetui* (CIL VIII 908); alias parva et magis quadrata est, unciali scripturae non absimilis, ut in Thamugadensibus *Sertiorum* (CIL VIII 2394—2396); alias magna et crassa, ut in tabula Lambaesitana *Cl(audii) Galli legati Augustorum* (CIL VIII 2741). Ubi modulo parvo adhibetur, formae evadunt rotundiores, A littera hanc habet formam Ⲁ, ut in cippo *Fl(avii) Ianuarii adiutoris ofici cornicularioru* [sic] Thevestino (CIL VIII 1875), aut caudae singularem in modum curvantur, ut in Sitifensi sepulcrali *Praetoriani* alicuius *hominis ingeniosissimi notarii* a. 226 litteris exiguis (altis 0,015) scripto (CIL VIII 8501). Saeculo tertio extremo propter litterarum formas aetatis fere Diocletianae incultas nec satis profunde incisas adscribendi videntur tituli *L. Suanii Victoris Vitelliani c(larissimi) v(iri)* Calamensis (CIL VIII 5356), ara taurobolii *deae Aerecurae* Thibilitana (CIL VIII 5524), basis *Q. Sallustii Macriniani procuratoris Aug(ustorum) utriusque provinciae Mauretaniae* (CIL VIII 9371), cippus denique sepulcralis *Ael(ii) Aquestoris* Caesareensis (CIL VIII 9433), cuius litterae breves et crassae sunt minimeque elegantes.

Ego ex tanta multitudine selegi exempla duo, quae scripturae genus illud illustrant, quod maxime proprium fuisse dixi huic provinciae inde a saeculo tertio medio: epistylium magnum Uticense musei nunc Leidensis (n. 698) et cippum Thevestinum interpunctionis quoque signa singularia exhibentem (n. 699). Scriptura prorsus simili utuntur tituli duo alii Uticenses musei item Leidensis alter (CIL VIII 1181) scriptus litteris grandibus (altis versu primo 0,150), alter musei Algeriensis (CIL VIII 1182; eius litterae altae sunt versu primo 0,100); minoribus nec tam pulchris *P. Magnii Amandi fl(aminis) p(er)p(etui)* Sufetanus (CIL VIII 262; altae sunt 0,040).

Etiam pravae et malae scripturae testimonia in titulis Africanis permulta extare vix est quod moneam; aliquot eius exempla infra indicabuntur.

672 *Henschir Sidi Náui* in provincia proconsulari, tabula lapidea; extat ibi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 195 et 197



0,050
0,047


[. . . . . *sa*]*crum* | [*pro salute imp*(*eratoris*) *Caes*(*aris*) *divi M. Antonini filii divi Comm*]*odi fratris, divi Antonini Pii ne*[*potis*], | [*divi Hadriani pron*(*epotis*), *divi Traiani Parth*(*ici*) *abn*(*epotis*), *divi Nervae adn*(*epotis*) *L. Septim*]*i Severi Pii Pertinacis Aug*(*usti*) *Arabici* | *Adiabenici pont*(*ificis*) *max*(*imi*), *trib*(*unicia*) *pot*(*estate*) ...., *imp*(*eratoris*) ..., *co*(*n*)*s*(*ulis*) *II*, *p*(*atris*) *p*(*atriae*) *et M. Aur*(*elii*) *Antonini Caes*(*aris*) *fili eius totiusque divinae domus* | sequitur dedicatio statuae templi cum largitionibus solitis

CIL VIII 754 vv. 2. 3 particulae.

---

673 In Apisa maiore provinciae proconsularis, basis ex lapide calcareo; extat ibi ($\frac{1}{6}$).

a. 196 et 201



0,040


Imp(*eratori*) *Caes*(*ari*) | *divi Mar*[*ci filio*], | *divi Commodi f*[*ratri*], | *divi Pii nepoti, divi* | *Hadriani pronepot*(*i*), | *divi Traiani Parthici* | *abnepoti, divi Nervae* | *adnepoti* | *L. Septimio Severo* | *Pio Pertinaci Aug*(*usto*) *A*|*rabico Adiabenico*, | *p*(*atri*) *p*(*atriae*), *trib*(*unicia*) *potest*(*ate*) *IIII* [corr. in *VIIII*] | *imp*(*eratori*) *VIII* [corr. in *XI*], *co*(*n*)*s*(*uli*) *II*, *proco*(*n*)*s*(*uli*) | *civitas Apisa maius* [sic] | *d*(*ecreto*) *d*(*ecurionum*) *p*(*ecunia*) *p*(*ublica*)

CIL VIII 777 vv. 12. 13. Numeros restitutos curavi indicandos in exemplo.

---

674 Saldis (*Bougie*) in Mauretania Sitifensi, basis marmorea; extat Algerii in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 197




0,035
0,032
0,018

M. Aufidio M. fil(*io*) | *Arn*(*iensi*) *Honorato*, | *eq*(*uo*) *pub*(*lico*) *ornato, dec*(*urioni*) | *col*(*oniae*) *C. Aufidius L. f*(*ilius*) | *Arn*(*iensi*) *Honoratus* | *patruus idemque* | *vitricus et Sellia* | *Q. fil*(*ia*) *Satura ma*|*ter filio piissimo* | *secundum volunt*[*a*]|*tem eius statu*|*am posuerunt* | *dedicaverunt*|*que; dedicata VIIII kal*(*endas*) | *Ianuarias T. Sextio Laterano C. Cuspio* | *Rufino co*(*n*)*s*(*ulibus*) *a*(*nno*) *p*(*rovinciae*) *CLVIII ob cuius dedicatio*|*nem sportulae datae sunt, l*(*oco*) *ab or*(*dine*) | *sanc*(*tissimo*) *accepto*

CIL VIII 8937 vv. 13. 14 et 17. 18. Verba *dedicata — datae sunt* postea adiecta in spatio vacuo relicto.

675 In Castris Lambaesitanis, basis semicylindrica; servatur ibi in praetorio ($\frac{1}{6}$).

a. 198




0,032

Genio leg(*ionis*) *III Aug*(*ustae*) *p*(*iae*) *v*(*indicis*) | *pro salute* | *imp*(*eratorum*) *Caes*(*arum*) *L. Septimi* | *Severi Pii Pertinacis* | *Aug*(*usti*) *et M. Aureli An*|*tonini Aug*(*usti*) *Fe*[*licis* | *Par*(*thici*) *Brit*(*annici*) *Ger*(*manici*) *max*(*imi*)] *Aug*(*usti*) | *et Iuliae Augustae* | *matris Augusti* [*n*(*ostri*)] | *et castror*(*um*) *dedicant*(*e*) | *Q. Anicio Fausto leg*(*ato*) | *Aug*(*ustorum*) *pr*(*o*) *pr*(*aetore*) *c*(*larissimo*) *v*(*iro*) *co*(*n*)*s*(*uli*) *des*(*ignato*) | *T. Arranius Datus* | *signifer* | *ex HS* (*sestertium*) *III mil*(*ium*) *n*(*ummum*) *de suo* | *posuit*

CIL VIII 2527 vv. 1 et 15. Anicius Faustus consul designatus fuit anno s. s.

676 In Castris Lambaesitanis, tabula magna marmorea; extat in museo Parisino ($\frac{1}{10}$).

c. a. 198



0,100 0,075 0,055


Pro salute Aug(ustorum) | *optiones scholam suam cum statuis et imaginibus domus [di]vinae,* | *item diis conservatorib(us) eorum, ex largissimis stipend[ii]s et* | *liberalitatib(us) quae in eos conferunt, fecer(unt), curante L. Egnatio Myrone q(uaestore);* | *ob quam sollemnitatem decreverunt uti collega proficiscens ad spem suam confirman|dam accipiat HS (sestertium) VIII mil(ia) n(ummum), veter(ani) quoque missi accipiant kal(endis) Ian(uariis) anularium singuli HS (sestertium) VI mil(ia) n(ummum),* | *quae anularia sua die quaestor sine dilatione adnumerare curabit* sequitur in lateribus matricula optionum

CIL VIII 2554 vv. 1. 2 et 7 particulae. Eodem tempore videtur posita esse quo tituli similes annorum 198 et 199 qui praecedunt CIL VIII 2552 2553.

---

677 Sitifi, basis marmorea; extat ibi in hortis publicis ($\frac{1}{10}$).

c. a. 198



0,055


Victoriae Aug(ustorum) | *invictorum* | *imp(eratoris) Caes(aris) L. Septimi Se|veri Pii Pertinacis* | *Aug(usti) et imp(eratoris) Caes(aris) M. Au|reli Antonini Pii Aug(usti)* [sequebantur Getae nomina nunc erasa] ... | *et Iuliae Aug(ustae) ma|tris Caesar(is) et castro|rum totiusq(ue) domus divinae eorum* | *Q. Captius Q. fil(ius) Pap(iria) Mar|tial(is) ob honor(em) aedilitat(is)*

CIL VIII 8455 vv. 1—3. Tertia G in Augustorum vocabulo erasa est.

---

678 Ex pago Mercuriali veteranorum Medelitanorum, basis praegrandis ex fragili maloque lapide; in museo Florentino ($\frac{1}{6}$).

inter a. 209 et 211



0,053

Iuliae domnae Aug(ustae) | *matri castrorum,* | *matri Augustorum,* | *imp(eratoris) Caes(aris) L. Septimi Severi Pii* | *Pertinacis Aug(usti) coniugi* | *Q. Silicius Victor et C. Tadius For|tunatus ob honorem flam(onii)* | *sui perpetui statuam cum* | *base ex IIS (sestertium) binis milib(us) n(ummum) legi|timis adiectis tertis ex de|creto paganor(um) pagi Mercurialis* | *veteranorum Medelitanor(um)* | *s(ua) p(ecunia) f(ecerunt) idemque dedicaverunt*

CIL VIII 885 vv. 3. 4. In *Augustorum* vocabulo pluralis numerus eradi coeptus est post Getae mortem a. 211. Augustus dictus est Geta a. 209.

679. 680 Lambaesi, 679 tabula lapidea, 680 ara; extant ibi in praetorio ($\frac{1}{8}$).


inter a. 222 et 235

679



0,053

680



0,060

0,040

Aquam Titulensem, quam ante annos | plurimos Lambaesitana civitas in|terverso ductu vi torrentis amiserat, | perforato monte, instituto etiam a | solo novo ductu Severinius Apronianus v(ir) p(erfectissimus) p(raeses) p(rovinciae) N(umidiae) | pa-t(ronus) col(oniae) restituit cur(ante) Aelio Rufo v(iro) e(gregio) fl(amine) p(er)p(etuo) cur(atore) r(ei) p(ublicae)


Numini aquae | [Alexandrianae] | hanc aram Nymphis extruxi | nomine Laetus, cum gererem fasces patriae | rumore secundo: | plus tamen est mihi gratus | honos, quod fascibus annus | is nostris datus est, quo sanc|to nomine dives | Lambaesem largo perfu|dit flumine Nympha

CIL VIII 2661 v. 1, 2662 vv. 1 et 3. 4. Alexandrianae nomen in litura repositum pro Severianae aut Antoninianae; unde tempus definitur.

---

681 Lambaesi in foro, basis magna marmorea; servatur ibi in carcere publico ($\frac{1}{10}$).

inter a. 222 et 235




0,080

P. Iul(io) Iunia|no Martialia|no leg(ato) Aug(usti) pr(o) | pr(aetore), c(larissimo) v(iro), co(n)s(ulari), prae|sidi iustissimo | et benignissi|mo C. Calventius | Ianuarius 7 (centurio) | [leg(ionis) III] Aug(ustae) | Alexandrianae ....

CIL VIII 2742 vv. 1—3. Hominem illum legatum Alexandri fuisse, cuius nomen in titulo eius Thamugadensi CIL VIII 2392 erasum est, docet eius titulus Cirtensis CIL VIII 7049.

682 Prope *Bouhira*, lapis miliarius viae alicuius ad Sitifim ducentis; extat Bouhirae in domo privata ($\frac{1}{8}$).



c. 0,025


Imp(eratori) Caes(ari) M. Clodio Pupieni|o Maximo Pio Felici Aug(usto), | pont(ifici) max(imo), trib(unicia) pot(estate), co(n)s(uli) | II, proco(n)s(uli), p(atri) p(atriae) et | imp(eratori) Caes(ari) D. Caelio Calvino | Balbino Pio Felici Aug(usto), | pont(ifici) max(imo), trib(unicia) pot(estate), co(n)s(uli) | II, proco(n)s(uli), p(atri) p(atriae) et | M. Antonio Gordiano no|bilissimo Caes(ari) Pi(o) Aug(usto) | nepoti divorum Gor|dianorum res p(ublica) col(oniae) Nerv(ianae) Aug(ustae) Sitif(ensis) | m(ilia passuum) VIIII

CIL VIII 10365 vv. 1 et 5. 6.

---

683 In Villa Magna (*Zarhwan*) provinciae consularis, ara ex lapide calcareo; Algerii in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 239




0,040

Marti Aug(usto) protectori d(omini) n(ostri) | imp(eratoris) Caes(aris) M. Antoni Gordiani Pii Felicis | Aug(usti), p(ontificis) m(aximi), tr(ibunicia) pot(estate) II, co(n)s(ulis), p(atris) p(atriae) | Q. Calvius Rufinus aedilis sumptu | suo et T. Aeli Anni Litori quondam | collegae sui ob honorem aedilitatis | in compensatione(m) missiliorum commu|ni pecunia fecerunt, dedicante | Q. Calvio Rufino aedile; ob cuius statu[ae] | dedicationem idem Rufinus de su[o] | item spectaculum pugilum et gymnasium | exhibuit, l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)

CIL VIII 895 vv. 1. 2.

684 In municipio Abbir Cellensi, basis marmorea, litteris nitide sculptis; extat ibi ($\frac{1}{10}$).

inter a. 244 et 249



0,065 0,055 0,050

Genio imperi | [*d(ominorum) n(ostrorum)*] | *imp(eratoris) Caes(aris)* [*M. Iulii Phi*|*lippi*] *Pii Felicis Aug(usti), trib(unicia)* | *pot(estate) III, co(n)s(uli), p(atri) p(atriae)* [*et* | *M. Iul(ii) Philippi nobilis*|*simi*] *Caes(aris) totiusque* | *domus divinae* [*eorum*] | *municipium* [*Iulium* | *Philippianum*] *Abbir* | *Cellense devotum* | *numini maiestatiq(ue)* [*eorum*] | *d(ecreto) d(ecurionum) p(ecunia) p(ublica)*

CIL VIII 814 vv. 1—5. Erasa adhuc dispiciuntur in lapide.

685 Sertei in Mauretania Sitifensi, ara marmorea; extat ibi in parietinis oppidi ($\frac{1}{8}$).

a. 247




0,025 0,032

Deo sanct(o) frug(ifero) Aug(usto) sac(rum) | *Sex(tius) Victor dec(urio) pr(inceps) g(entis) N(umidarum)* | *monitus sacra religione* | *templum simul cum* | *area et aras summa* | *cum diligentia* | *restituit s(ua) p(ecunia) d(e)d(icavitque) cur(antibus) Coret(io) Saturnino* | *et Lucio Aemilio* | *def(ensore) publico; s(upra) s(criptis) b(onis) b(ene)* [?], *an(no) pr(ovinciae) CCVIII*

CIL VIII 8826 vv. 1. 2.

686 Lambaesi, basis marmorea; servatur in praetorio ($\frac{1}{8}$).

a. 253



0,070

Deo | *Marti militiae* | *potenti statuam* | *in honorem leg(ionis)* | *III Aug(ustae) Valerianae* | *Gallienae Valerianae* | *Sattonius Iu*|*cundus pr(imus) p(ilus) qui* | *primus leg(ione) reno*|*vata aput aqui*|*lam vitem posu*|*it votum dedit* | *dedicante* | *Veturio Vetu*|*riano v(iro) c(larissimo) leg(ato) Aug(ustorum) p(ro) pr(aetore)*

CIL VIII 2634 vv. 4—6.

687 Thibicae in provincia proconsulari, basis marmorea; extat ibi ($\frac{1}{10}$).

a. 254/55




0,070 0,050

Imp(eratori) Caes(ari) | [*P. Licinio Egnatio* | *Gallieno Pio Fel(ici)*] | *Aug(usto), Germanico* | *max(imo), pont(ifici) max(imo),* | *trib(unicia) pot(estate) III, co(n)s(uli),* | *proco(n)s(uli), p(atri) p(atriae) mu*|*nicipium Thib(ica)* | *devotum nu*|*mini maiesta*|*tique eius, d(ecreto) d(ecurionum) p(ecunia) p(ublica)*

CIL VIII 766 vv. 7—11. Gallieni nomina erasa adhuc leguntur.

688 Sitifi, basis marmorea; ibi in hortis publicis ($\frac{1}{8}$).

a. 260




0,052 0,050

Divo Caesari | *P. Cornelio Licinio Va*|*leriano, nepoti* | *imp(eratoris) Caes(aris) P. Licini Valeri*|*ani Aug(usti), filio imp(eratoris) Caes(aris)* | *P. Licini Gallieni Aug(usti), fra*|*tri P. Corneli Licini Sa*|*lonini nobilissimi Caes(aris)* | *Aug(usti)* | *col(onia) Nerviana Aug(usta) Mart(ialis)* | *veteranor(um) Sitifens(is)* | *d(ecreto) d(ecurionum) p(ecunia) p(ublica)*

CIL VIII 8473 vv. 1—3.

689 Auziae in Mauretania Caesariensi, basis magna marmorea; servatur Aumale in museo ($\frac{1}{8}$).

a. 260



0,040


[*Q. G*]*argilio Q. f*(*ilio*) *Q*(*uirina*) *Martiali eq*(*uiti*) *R*(*omano*), | [*pr*]*aef*(*ecto*) *coh*(*ortis*) *I Astyrum pr*(*ovinciae*) *Britta*|[*n*]*iae, trib*(*uno*) *co*(*hortis*) *Hisp*(*anorum*) *pr*(*ovinciae*) *Maur*(*etaniae*) *Caes*(*ariensis*), | [*a*] *mil*(*itiis*), *praep*(*osito*) *coh*(*orti*) *sing*(*ularium*) *et vex*(*illationi*) | [*e*]*q*(*uitum*) *Mauror*(*um*) *in territorio* | [*A*]*uziensi praetendentium,* | *dec*(*urioni*) *duarum col*(*oniarum*) *Auzien*|*sis et Rusguniensis et pat*(*rono*) | *prov*(*inciae*), *ob insignem in ci*|*ves amorem et singu*|*larem erga patriam adfec*|*tionem, et quod eius vir*|*tute et vigilantia F a* | *r a x e n r e b e l l i s c u m s a* | *t e l l i t i b u s s u i s f u e r i t* | *captus et interfectus,* | *ordo col*(*oniae*) *Auziensis* | *insidiis Bavarum de*|*cepto p*(*ecunia*) *p*(*ublica*) *f*(*ecit*); *d*(*e*)*d*(*icatum*) *VIII kal*(*endas*) [*A*]*pr*(*iles*) [*a*(*nno*)] *pr*(*ovinciae*) *CCXXI*

CIL VIII 9047 vv. 13—15. Annus provinciae CCXXI respondet anno s. s.

---

690 Ex Aegypto inferiore, tabula ex alabastro; in museo Berolinensi ($\frac{2}{3}$).

inter a. 270 et 273?



0,030 - 0,032

Βασιλίσσης καὶ βασι|*λέως προσταξάντων* | *ἀντὶ τῆς προανακει*|*μένης περὶ τῆς ἀναθέσε*|*ως τῆς προσευχῆς πλα*|*κὸς ἡ ὑπογεγραμμένη* | *ἐπιγραφήτω* |
βασιλεὺς Πτολε*μαῖος* Εὐ|*εργέτης τὴν προσευχὴν* | *ἄσυλον*
regina et | *rex iusser*(*un*)*t*

Ephem. epigr. IV p. 25 n. 33 integra. Ad Zenobiam et Vaballathum refertur probabiliter. Utrum ad eandem pertineat titulus supra Meroen in Aegypto repertus, inscriptus *bona Fortuna dominae* | *reginae in multos an*|*nos feliciter* cet., servatus in museo Berolinensi (CIL III 83), an ad regnum aliquod Aethiopicum incertum est.

691 Lambaesi, ara marmorea; servatur ibi in carcere publico ($\frac{1}{8}$).

inter a. 270 et 275




0,025

Deo bono pu|ero pro salu|te d(omini) n(ostri) L. Domi|ti Aureliani | P(ii) F(elicis) inv(icti) Aug(usti) | M. Aurel(ius) For|tunatus v(ir) e(gregius) | praef(ectus) leg(ionis) III | Aug(ustae) Aurelia|nae et Aelia | Optata c(larissima) f(emina) | con(iux) v(otum) s(olverunt) l(ibentes) a(nimo)

CIL VIII 2665 vv. 3. 4.

692 Neapoli (*Nebelkedim*) in provincia proconsulari, basis marmorea; servatur ibi ($\frac{1}{10}$).

a. 282/83



0,095

0,100

Imp(eratori) Caesari | M. Aurelio Karo | Pio Felici Aug(usto), | pont(ifici) max(imo), trib(unicia) p(otestate), | co(n)s(uli), p(atri) p(atriae), proc(onsuli) col(onia) | Iul(ia) Neap(olis) devot(a) | numini eius

CIL VIII 968 vv. 1. 2 et 5.

---

693 Lambaesi, basis marmorea; servatur in praetorio ($\frac{1}{8}$).

inter a. 286 et 305



0,048


Imp(eratores) Caes(ares) C. Aur(elius) Valerius Diocletianus P(ius) | F(elix) invictus Aug(ustus) et M. Aurelius Valerius Ma|ximianus P(ius) F(elix) Aug(ustus) aquae ductum | Titulensem ab originem [sic] *usque ad civita|tem longa vetustate corruptum | per Aurelium Maximianum v(irum) p(erfectissimum) p(raesidem) p(rovinciae) N(umidiae) ad melio|rem statum additis limis restituerunt curantibus Ae|milio Lucino augure cur(atore) rei p(ublicae) et Iulio Aurelio 7 (centurione)*

CIL VIII 2660 vv. 1. 2. Nomina imperatorum erasa non sunt.

---

694 In Castris Lambaesitanis, basis marmorea; servatur in praetorio ($\frac{1}{8}$).

inter a. 286 et 305



0,045

0,040


0,035

Aquaeductum | leg(ionis) III Aug(ustae) [Diocleti]|ani et [Maximiani] Aug(ustorum) | n(ostrorum) multorum incuri|a dilapsum et per lo|ngam annorum seri|em neglectum invic|tissimi ac restituto|res et propagatores | orbis sui [Diocletianus] | et [Maximianus] Aug(usti) | curante Aurelio | Maximiano v(iro) p(erfectissimo) p(raeside) p(rovinciae) N(umidiae) | et Clodio Honorato | v(iro) e(gregio) praef(ecto) leg(ionis) eiusd(em) | in melius refor|matum ad integri|tatem restitue|runt

CIL VIII 2572 vv. 1 et 12. 13. Nomina imperatorum erasa adhuc leguntur.

695 Ammaedarae in provincia Byzacena, basis marmorea; ibi in moenibus castelli ($\frac{1}{8}$).

inter a. 286 et 305




0,050

Imp(eratori) Caes(ari) | M. Aurelio | Valerio | [Maximi]ano | Pio Felici | invicto | Aug(usto) | col(onia) Fl(avia) Aug(usta) | Aemerita | Ammaed(ara) | d(ecreto) d(ecurionum) | p(ecunia p(ublica)

CIL VIII 308 vv. 1—3. V. 4 Maximiani nomen ex parte deletum est.

696 Theveste, epistylium ex lapide calcareo; servatur ibi in museo ($\frac{1}{8}$).

inter a. 293 et 305



0,070

[Pro salute dominorum nostr]orum [Diocletiani et Maximiani] Aug(ustorum) et C o n s t a n t i *et | [Maximiani nob(ilissimorum) Caes(arum) pr]oscaenium sumtu amplissimae civitatis* T h e v e s t i n o r u m | . . . .

CIL VIII 1862 ex vv. 1 et 2 vocabula. Augustorum nomina erasa adhuc leguntur.

697 Alexandreae in Aegypto, basis marmorea; extat ibi in domo privata, fortasse nunc in museo apud *Bulaq* ($\frac{1}{8}$).

inter a. 284 et 305



0,060

[Domi]num orbis terra[rum . . . . . | *toti]us pietatis Au[g(ustum) invictum* | *C.]* A u r *(e l i u m)* V a l *(e r i u m)* D i o c l e t i a n *[um* | *p]atrem Augustoru[m n(ostrorum)]* . . *Aur(elius) Sarapion v(ir) e(gregius)* . . . . | *d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue) e(ius)*

Ephem. epigr. II p. 468 n. 1026 v. 3.

---

698 Uticae (*Bu Schater*), epistylium magnum litteris optimis; servatur in museo Leidensi ($\frac{1}{12}$).




0,200

Aedem trium camerarum vetustate collapsam | addito cultu meliori laneariorum pecunia | propria r e f o r m a v i t s p l *(e n d i d i s s i m a)* c o l *(o n i a)* U t i k *(a)* c u r a n t e | *et dedicante Silio Tertullo c(larissimo) v(iro) cur(atore) suo*

CIL VIII 1183 v. 3. Litterae Wilmannsio visae sunt saeculi tertii exeuntis vel quarti; recte.

---

699 Theveste, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{8}$).



0,055

0,085

C. I u l *(i u s)* V i c t o r i | n u s v *(i x i t)* a *(n n o s)* L X | *h(ic) s(itus) e(st);* | *Iulii Vitalis* | *et Arnobius* | *patr(i) kariss(imo).* | T r i t u r r i

CIL VIII 1951 vv. 1—3 et 7.

SECTIO QVARTA

MONVMENTA AETATIS CONSTANTINAE AD IVSTINIANAM

Notum est a Diocletiano imperii formam inde a Caesare et Augusto stabilem mutatam esse; unde novam ab eo aetatem in rebus populi Romani gerendis incipere recte statuerunt scriptores historici veteres et recentes. Scripturae vero formae, quanquam facile credideris non tantam eas unquam perpessas esse, quantam rem publicam, mutationem, quantum quidem iudicare licet ex monumentis superstitibus, aetate Diocletiana non magnopere differunt a proxime praecedentis, ut vidimus: monumenta aetatis eius scripturae proprietate insignia, quae e variis orbis Romani regionibus congessi, quanquam a reliquis sane distinguuntur, tamen multo illis similiores sunt, quam saeculi quarti. Inde enim a saeculo quarto fere ineunte et medio non in urbe sola, sed in provinciis quoque, ut multa alia, ita etiam ars quadrataria videtur aliquo modo reviviscere. Quod quibus ex causis putandum sit accidisse, quae sane cogitari possunt variae, quaerere distuli; neque vero in rei ipsius observatione mihi videor erravisse. Quod saeculo tertio magis magisque evanuerat inter scripturam vere monumentalem et actuariam, quam dico, discrimen, id, quanquam hac ultima aetate non tam perspicuum est, quam saeculis primo ineunteve secundo, tamen denuo extitit in titulis operum potissimum publicorum videturque antiquioris aetatis consuetudinem imitando exprimere. Videlicet quae in restaurandis antiquioris aetatis operibus potissimum versata est aetas, nova vero condidit aut pauca aut nulla, eam in scriptura quoque vetera exempla secutam esse consentaneum est. Imitantur vero monumenta illa (paucis veluti n. 702 725 729 exceptis) non tam ipsas litterarum vetustiorum formas, sed usum scripturae monumentalis ab actuaria distinguendae. Unde in usum scripturae epigraphicae studiosorum eius potissimum generis monumenta aetate illa oriunda conquirenda exemplisque in hoc opere propositis illustranda erant. Qui praeterea eadem aetate satis frequentes sunt maxime in urbe Roma tituli honorarii vel potius elogia et ipsa publica plerumque auctoritate subscripta statuis virorum clarorum in foris publicis erectis, ea sequi solent scripturam actuariam. Itaque eorum quoque monumentorum scripturam propria exemplorum serie illustrare visum est. Monumenta contra sacra sepulcraliaque privata aetatis labentis in reliquis imperii regionibus non admodum frequentia, ex urbis autem coemeteriis christianis ingenti multitudine prolata in hanc syllogen recipienda non putavi. Habemus eorum vel mox habebimus syllogas plenas peculiares, urbanorum I. B. de Rossii, Gallicorum Edmundi Le Blant, Hispaniae et Britanniae meas; neque scriptura eorum, quamvis interdum accurate et ex certis officinae quadratariae legibus facta, saepius vero prava et barbara, exemplis paucis electis apte illustrari potest. Quare monumenta illa christianae antiquitatis interpretibus relinquenda erant, exceptis exemplis perpaucis certorum potissimum annorum atque aliis quibusdam, quibus aegre carebunt, qui universam scripturae Romanae epigraphicae rationem perspicere volent, veluti scripturae Damasianae, cuius infra specimen suo loco proponemus.

CAPVT PRIMVM

MONVMENTA VRBANA

I

MONVMENTA PVBLICA VRBANA

Inter monumenta magna urbis tectonica saeculo quarto facta et adhuc nobis servata primarium locum obtinet arcus Constantini, cuius titulum ut fideliter repraesentarem (n. 702) operae non peperci, cum fide omnino careant quotquot eius extant imagines. Imitantur litterae eius sine dubio exempla vetusta, ut arcus totus ex antiquiore opere refictus est; et quanquam minime feliciter imitantur, tamen ea ipsa re a reliqua eius aetatis scriptura differunt. Docet hoc comparatio cum titulo aetatis suppa-ris nuper reperto, tabulam dico marmoream, quam *imperator Caesar Fl(avius) Constantinus Maximus* posuit a. 314, cum *aquam Virginem* restaurasset (*Bullettino municipale Rom.* ser. II 9 a. 1881 p. 197 ss. tab. XIII): scripta est litteris satis elegantibus, sed ab arcus titulo plane diversis. Temporum ordinem secutus praecedere feci titulos *Maxentii* miliarios duos suburbanos (n. 700 701), quorum alter quamvis non accurate litterisque inaequalibus scriptus, tamen praestat titulis aevi Diocletiani similibus: alter omnino neglegenter sculptus est. Conferatur cum illis miliarium item viae Appiae eiusdem imperatoris Herculanense (CIL X 6937). Inter ea quae sequuntur exempla titulorum *Constantino* ipsi (n. 703 704), *Constantiae* sorori eius (n. 705), *Helenae* matri eius (n. 706), *Constanti* filio eius (n. 707) positorum, non omnia aequabili cura sculpta sunt; eminent Helenae et Constantis tituli (n. 706 707), litteris illi scripti aliquanto maioribus quam reliqui. Omnes altas et graciles habent litteras, quas etiam monstrat basis *Constantino* a *Q. Attio Granio Caelestino v(iro) c(larissimo)* posita (CIL VI 1143). Tituli ingentis eius fragmenta, quo *d(omina) n(ostra) Helena venerabilis domini n(ostri) Constantini Aug(usti) mater et avia beatissimor(um) et florentissimor(um) Caesarum nostrorum thermas incendio destructas restituit*, servata nunc in museo Vaticano (CIL VI 1136) vidi, sed exhibere non potui. Quae sequuntur bases *Magnentii* (n. 708), *Constantii* iunioris (n. 709 710; cum hoc componendus titulus ab eodem *Flavio Leontio* praefecto urbi *Constantio* positus Ephem. epigr. IV p. 278 n. 798) litteras habent ab ipsius Constantini paene non diversas. Cum basi posita a. 350/51 a *Fabio Titiano* praefecto urbi comparentur cippi statuarum ab eodem viro titulis ornati, paullo etiam quam illa elegantius sculpti (CIL VI 1653 1654; Ephem. epigr. IV p. 293 n. 847); cum basi posita a. 353/54 a *Memmio Vitrasio Orfito* praefecto urbi bases duae item *Constantio* paullo serius (circa a. 356 ad 359) positae ab eodem (CIL VI 1161 1162), quae eius simillimae sunt. Titulum obelisci a *Constantio* erecti (CIL VI 1163) periisse notum est. Ad eandem fere aetatem pertinent tituli *Turcii Aproniani* (CIL VI 1655 *a*) et *Naeratii Cerealis* frequentes (n. 711; cf. CIL VI 1744 1745 et add. ad 1744 *a* p. 855), in quibus A litterae forma notatu digna est. Ex Iuliani et Ioviani imperio brevi nulla supersunt monumenta, quae hic repraesentari possint. Contra in triginta fere annorum spatium (a. 364 ad 395), quo Valentiniani primus et alter, Valens Gratianus Theodosius magnus imperabant, cadunt monumenta septem, quorum exempla hic proposuimus (n. 712—718). Quae si considerabimus coniuncta, summam in universum scripturae in eis aequabilitatem deprehendemus, quae ne modulo quidem litterarum satis diverso admodum afficitur. Sane quaedam monumenta, veluti cippus *Tanaucii Isfalangii* aetatis non satis certae (n. 712), titulus pontis Valentiniani magnus (n. 714, quem sane non dedi ex archetypo, sed Piranesii imaginem secutus fidam in universum), epistylii aedificii incerti (n. 716), maiore cura incisa sunt, quam reliqua; atque 'litteris bonis' scripta quoque dicitur esse basis Valentis ad pontem fratris pertinens nuper reperta (Ephem. epigr. IV p. 279 n. 800), quam non vidi. Sed ne reliqui quidem tituli tam minoribus litteris scripti (n. 713 717 718) quam maioribus (ut n. 715) quanquam minime laudandi sunt, prorsus carent scalpturae quodam artificio. Qui praeterea extant neque vero hic repraesentari aut potuerunt aut debuerunt eius aetatis tituli operum publicorum (perierunt vero maximi, *arcus Gratiani Valentiniani et Theodosii* CIL VI 1184 et *thermarum Constantiniarum* per Petronium Perpennam Magnum Quadratianum praefectum urbi restitutarum CIL V 1750), simili utuntur litteratura: titulus *castelli aquae Claudiae* a. 365 (CIL VI 3866), epistylium *macelli Liviae* a *Valentiniano Valente et Gratiano* instaurati a. 370 (CIL VI 1178, scriptum 'litteris maximis sed parum alte impressis'), bases duae marmoreae altissimae statuarum a *Gabinio Vettio Probiano* praefecto urbi a. 377 restitutarum (CIL VI 3864 cf. 1658 *a*—*d*), stabulum aedificatum per *Valerium Anthidium* praefectum urbi inter annos 379 ad 383 (CIL VI 1794 'litteris inaequaliter exaratis' scriptum), mansiones Saliorum Palatinorum reparatae c. a. 382 (CIL VI 2158). Etiam Theodosii Honorii Arcadii imperium retinet artem quandam et dignitatem in titulis sculpendis, ut docent exempla infra collecta (n. 719—722), quae a praecedentibus non multum differunt. Quae nuper accessit basis *Honorii* a. 405 posita in foro reperta (Ephem. epigr. IV p. 294 n. 849 scripta litteris altis 0,050), eam nondum vidi. *Placidi Valentiniani* deinde tituli saeculo quinto circiter medio tribuendi (n. 723—726) nescio an casu acciderit ut paullo antiquiores elegantia adeo superarent: cum ad amphitheatri Flavii instaurationem spectent omnes (nam etiam n. 723 videtur eo referendus esse), formis et elegantia litterarum accedere student ad exempla vetusta, in ipso scalpendi vero opificio (quod imagines repraesentare non possunt) eis inferiores sunt. Idem probant tituli


magni portarum Portuensis Praenestinae Tiburtinae ab *Arcadio et Honorio* cum turribus et moenibus restauratarum a. 402/3 (CIL VI 1188—1190), quorum ectypa imaginesve nancisci non potui; item epistylium magnum aedificii incerti ab *Anicio Acilio Glabrione Fausto* praefecto urbi restituti inter annos 408 et 423 (CIL VI 1676); arcus vero *Arcadii et Honorii* titulus a. 405 (CIL VI 1196), item *secretarii senatus* a. 412 (CIL VI 1718) interierunt. Ultimum eius aetatis monumentum quod novi, basis *Fl(avii) Eugenii Aselli v(iri) c(larissimi) praef(ecti) urb(i)* anno, ut videtur, 469 (CIL VI 1668), litteris scriptum est magnis nec admodum malis.

Inde a saeculo vero quinto exeunte ut monumenta publice inscripta rarissima fiunt, ita ars quoque quadrataria celeriter ad interitum vergit.

Duo aetatis ultimae monumenta, quorum alterum extra fines huic operi in universum scriptos cadit, sed apte hic visum est adiungi posse, protuli titulos urbanos saeculo integro inter se distantes: ad amphitheatrum Flavium pertinentem a. 508 (n. 728) et columnae Phocae imperatori positae a. 608 (n. 729); pontis Salariae titulum a *Narse* positum a. 565 (CIL VI 1199*a*) interiisse notum est. Atque *Decii Marii Venantii Basilii praefecti urbi* titulus infeliciter sane formas litterarum aliquanto vetustiores exprimere studet artificio inaequali (n. 728); *Smaragdi exarchi Italiae* simplicitatem et aequalitatem, quam apparet eum sequendam sibi proposuisse, aliquo modo consecutus est (n. 729), quanquam in singulis litteris imitandis, maxime in R littera, quadratarius suae aetatis consuetudinem (cf. n. 727) deserere non valuit.

700 Romae, miliarium quintum viae Appiae; in museo Vaticano (⅛).

inter a. 306 et 312



0,058

0,048


Imp(eratore) d(omino) n(ostro) | M. Aur(elio) | Valerio | Maxentio | Pio Felici invic|to ac perpetuo | Aug(usto) | V

Orell. 1066 integra praeter numerum. Numerus infra positus scriptus est elemento alto 0,160.

---

701 Romae, miliarium viae Praenestinae septimum, in columna Anniae Regillae Herodis Attici titulum Graecum habens inversa incisum; in museo Capitolino (c. ⅙).

inter a. 306 et 312




0,033

Do[m]ino | nostro | Maxentio | Pio Felici | invicto | Augusto | VII

Orell. 4877 vv. 1—4. Numerus VII scriptus est elementis altis 0,042.

702 Romae, in arcu Constantini litteris magnis olim aere repletis. Ex imagine photographa faciei, quae versus ecclesiam S. Gregorii spectat (SSW) correcta ad archetypum a Bormanno.

a. 315



In utraque facie: *Imp(eratori) Caes(ari) Fl(avio) Constantino Maximo* | *P(io) F(elici) Augusto s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus),* | *quod instinctu divinitatis mentis* | *magnitudine cum exercitu suo* | *tam de tyranno quam de omni eius* | *factione uno tempore iustis* | *rem publicam ultus est armis,* | *arcum triumphis insignem dicavit*

In latere occidentali: *sic X* (*decennalia*) *sic XX* (*vicennalia*)

In latere orientali: *votis X* (*decennalibus*) *votis XX* (*vicennalibus*)

Intra fornicem utrimque: *liberatori urbis, fundatori quietis*

CIL VI 1139 faciei titulus integer; I. B. de Rossi *bullettino di archeologia christiana* I a. 1863 p. 58 faciem versus amphitheatrum spectantem exhibuit accurate in indicandis eis, quae ex instauratione novicia addita sunt, sed litterarum formis non veris.


V. 3 Cauda Q litterae instauratione interiit.

Bormannus exemplum meum ex photographo desumptum accurate comparavit cum lapide et formas recte redditas esse affirmavit; litteras in lapide ait aliquanto crassiores et rudiores apparere, P potissimum et R plerasque, etiam M interdum male cessisse quadratario. Quod facile intellegitur, cum litterae ex aere incrustatae fuerint. In universum idem adnotat titulum peius habitum esse, litteras ex parte magis corrosas et luxatas, quam in imagine photographa apparebant.

---

703 Romae, basis marmorea; in museo Neapolitano (c. 1/7).

inter a. 306 et 337



0,040


0,036

Omnia magno | *virtute praecipuo* | *d(omino) n(ostro) Constantino Max(imo)* | *victori ac triumphatori* | *semper Augusto* | *Postumius Isidorus v(ir) c(larissimus)* | *praef(ectus) vigil(um) d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue)* | *eius*

CIL VI 1144 vv. 1—5.

704 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{8}$).

inter a. 306 et 337



0,051


0,037

Piissimo ac fortissimo | fundatori pacis | et restitutori publicae | libertatis victoriosissimo | d(omino) n(ostro) Fl(avio) Val(erio) | Constantino maximo | Pio Felici invicto Aug(usto) | Val(erius) Rusticus v(ir) p(erfectissimus) rat(ionalis) s(ummae) r(ei) | d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eius | curante Val(erio) Pelagio v(iro) e(gregio) proc(uratore) | s(acrae) m(onetae) u(rbis) una cum p(rae)p(ositis) et officinatoribus

CIL VI 1145 vv. 5—8.

705 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{8}$).

post a. 323



0,050

[*D(ominae) n(ostrae) C*]*o*[*nstantiae*] | *inlustri et divinae prosa*[*p*](*iae*) | *genitae venerabili sorori* | *d(omini) n(ostri) Constantini Aug(usti) et* | *amitae* | *d(ominorum) n(ostrorum) baeatissimorum* [sic] *C*[*aes(arum)*] *d(omini) n(ostri) Fl(avii) Iul(ii) Constanti . . . . . .*

CIL VI 1153 vv. 2—4 pars sinistra.

V. 1 erasum videtur nomen Constantiae, sororis Constantini et uxoris Licinii, post bellum contra Licinium gestum.

706 Romae, basis magna reperta in Esquiliis; extat in hypogaeo basilicae Sessorianae (c. $\frac{1}{10}$).

inter a. 323 et 333




0,064

Dominae nostrae Fl(aviae) Iul(iae) | Helenae piissimae Aug(ustae), | genetrici d(omini) n(ostri) Constan|tini Maximi victoris | clementissimi semper | Augusti, aviae Constantini et Constanti beatis|simorum ac florentis|simorum Caesarum | Iulius Maximilianus v(ir) c(larissimus) comes | pietati eius semper dicatis(simus)

CIL VI 1134 vv. 1. 2. Est Helenae matris Constantini pertinetque ad annos s. s. *L* versus primi ultima *I* similior evasit lapicidae errore.

707 Romae, basis marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{8}$).

inter a. 333 et 337



0,056

In fronte: *D(omino) n(ostro) Fl(avio) Iul(io) Constanti, | nobilissimo ac | fortissimo Caes(ari) | Rupilius Pisonianus v(ir) c(larissimus) | praefectus vigilum | d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eius*

In latere dedicatio vetustior scalpro paene deleta legitur

CIL VI 1157 vv. 1—3. Est Constantis iunioris.

708 Romae, basis marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{7}$).

a. 350-351



0,042


[Propagatori orbis | ac Romanae rei | d(omino) n(ostro) Magnentio] | Maximo vic|tori ac triumfa|tori semper Aug(usto) | Fabius Titianus v(ir) c(larissimus) cons(ul) | ordinarius, praef(ectus) urbi, | iterum iudex cognitionum | sacrarum maiestati eius | dicatissimus

CIL VI 1167 vv. 7. 8. Fabius Titianus est praefectus urbi anni s. s.

---

709 Romae, basis marmorea reperta in Aventino; tabula inde desecta in museo Capitolino (c. $\frac{1}{9}$).

a. 353-354



0,052
0,046

In fronte: *D(omino) n(ostro) Constantio | Augusto | Memmius Vitrasius | Orfitus v(ir) c(larissimus), praef(ectus) urb(i), | iudex sac(rarum) cogn(itionum) iter(um) | d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eius | curante Publilio | Caeionio Iuliano c(larissimo) v(iro)*


In latere est titulus dedicationis vetustior, a. 239

CIL VI 1159*a* vv. 3. 4. Orfitus est praefectus urbi anni s. s.; frontis titulus in litura repositus est.

---

710 Romae, basis marmorea reperta in Aventino; tabula inde desecta in museo Capitolino (c. $\frac{1}{9}$).

a. 355-356




0,068
0,060

D(omino) n(ostro) Constantio | Augusto | Fl(avius) Leontius v(ir) c(larissimus) | praef(ectus) urb(i), iter(um) | vice sacra iudic(ans), | d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eius

CIL VI 1160 vv. 3. 4. Leontius est praefectus urbi anni s. s.

711 Romae, bases marmoreae plus minus duodecim repertae ad Caelium et Esquilinum; servatur haec in villa Matthaeorum (c. $\frac{1}{9}$).

a. 358



0,051


Naeratius | Cerealis v(ir) c(larissimus) | cons(ul) ord(inarius) | conditor balnearum | censuit

CIL VI 1744*a* vv. 1—3. Tituli ad balnea a Neratio Cereale consule ordinario anni s. s., praefecti urbi annorum 352 et 353, pertinent.

---

712 Romae, basis marmorea reperta in Aventino; tabula inde desecta in museo Capitolino ($\frac{1}{10}$).

inter a. 364 et 375



0,060
0,056
0,060

Tanaucius | Isfalangius | v(ir) c(larissimus) praefectus | urbi iterum

CIL VI 1672*a* integra. Ad aetatem Valentiniani I rettulit Borghesius.

713 Romae, basis marmorea reperta ad thermas Antoninianas; tabula inde desecta in museo Capitolino (c. $\frac{1}{5}$).

a. 365



0,029
0,026

D(omini) n(ostri) Valentinianus | et Valens Augusti | ornatui publico | constitui locarique | iusserunt | administrante Rufio Volusiano v(iro) c(larissimo) ex praef(ecto) praet(orio), praef(ecto) urbi, iud(ice) iterum sacrar(um) cognit(ionum)

CIL VI 1170 vv. 1. 2. Volusianus est praefectus urbi anni s. s.

---

714 Romae, in ponte S. Bartholomaei in fascia externa ea, quae trans Tiberim eunti dextra est, olim repetitus etiam in altero pontis latere; ex Piranesio ($\frac{1}{3}$). Mensuram litterarum veram ignoro.

inter a. 365 et 367



Gratiani triumfalis principis pontem aeternitate Augusti nominis consecratum in usum senatus populique Romani d(omini) n(ostri) Valentinianus Valens et Gratianus victores maximi ac perennes Augusti incohari perfici dedicariqu[e iusserunt]

CIL VI 1176 (cf. Ephem. epigr. IV p. 280 n. 802); Piranesi vol. IV tab. XXII.
Titulus uno versu scriptus est. AETERNITATI testes reliqui.

---

715 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{12}$).

inter a. 375 et 378



0,090


[Fortissimis] | invictissimisque princ(ipibus) | d(ominis) n(ostris) Valentiniano | Valenti et Gratiano Aug(ustis) | Fl(avius) Antigonus v(ir) p(erfectissimus) p(rae)p(ositus) | colymbum nemus vetustate lap(sum) | testacio picturis ac statuis | cum omni cultu ador[navit]

CIL VI 1179 vv. 3. 4. Litterae magnae et graciles; A altera in nomine Valentiniani linea transversa caret.

---

716 Romae, epistylium marmoreum litteris magnis, repertum a. 1872 in foro; ubi extat (c. $\frac{1}{14}$).

inter a. 379 et 383




0,087

Dominis omnium Gratiano Valentiniano et Theodosio imperatorib(us) Aug[ustis] | L. Val(erius) Sept(imius) Bass[us] v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urb(i) maiestati eorum dicavit

CIL VI 1184*a* v. 1 pars media.
Ad quod opus pertinuerit epistylium incertum; tempus definitur eo quod Theodosius imperium adeptus est a. 379, a. 383 obiit Gratianus.

717 Romae, basis marmorea reperta a. 1874 in foro; ibi extat (c. $\frac{1}{6}$).

a. 389 ad 391



0,046


Extinctori tyrannorum | ac publicae securitatis | auctori | domino nostro Arcadio | perpetuo ac felici | semper Augusto | Ceionius Rufius Albi[nus v(ir) c(larissimus)] | praef(ectus) urbi ite[rum] | vice sacra iudicans d(evotus) n(umini) m(aiestati)[q(ue) eius]

CIL VI 3791*b* vv. 8. 9. Praefectura urbis Ceionii Rufii Albini cadit in annos s. s.

---

718 Romae, basis marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{8}$).

c. a. 391



0,056


Domino nostro | Fl(avio) Theodosio | Augusto | Faltonius Probus | Alupius v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi

CIL VI 1185 vv. 1—3. Alypius praefectus urbis est anni s. s.

---

719 Romae, basis marmorea; in museo Florentino ($\frac{1}{8}$).

a. 395-408



0,060


0,058

D(omino) n(ostro) Fl(avio) Arcadio | pio felici victori | ac triumfatori | semper Augusto | Caecina Decius Albinus v(ir) c(larissimus) | praefectus urbi vice | sacra iudicans devotus | numini maiestatique eius

CIL VI 1192 vv. 1—4.

720 Romae, basis marmorea, reperta ad Aventinum; in villa Albania (c. $\frac{1}{6}$).

c. a. 414



0,041


In fronte: *Salvis d(ominis) n(ostris) | Honorio et Theodosio | p(iis) f(elicibus) semp(er) Aug(ustis) | Caecina Decius | Acinatius Albinus | v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi | facto a se adiecit ornatui*
In latere est dedicationis vetustioris titulus (a. 162)

CIL VI 1659 vv. 4—6. Albinus praefectus urbi creditur esse anni s. s.

---

721 Romae, tabula magna marmorea reperta in Aventino; in museo Capitolino ($\frac{1}{9}$).

c. a. 414



0,045
0,050


Salvis ac florentibus d(ominis) n(ostris) Honorio et Theodos[io] | perpetuis semper Aug(ustis) Caecina Decius Acinatius | Albinus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi vice sacra iudicans | cellam tepidariam inclinato omni pariete laben-t[em], | de qua cellarum ruina pendebat, erectorum a fu[n]|damentis arcuum duplici munitione fulcivit | d(evotus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eorum palmae ramuli duo

CIL VI 1703 vv. 2 dimidius et 3. Praefectus urbi creditur esse anni s. s. A littera v. 1 et in Acinatii nomine lineam transversam habet angulatam, praeterquam vero rectam.

---

722 Romae, basis marmorea reperta a. 1870 ad forum Traianum; extat ibi in palatio Simonettorum (c. $\frac{1}{9}$).

a. 421




0,064
0,060
0,064

D(omino) n(ostro) Honorio | florentissimo | invictissimoq(ue) | principi | s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) | curante Rufio Antonio | Agrypnio Volusiano | v(iro) c(larissimo) praef(ecto) urbi | iterum vice sacra | iudicante

CIL VI 1194 vv. 5—8. Volusianus hic creditur esse praefectus urbi anni s. s.

723 Romae, fragmentum zophori marmorei repertum ad radices Esquiliarum; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{9}$).

c. a. 443



0,067


Domino rerum humanarum Valentiniano p(er)p(etuo) Augus[to ....] Petronius Maximus IIII praefectus et bis consul ord(inarius) squalore summoto

CIL VI 1197 pars prior (titulus versu uno scriptus est). Petronius Maximus est consul ordinarius anni s. s.

---

724 Romae, basis litteris magnis ex amphitheatro Flavio; ibi extat ($\frac{1}{15}$).

c. a. 425



0,105

Salvis [d(ominis)] n(ostris) Theodosio et Placido V[alentiniano Aug(ustis)] | Rufu[s] Caecina Felix Lampadius v(ir) c(larissimus) [et inl(ustris) praef(ectus) urbi] | ha[re]nam amphitheatri a novo una cum po[dio et portis | post]icis, sed et reparatis spectaculi gradibus [restituit]

CIL VI 1763 v. 2 pars media. Pertinet ad restitutionem amphitheatri factam fortasse post a. 422, cum imperatorum nomina demonstrent titulum positum esse intra annos 425 et 450.

---

725 Romae, fragmenta titulorum in amphitheatro Flavio reperta, quae spectant ad instaurationem a Placido Valentiniano factam; servata ibidem (ex tabulis Lancianii, $\frac{2}{3}$).

a. 425-455

a



0,310

b



0,290

a *Valentiniani* *b* *Valentinianus*

CIL VI 1796 16–25; Lanciani *bullettino della commissione archeologica communale di Roma* 8 (1880) p. 226 ss.

---

726 Romae, fragmenta tituli alicuius ad instaurationem amphitheatri Flavii ante terrae motum a. 422 spectantis, reperta et servata ibidem (ex tabula Lanciani, $\frac{2}{3}$).

c. a. 420?

0,180



Amphitheatri

Lanciani *bullettino della commissione archeologica communale di Roma* 8 (1880) p. 231.

727 Romae, fragmenta tituli alicuius in amphitheatro Flavio reperta, quae videntur spectare ad muri exterioris instaurationem saeculo quinto exeunte factam; servata ibidem (ex tabula Lancianii, $\frac{2}{3}$).

c. a. 460?




[a]etatis .... are[nam?] ...

Lanciani *bullettino della commissione archeologica communale di Roma* 8 (1880) p. 232.

---

728 Romae, basis magna marmorea; reperta et servata in amphitheatro Flavio (c. $\frac{1}{6}$).

a. 508



0,050
0,060

Decius Marius Venantius | Basilius v(ir) c(larissimus) et inl(ustrissimus) praef(ectus) | urb(i), patricius, consul | ordinarius arenam et podium, quae abominandi terrae motus ruina pros|travit, sumptu pro|prio restituit


CIL VI 1716*b* vv. 1. 2. Basilius creditur esse consul ordinarius anni s. s.

---

729 Romae, basis columnae Phocae imperatoris in foro Romano ($\frac{1}{5}$).

a. 608

0,058



Optimo clementiss[imo piissi]moque | principi domino n(ostro) F[ocae imperat]ori | perpetuo a d(omin)o coronato [t]riumphatori | semper Augusto | Smaragdus ex praepos(ito) sacri palatii | ac patricius et exarchus Italiae | devotus eius clementiae | pro innumerabilibus pietatis eius | beneficiis et pro quiete | procurata Ital(iae) ac conservata libertate | hanc sta[tuam maiesta]tis eius | auri splend[ore fulge]ntem huic | sublimi colu[m]na[e ad] perennem ipsius gloriam imposuit ac dedicavit | die prima mensis Augusti indict(ione) und(ecima) p(ost) c(onsulatum) pietatis eius anno quinto

CIL VI 1200 vv. 5—10.


II

TITVLI VRBANI HONORARII SACRI SEPVLCRALES

Quae hic composui monumenta honoraria maximam partem (sacra enim pauca sunt, n. 730 741) saeculorum quarti et quinti cum scriptura utantur, ut dixi, actuaria, potuerunt etiam inter partis secundae exempla collocari, praesertim cum argumenta quoque eorum verbosa actorum saepe formam habeant (cf. n. 736 747) et honores singulos per cola et commata dispositos enumerent (n. 738 739), ut acta tum scribi solebant. Sed cum ad monumenta proprie pertineant, ex lege universa quam mihi scripsi in hoc opere observandam, a reliquis speciminibus aetatis labentis, cuius scribendi rationem optime illustrant, non putavi segreganda esse. Accedit quod scriptura eorum magnitudine quamvis raro et in prioribus potissimum versibus ad monumentalem prope accedit (ut in n. 731 736). De singulis pauca observanda sunt. Apparet quadratarios ubique fere secutos esse exempla calamo exarata; interdum (ut in n. 741) litterarum formae occurrunt praeterquam in scriptura epigraphica rarissimae (q); etiam ubi monumentalem scripturam adhibent, ut in versu primo, quod modo adnotavi, et, quod mireris, in dedicatione in margine adscripta (n. 730), tamen ipse modulus litterarum plerumque parvus ad actuarias formas ducebat. Quae omittenda putavi eius generis monumenta certae aetatis pauca praeterea servata, bases *Fl(avii) Sallustii v(iri) c(larissimi) cons(ulis) ordinarii* a. 363 (CIL VI 1729), *Tarrutenii Maximiliani v(iri) c(larissimi)* a. 438 (CIL VI 1767), *Rufii Praetextati* in museo Florentino servatus a. 448 (CIL VI 1761), *Placidi* alicuius (CIL VI 1757), ea scripturae proprietates insigniores nullas habent; alia, veluti tabella minima *Asterii* ad sacellum Liberi pertinens saeculo sine dubio quarto fere exeunte scripta (CIL VI 462), item *tabula Mithriaca* a. 362 (CIL VI 753), ea non obtinui charta expressa. In fine posui titulum sepulcralem pueri aetatis incertae, sed quem litterae arguunt quarto saeculo tribuendum esse (n. 751). Recentissimum sepulcralem nobilis Gothi a. 589 (Ephem. epigr. IV p. 294 n. 851 *hic requiescit in pace Wiliaric nepus mag(istri) mil(itiae) Trasaric* cet.) ex Rossii tabula (inscr. christ. I p. 516 n. 1126) novi formas litterarum habere quamvis barbaras, tamen non sine artificio quodam delineatas.

730 Romae, cippus marmoreus; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{3}$).

a. 321




0,031

In fronte: *deo Herculi inv(icto)* | *M. Iun(ius) Nicomachus Anicius* | *Faustinus Paulinus*
In latere: *d(e)d(icata)* | *XII kal(endas) Octob(res)* | *Crispo et Constanti|no Caes(aribus) II cons(ulibus)*

CIL VI 315 lateris titulus integer. Frontis titulus scalpro deletus est (sed ita ut legatur) atque in locum eius inscriptum D · O · M.

731 Romae, basis marmorea magna, reperta ad radices montis Quirinalis; in museo Lateranensi ($\frac{1}{8}$).

inter a. 323 et 337




0,056
0,048
0,038

Dogmatii; | *honori* | *C. Caelio Saturnino v(iro) c(larissimo)* | *allecto petitu senatus inter* | *consulares, comiti d(omini) n(ostri) Constantini* | *victoris* sequuntur reliqua munera | *C. Fl(avius) Caelius Urbanus v(ir) c(larissimus)* | *consularis patri*

CIL VI 1704 vv. 1. 2 et nomen plintho inscriptum. Titulus videtur positus esse post caesum Licinium (a. 323) et ante obitum Constantini (a. 337).

732 Romae, basis marmorea; in villa Matthaeorum (c. $\frac{1}{4}$).

post a. 337



0,022


Populonii. | *L. Aradio Val(erio) Proculo v(iro) c(larissimo)* | *auguri* | *pontifici maiori* | sequuntur honores reliqui per commata dispositi | *proconsuli provinciae Africae vice* | *sacra iudicanti eidemq(ue) iudicio sacro* | *per provincias proconsularem et* | *Numidiam Byzacium ac Tripolim* | *itemque Mauretaniam Sitifensem et* | *Caesariensem* | cet. | *huic corpus suariorum et confectuariorum* | *auctoribus patronis ex affectu eidem iure debito* | *statuam patrono digno ponendam censuit*

CIL VI 1690 vv. 18. 19. Proculus praefectus urbi fuit a. 337.

---

733 Romae, basis magna marmorea reperta ad forum Traianum; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{6}$).

c. a. 350



0,035
0,030


Asterii. | *L. Turcio Secundo c(larissimo) v(iro),* | *filio L. Turci Aproniani c(larissimae) m(emoriae) v(iri),* | *praef(ecti) urbi, nepoti* | *L. Turci Secundi c(larissimae) m(emoriae) v(iri),* | *consuli, praetori, quaestori* | sequuntur honores reliqui *ordo* | *splendidissimus Amiterninae* | *civitatis ob insignem erga se* | *amorem patrono dignissimo* | *statuam ex aere* | *post administrationem* | *ad perpetui nominis* | *gloriam dedit*

CIL VI 1772 vv. 1—3. Asterius filius est praefecti urbi a. 339, frater praefecti urbi a. 363.

---

734 Romae, basis marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{6}$).

c. a. 350




0,038

....ae Paternae | *[Eu]nomiae c(larissimae) m(emoriae) f(eminae),* | *uxori optimae* | *et merito dilectissimae* | *L. Turcius Secundus* | *Asterius v(ir) c(larissimus) ex aere* | *statuam dedit*

CIL VI 1773 vv. 8. 9. Uxor viri, cuius est titulus praecedens.

735 Romae, basis ingens reperta ad radices montis Quirinalis; in museo Lateranensi (c. ¼).

post a. 368



0,021
0,019

In fronte: *Hymetii.* | *Iulio Festo Hymetio c(larissimo) v(iro),* | *correctori Tusciae et Umbriae, praetori urbano* | sequuntur honores reliqui et merita in provinciam Africam | *ob quae eadem provincia Africa decretis ad divinos principes* | *dominos nostros missis* | *Valentem Gratianum et Valentinianum* | *perpetuos Augustos* | *statuam unam apud Carthaginem sub auro,* | *alteram quoque Romae eidem sub auro* | *postulandam esse credidit, quod nulli* | *proconsulum vel ex proconsulibus* | *statuendam antea postularit*


In latere: *d(ominis) n(ostris) Val[entiniano ....]*

CIL VI 1736 vv. 2. 3. Hymetius vicarius urbis Romae fuit a. 362, proconsul Africae a. fere 368.

---

736 Romae, basis magna marmorea reperta sub Capitolio; in museo Vaticano (c. ⅕).

a. 377



0,037
0,020

In fronte: *Phosphorii.* | *Lucio Aur(elio) Avianio Symmacho v(iro) c(larissimo)* | *praefecto urbi, consuli* sequuntur honores reliqui | ... *auro inlustrem statuam* .... *idem triumfatores principes nostri constitui* ... *iusserunt* ...., *quorum perenne* | *iudicium tanto muneri hoc quoque ad|didit, ut alteram statuam pari splen|dore etiam apud Constantinopolim* | *conlocaret*


In latere: *dedicata III kal(endas) Maias* | *d(omino) n(ostro) Gratiano IIII et Merobaude co(n)s(ulibus)*

CIL VI 1698 vv. 1. 2. Dedicata est, ut lateris titulus indicat, anno s. s. Symmachus hic pater est oratoris clari.

---

737 Romae, basis magna marmorea reperta in monte Pincio; in museo Capitolino (c. ⅕).

a. 378



0,026
0,030
0,041

In fronte: *Nobilitatis culmini,* | *litterarum et eloquentiae lumini* | sequuntur aliae laudes per commata dispositae | *Petronio* | *Probo v(iro) c(larissimo) proconsuli Africae,* | *praefecto praetorio* | sequuntur honores reliqui | *ob insignia erga se remediorum genera* | *Veneti adque Histri peculiares eius* | *patrono praestantissimo*

In latere: *dedicata* | *VI idus Aug(ustas)* | *d(ominis) n(ostris)* | *Valente VI et* | *Valentiniano II* | *Aug(ustis) cons(ulibus)*

CIL VI 1751 vv. 8. 9 frontis et vv. 3—6 lateris.

Dedicata est basis, ut titulus in latere scriptus indicat, anno s. s. In *Petronii* nomine E littera casu F similis evasit. *Probi* nomen videtur errore omissum et statim additum esse; litterae eius altae sunt 0,023.

738 Romae, basis magna marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{2}{5}$).

a. 384



0,012

In fronte: *D(iis) M(anibus).* | *Vettius Agorius Praetextatus,* | *augur, pontifex Vestae,* | *pontifex Solis, quindecemvir* | sequuntur reliqui honores per commata dispositi | *et Aconia Fabia Paulina c(larissima) f(emina)* | .... | *hi coniuncti simul vixerunt ann(os) XL*

In reliquis lateribus tribus leguntur carmina

CIL VI 1779*a* vv. 2. 3. Est praefectus praetorio notissimus a. 384, quo anno defunctus est. F non semel in hoc titulo E prorsus similis evasit.

---

739 Romae, basis magna marmorea; in villa Matthaeorum ($\frac{1}{3}$).

a. 387



0,025

In fronte: *Agorii* | *Vettio Agorio Praetextato v(iro) c(larissimo)* | *pontifici Vestae, quaestori* | sequuntur honores reliqui columnis duabus, sacerdotales a laeva, a dextra profani


In latere: *dedicata kal(endis) Febr(uariis)* | *d(omino) n(ostro) Fl(avio) Valentiniano Aug(usto) III* | *et Eutropio cons(ulibu)s*

CIL VI 1778 lateris titulus integer. Est Vettii Agorii Praetextati, defuncti a. 384. Consules sunt anni s. s. E et F paene non distinguuntur.

---

740 Romae, basis magna marmorea reperta in insula Tiberina; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).

a. 389



0,021


In fronte: *Ragonio Vincentio Celso v(iro) c(larissimo)* | *a primo aetatis introitu in actu* | *publico fideli, exercitatione versato* | sequuntur laudes praefecturae annonae | *hinc etiam factum est, ut mensores nos Portuenses,* | *quib(us) vetus fuit cum caudicariis diuturnumq(ue) luctamen, voti compotes abiremus* | .... *iam posito* | *magistratu statuam patrono praestantis|simo testimonium gratulationis exsolvimus* ....

In latere: *dedicata VIII kal(endas)* | *Sept(embres) Fl(avio) Timasio et Fl(avio) Promoto* | *v(iris) c(larissimis) cons(ulibus)*

CIL VI 1759 vv. 1. 2. Consules in latere indicati sunt anni s. s. Litterae sunt parvae, sed satis accurate incisae.

741 Romae, ara marmorea; in museo Capitolino (c. 1/4).

a. 390



0,024

Diis omnipotentibus | *Lucius Ragonius* | *Venustus v(ir) c(larissimus)* | *augur publicus* | *p(opuli) R(omani) Q(uiritium), pontifex* | *Vestalis maior, percepto taurobolio* | *criobolioque* | *X kal(endas) Iun(ias)* | *d(omino) n(ostro) Valentiniano* | *Aug(usto) III et Neoterio cons(ulibus) aram consecravit*

CIL VI 503 vv. 2—4. Consules sunt anni s. s.

---

742 Romae, basis marmorea; in villa Matthaeorum (c. 1/6).

a. 394



0,032

In fronte: .... | *probitate morum indus|triaque vivendi adque utris|que litteris erudito, iam inde* | *a maioribus suis inlustribusq(ue) familiis civitatis patrono* sequuntur laudes aliae ... *huic igitur* ..... *statuam Saenen|sium ordo decrevit adque in aeterne urbis* | *privatis eius aedebus conlocavit*


In latere: *dedic(ata) idus Aug(ustas) d(ominis) n(ostris)* | *Arcadio III et Honorio II* | *Aug(ustis) cons(ulibus)*

CIL VI 1793 vv. 1. 2. Consules sunt anni s. s.

---

743 Romae, tabula marmorea de basi desecta; in museo Capitolino (c. 1/6).

post a. 395




0,032

Sexto Petronio Probo | *Anicianae domus* | *culmini, proconsuli* | *Africae, praefecto* | *praetorio quater* sequuntur reliqui honores *Anicius* | *Hermogenianus* | *Olybrius v(ir) c(larissimus) consul* | *ordinarius et Ani|cia Iuliana c(larissima) f(emina) eius* | *devotissimi filii* | *dedicarunt*

CIL VI 1753 v. 1—3. Olybrius est consul ordinarius anni s. s.

744 Romae, basis magna marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{9}$).

post a. 402



0,052
0,032


Fl(avio) Peregrino Saturnino | a primis adulescentiae suae annis | pace belloque in re publica de|sudanti ...., cui .. aeterni principes .... ad posteritatis | memoriam decorandam statuam sub | auro fulgentem in foro divi Traiani | erigi conlocarique iusserunt

CIL VI 1727 vv. 1. 2. Saturninus praefectus urbi fuit post annum s. s.

---

745 Romae, basis magna marmorea; in hortis Medicaeorum in monte Pincio ($\frac{1}{8}$).

inter a. 405 et 408



c. 0,040


[Fl(avio) Stilichoni inlustrissimo] | viro bis consuli ordinario | magistro utriusque militiae sequuntur reliqui honores | *populus Romanus | .... | statuam ex aere argentoque | in rostris ..... | conlocandam decrevit | exequente Fl(avio) Pisidio Romulo v(iro) c(larissimo) | praef(ecto) urbi*

CIL VI 1731 vv. 2. 3. Stilicho iterum consul fuit a. 405, mortuus est a. 408.

---

746 Romae, tabula marmorea de basi desecta ex foro Traiani; in museo Neapolitano ($\frac{1}{8}$).

c. a. 410



0,048
0,025
0,030

[Cl(audii)] Claudiani v(iri) c(larissimi). | [Cla]udio Claudiano v(iro) c(larissimo) tri|[bu]no et notario, inter ceteras | [de]centes artes praegloriosissimo poetarum e. q. s. *d(omini) n(ostri) Arcadius et Honorius | ...... senatu petente | statuam in foro divi Traiani | erigi collocarique iusserunt*

εἰν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον | καὶ μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ βασιλῆς ἔθεσαν

CIL VI 1710 vv. 1—3 et 14. 15. Basis statuae poetae celeberrimi posita anno circiter s. s.

747 Romae, basis magna marmorea effossa in foro Traiano; ubi extat (¼).

a. 431



0,021

In fronte: *Nicomacho Flaviano cons(ulari) Sicil(iae), vicar(io) Afric(ae), quaest(ori) aulae | divi Theodosi, praef(ecto) praet(orio) Ital(iae) Illyr(ici) et Afric(ae) iterum* sequuntur honores reliqui .... | *imperatores Caes(ares) Fl(avius) Theodosius et Fl(avius) Placidus Valentinianus | semper Aug(usti) senatui suo salutem |* sequitur rescriptum imperatorum | *Appius Nicomachus Dexter v(ir) c(larissimus) expraef(ecto) urb(i) avo optim(o) | statuendam curavit*

In latere: .... *Sept(em)b(ribus) | [Basso et Antioc]ho v(iris) c(larissimis) cons(ulibus)*

CIL VI 1783 vv. 1. 2. Consules in latere indicati sunt anni s. s.

---

748 Romae, basis magna marmorea litteris minutis in foro Traiano reperta; ubi extat (c. ⅓).

a. 435



0,019

In fronte: *[Fl(avio) Merob]audi v(iro) s(pectabili) com(iti) s(acri) c(onsistorii). | Fl(avio) Merobaudi aeque forti et docto viro tam facere | laudanda quam aliorum facta laudare praecipuo* sequuntur laudes et honores reliqui — *ideo illi cessit in praemium* | .... *imago aere formata,* .... *quod huic quoque cum | augustissimis Roma principibus | Theodosio et Placido Valentiniano rerum dominis | in foro Ulpio detulerunt* cet.

In latere: *dedicata III kal(endas) Aug(ustas) cons(ulibus) d(ominis) n(ostris) | Theodosio XV et Valentiniano IIII*

CIL VI 1724 v. 2. Basis honoraria poetae noti, dedicata, ut lateris titulus indicat, anno s. s.

---

749 Romae, basis magna marmorea; in museo Vaticano (⅕).

c. a. 438



0,030

Spedii. | Acilio Glabrioni Sibidio v(iro) c(larissimo) et omnibus | meritis inlustri sequuntur honores reliqui | ... *patri reverentissimo Anicius Acilius | Glabrio Faustus v(ir) c(larissimus)* .. *togatam statuam* ...... *ponendam | erigendamque curavit*

CIL VI 1678 v. 2. Est pater Acilii Glabrionis Fausti, consulis ordinarii anni s. s.

---

750 Romae, basis fori Traiani magna marmorea litteris minutis; in museo Lateranensi (c. ⅓).

inter a. 441 et 445




0,057
0,022

Fl(avii) Olbi Auxenti Drauci. | Fl(avio) Olbio Auxentio Drauco v(iro) c(larissimo) et inl(ustrissimo), patriciae familiae | viro sequuntur honores reliqui ...... | *d(omini) n(ostri) Fl(avii) Theodosius et Placidus Valentinianus invicti | ac triumfatores principes semper Augusti* | ...... *statuam auro fulgentem erigi conlocarique iusserunt*

CIL VI 1725 vv. 1. 2 pars sinistra. Auxentii praefectura urbis prior cadit in a. 441, altera, quae hic non memoratur, in a. 445.

751 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{7}$).



0,042

D(is) o(mnibus) M(anibus)? | *Plautio Gnatio* | *alumno dulcissimo* | *gratissimo* | *suavissimo* | *carissimo* | *Plautius filius* | *Iulianus v(ir) c(larissimus)*

CIL VI 1758 vv. 1—3. Litterarum singularium v. 1 significatio incerta est.

CAPVT SECVNDVM

MONVMENTA ITALICA

I


MONVMENTA LATII ETRVRIAE VMBRIAE

E regionibus suburbanis, ex Etruria Umbria Aemilia, pauca tantum scripturae saeculorum quarti quinti et reliquorum exempla selegi. Praecedere feci titulum miliarium Bononiensem *Constantii* (n. 752) et basim honorariam *Flavii Severi* Castronovanam (n. 753), comparandam illam cum titulis Castronovanis paullo vetustioribus, quos supra exhibui (n. 543—545); comparetur praeterea eiusdem *d(omini) n(ostri) Flavii Severi* basis Vulcentina musei Vaticani (*Museo Gregoriano* vol. I tab. 106, 2). Sequuntur bases magnae honorariae saeculi quarti Ocriculana a. 341 (n. 754), Praenestina a. 386 (n. 755), Ostiensis a. 389 (n. 756). Titulorum, qui huc pertinent, Ostiensium praeter fragmentum ad *Constantinum* pertinens (CIL XIV 133), quod non vidi, ego vidi titulum thermarum a *Valente Gratiano et Valentiniano* a. 375/78 refectarum, qui est in museo Capitolino (CIL XIV 137); basim *Theodosii et Placidi Valentiniani* Portuensem (CIL XIV 140) non vidi; vidi praeterea basim Veientanam *Constantini iunioris* (Henzen 5142). Sed neque haec monumenta nec bases sive ad opera publica spectantes sive honorariae Praenestina *Anicii Auchenii Bassi v(iri) c(larissimi) procons(ulis) Campaniae* (Orelli 105), Tiburtina *Furii Maecii Gracchi v(iri) c(larissimi) correctoris Flaminiae* (Orelli 3172), Ocriculana *C. Volusii Victoris questoris r(ei) p(ublicae) Ocriculanorum* (Orelli 3857) ad thermas easdem referenda atque infra proposita (n. 755), ab ordine et civibus Laurentum posita *Valerio Frumentio v(iro) p(erfectissimo) patrono et defesori* (Henzen 7087, habet illa *f* litteram paene cursivam), quas vidi omnes Romae in museis Vati-

cano Capitolino Lateranensi cet., quae hic repraesentarentur dignae visae sunt. Exemplum scripturae quarti saeculi satis bonae et magnae praebet titulus Pisanus ita conceptus *Partheni have* | *bene bibas* (CIL XI 1483; litterae altae sunt 0,090). Mutinae deinde in museo extant praeter miliaria aliquot *Constantii* et *Maxentii* solitis litterarum formis scripta arcae illae magnae marmoreae vetustiores ipsae, ut videntur, sed quarto saeculo denuo conversae in sepulcra *M. Nonii Veri v(iri) cons(ularis) bis corr(ectoris) Apuliae et Calabriae Venetiarum et Istriae*, item uxoris et filii (CIL XI 831); deinde *cla(rissimae) fem(inae) L. Peduceae Iuliane* (CIL XI 832); item quinti saeculi arca *Brutt(iae) Aurelianae c(larissimae) f(eminae)* cet. (CIL XI 830); ea monumenta omnia vidi, sed repraesentare non potui. Titulum vero Florentiae (*Fiorenzuola*) extantem a. 511, ut videtur (CIL XI 1142), et Ravennatem saeculi septimi ineuntis *Mauricii* imperatoris (CIL XI 11), non vidi.

752 Bononiae, columna miliaria viae Aemiliae; ibi in museo (1/6).

a. 305



0,052

0,045


D(omino) n(ostro) Fl(avio) Valerio Co|nstantio Pio Feli|ci invicto Aug(usto) Fl(avi) | Valeri Constantis | in(victi) Augusti Pii filio | bono rei p(ublicae) nato | LXXVII

Maffei Mus. Veron. p. 106 vv. 1—3. Ab altero columnae latere Maximi et Victoris nomina leguntur.

---

753 Castronovi, basis ex lapide calcareo; in museo Vaticano Gregoriano (1/6).

c. a. 305



0,036


0,060

Imp(eratori) | Fl(avio) Valerio | Severo | nobilissi|mo Caesare | Castrono|vanorum

Orell. 1009 *b* vv. 1—5. V. 1 *imp(eratoris)* vocabulum postea videtur additum esse.

754 Ocriculi, basis magna marmorea; in museo Vaticano (1/6).

a. 341 — 0,058 — 0,044 — 0,042



In fronte: *Bonae originis suboli et | sinceritate praecipua praedi|to M. Caesolio Saturnino om|nibus honoribus functo, lauda|bili viro, restauratori therma|rum hiemalium cum Sex. Cluvio | Martino fratre suo, pro tantis | meritis erga se ordo et cives splen|didissimae civitatis Ocricolanae | statuam marmoream patro|no dignissimo ad perenne tes|timonium publice | censuerunt | feliciter*


In latere: *dedicata XVI kal(endas) | Decembres | Marcelli|no et Probi|no cons(ulibu)s*

Marini Arv. p. 582 frontis tituli vv. 1—3, lateris vv. 3—5. *Caesolius* fortasse rustice scriptum pro *Caesonio*. Consules sunt anni s. s. Iidem consules simili modo notantur in titulo urbano CIL VI 871.

---

755 Praeneste, basis magna marmorea; in museo Vaticano (1/5).

a. 386 — 0,066 — 0,025



In fronte: *Iulianii v(iri) c(larissimi) | Postumio Iuliano c(larissimae) m(emoriae) v(iro) ob meritum amorem et religi|onem, quam erga cibes universus habere satis dig|natus est,* sequuntur aliae laudes .... *statuam promp|to animo erigendam censuimus* e. q. s. Sequitur *ex(em)pl(um) tes(ta)m(enti) partis | pos(terioris)*


In latere: *defuntus* [sic] *XVI kal(endas) Dec(embres) | d(omino) n(ostro) Arcadio Aug(usto) et Bautoni | v(iro) c(larissimo) cons(ulibus), d(e)d(icata) die IV Nonas | Mar(tias) co(n)s(ulibus) s(upra) s(criptis)*

Orelli 4360 vv. 1—3. Consules sunt anni s. s.

---

756 Ostiae, basis marmorea; in museo Vaticano (c. 1/8).

c. a. 389 — 0,046



Curavit Ragonius | Vincentius Celsus | v(ir) c(larissimus) praefectus | annonae urbis | Romae et civitas | fecit memorata | de proprio

CIL XIV 139 vv. 1. 2 et 7. Observa punctorum formam. Cf. supra n. 740.

II

MONVMENTA ITALIAE INFERIORIS


Tituli saeculo quarto quintoque imperatoribus dicati non pauci servati sunt in Italiae regionibus prima ad quintam. Extant bases *Licinii* Panhormitana (CIL X 7284) et Sassaritana (CIL X 7950 cuius ectypum habui), *Constantini Licinii Crispi* Falerionensis (CIL IX 5434); *Maxentii* miliaria Herculanense (CIL X 6937, quod vidi in museo Neapolitano) et Venusinum (CIL IX 6066); *Constantini* et *Crispi* bases Aeclanenses (CIL IX 1115 1116), *Constantini* et *Faustae* Surrentinae (CIL X 677 678 quas vidi; altera potissimum male habita et lectu difficilis est), *Helenae* Salernitana (CIL X 517), epistylii aetatis *Constantinianae* fragmentum Lucerinum (CIL X 801); *Magnentii* columna miliaria Anconitana (CIL IX 5940); *Iuliani* viae Appiae (CIL IX 5990) et basis Aceruntina (CIL IX 417); *Gratiani* Surrentina (CIL X 697), *Valentiniani et Valentis* Veliterna amphitheatri, concepta et scripta barbare (CIL X 6565 quam ibi vidi); *Flavii Theodosii* patris imperatoris Theodosii Canusina (CIL IX 333); *Theodosii Arcadii Honorii* Puteolanae (CIL IX 1690—1692); *Theodosii et Placidi Valentiniani* Beneventana (CIL IX 1563) et Norensis in museo Caralitano (CIL X 7542); denique epistylii magni fragmenta Carsiolana ad aquaeductus urbanos sub *Arcadio et Honorio* Stilichonis cura restauratos pertinentia (CIL IX 4051); quibus accedunt tituli nonnulli imperatorum saeculi quarti incertorum (CIL IX 1580 X 1715 1716).

Etiam dedicationes privatae basesque honorariae virorum clarorum eiusdem aetatis non paucae servatae sunt, ut Amiternina a. 338 (CIL IX 4215); *Fabii Maximi v(iri) c(larissimi) rect(oris) prov(inciae)* c. a. 352/57 variae Telesina (CIL IX 2212), Saepinates (CIL IX 2447—2449), Aesernina (CIL IX 2639), Iuvanensis (CIL IX 2957); *Mavortiorum* patris et filii Puteolanae (CIL X 1695—1697); in Alba Fucente reperta a. 362 (CIL IX 3921); *Clodii Octaviani* Bovianensis (CIL IX 2566); *Flavii Fortunii* Cingulana a. 362 (CIL IX 5684); *Aeterii* a. 367 Falerna (CIL X 4724); *Umbonii Mannachii* Aeclanensis (CIL IX 1128); Beneventanae complures *Clodii Celsini Adelfii* (CIL IX 1576), *Numisii Liciniani* (CIL IX 1585 1586), *Vesedii Rufini Nebulii* (CIL IX 1682 1683), *Vibii Crispini* (CIL IX 1684), *Umbrii Eudrasti Verzobii* (CIL IX 1685); *Salonii Longinii Marcelli* Terventina (CIL IX 2592); *Flavii Severi* Aufidenas (CIL IX 2803); arcae magnae *Flavii Iulii Catervii v(iri) c(larissimi) ex praef(ectis) praetorio* Tolentinas (CIL IX 5566) et Anconitana *Flavii Gorgonii* item *ex p(raefectis) pret(orii)* (CIL IX 5897); basis magna *Arrii Mecii Gracchi v(iri) c(larissimi)* Salernitana (CIL X 520 quam vidi); *Pontii Proserii Paulini iunioris v(iri) c(larissimi)* Neapolitana (CIL X 1702 quam non vidi); *Flavii Mariani v(iri) p(erfectissimi) praef(ecti) classis* Misenensis (CIL X 3344); *M. Sentii Redempti* a. 408 Interamnas (CIL X 5349); *Marciae Aurel(iae) Ceioniae Demetriadis stolatae feminae* Antias (CIL X 5918).

Ex larga hac serie equidem quae infra repraesentarem selegi basim *Constantii iunioris* Aeclanensem litteris simplicibus aequalibus grandibus accuratis scriptam (n. 757), *Mavortii iunioris* Puteolanam scriptam litteris non bonis, sed quae non careant ornamentis (n. 758), miliarium *Iuliani* Beneventanum scriptum item simpliciter (n. 759), basim Antiatem *Gratiani Valentiniani Theodosi* litteris incertis et malis sculptam (n. 760), multo melioribus scriptas bases Puteolanas aetatis eiusdem (n. 761*a b*).

Tituli sepulcrales quoque certorum annorum aliquot servati sunt in Italiae regionibus supra scriptis, qui propter scripturae formam observatione digni sunt accuratiore, quam hic praestare possumus, et comparatione cum aequalibus urbanis. Indicem eorum subieci: Interprominus a. 343 (CIL IX 3073), Compsinus a. 358 (CIL IX 1009), Truentinus a. 376 (CIL IX 5284), Cuprensis a. 385 (CIL IX 5300), Canusinus a. 393 (CIL IX 6192), Aeclanenses complures saeculi quinti sextique inde fere ab a. 408 ad 546 (CIL IX 1364—1388), Furfonensis a. 492 (CIL IX 3568), Curensis a. 526 (CIL IX 5011), Beneventanus a. 553 (CIL IX 2077), Saticulanus a. 570 (CIL IX 2160), denique coemeterii Iudaici Venusini tituli Hebraici Graeci Latini saeculi fere sexti ab Ascolio tractati (CIL IX 6195—6241). Eorum exempla proponere necessarium visum non est.


757 Aeclani, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).



Orbem terrae | Romano nomi|ni subiuganti | domino nostro | Fl(avio) Constantio | Pio Felici semper | Aug(usto), Aug(usto), | Annius Antio|chus v(ir) p(erfectissimus) corr(ector) | [Ap]ul(iae) et Cal(abriae) sem|[per devot]us

CIL IX 1117 vv. 4—7. Versus primi litterae altae sunt 0,065. Exemplar eiusdem tituli novicium, ut videtur, Aeclani servatum non vidi.

758 Puteolis, basis marmorea 'male scripta et rescripta' (*Montfaucon*); in museo Neapolitano (1/6).




0,056
0,050
0,046

Mavorti iun(ioris). | *Q. Flavio Maesio* | *Cornelio Egnatio* | *Severo Lolliano* | *c(larissimo) p(uero), q(uaestori) k(andidato)* | *Decatrenses cli|entes eius patrono* | *praestantissimo* | *posuerunt*

CIL X 1697 vv. 1—5. Est filius Mavortii consulis ordinarii a. 355, cuius sunt tituli Puteolani CIL X 1695 1696.

---

759 Beneventi, columna miliaria; extat ibi in episcopio (1/6).




0,050
0,055

D(omino) n(ostro) Fl(avio) | *Claudio* | *Iuliano Aug(usto)* | *Pio Felici invic|to bono rei p(ublicae) natus* [sic]

CIL IX 5997 = X 6925 vv. 2. 3. *Bono* vocabulum correctum est in lapide ex *dono*.

---

760 Antii, basis marmorea; extat Romae in museo Capitolino (1/6).



0,040
0,034


Florente imperio d(ominorum) A(ugustorum)q(ue) n(ostrorum trium) Grattiani | *Valentiniani et Theodosi principum maximorum* | *thermarum speciem ruinae deformitate[m] sordentem* | *et periculosis ponderibus inminentem, quae labantem* | *populum metu sollicitudinis deterrebat, exclusa totius* | *[s]carie vetustatis ad firmam stabilitate(m) usumq(ue) tectorum* | *Anicius Auchenius Bassus v(ir) c(larissimus) pro consule Campaniae* | *vice sacra iudicans r[e]paravi in meliorem civitatis effigiem*

CIL X 6656 vv. 1. 2. GRATTIANI in lapide est; ectypum meum lacunam habebat.

761 Puteolis, bases duae marmoreae; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).

a. 394


a



0,066

0,062

b



0,066

0,062

Pro felicitate dominorum | *Augustorumque* | *nostrorum* | *ripam a parte sinistra macelli* | *iactis molibus propter incursione(m)* | *ingruentium procellarum* | *Valerius Hermonius Maximus v(ir) c(larissimus)* | *cons(ularis) Campaniae incoavit adque perfecit*

Pro felicitate dominorum | *Augustorumque* | *nostrorum* | *ripam a parte dextra* | *macelli iactis molibus* | *propter incursione(m)* | *ingruentium procellarum* | *Val(erius) Her(monius) Maximus v(ir) c(larissimus) cons(ularis)* | *Campaniae incoavit adque perfecit*

CIL X 1690 1691 vv. 1—3.

Aetatem definivit Borghesius opusc. VIII p. 413 collato titulo CIL X 1692, qui est anni s. s.

Idem tituli exemplum (ut docet orthographia) quadratarius mutata paullum versuum dispositione et compendiis scripturae aliis repetivit litteris in altero exemplo latioribus, in altero gracilioribus.


III

MONVMENTA ITALIAE SVPERIORIS

Ex Italia superiore tituli saeculi quarti quinti sexti accurate sculpti quique apte repraesentari possint non multi innotuerunt. Aquileiae prodiit fragmentum basis *Constantino* positae litteris non bonis (CIL V 8269); fragmentum alterum exiguum est Veronae in museo (CIL V 3331). Polae basis extat *Licinii* in turri ecclesiae cathedralis male habita (CIL V 31). Praeterea miliaria tantum aevi Constantiniani servata sunt *Maxentii* Veronensia (CILV 8015 8017), *Crispi* Venetum et Veronense (CIL V 8001 8015), *Constantini* ipsius Veronensia (CIL V 8021 8025 8027 8048) Ticinensia (CIL V 8059 8060) Taurinense (CIL V 8072) Vicetina (CIL V 8013 8014), *Constantii iunioris* Taurinense (CIL V 8073) et *Constantii iunioris* eiusdem carmen Albingaunense (CIL V 7781), *Magnentii* miliarium Ticinense (CIL V 8061), *Ioviani* Vicetinum et Veronensia (CIL V 8012 8034 8037), *Iuliani* Veronensia (CIL V 8024 8034 8035 8036 8053) Segusionense (CIL V 8077). Exhibui basim Tergestinam *Constantini* scriptam non admodum male, quanquam *G* et *L* ad cursivas formas accedunt (n. 762), et miliaria *Iuliani* Tergestinum (n. 763) et Taurinense (n. 769) illius non dissimilia, si pravam versuum et litterarum singularum collocationem inde ortam iudicamus, quod tituli illi lapidibus iam stantibus incidi solebant. Saeculi quarti ad finem vergentis pauciora etiam monumenta extant: basis *Gratiano Valentiniano Theodosio* posita Veronensis (CIL V 3332), columnae miliariae aliquot *Valentis et Gratiani* Ferrariensis (CIL V 8008), *Valentiniani et Valentis* Brixianae (CIL V 8029 8031), *Valentiniani Theodosii Arcadii* Laudensis (CIL

V 8058), *Magni Màximi* Veronenses (CIL V 8026 8033 8050). Haec omnia omitti posse existimavi. Aegre carui titulis aliquot honorariis saeculi quarti et quinti, quales sunt bases duae a viris illustribus positae Aquileienses imminutae (CIL V 882 1582), Patavina spectans ad *basilicam Sanctae Iustinae* (CIL V 3100), carmen acrostichon *Macrinae* Vicetinum (CIL V 3216), epistylium ad ecclesiam aliquam prope Piquentum pertinens aetatis *Iustinianae* (CIL V 474); denique titulus *Atalarici regis* Ticinensis a. 528/29 (CIL V 6418). Duo tantum selegi exempla saeculi quarti litteris parvis non male scripta Mantuanum (n. 767) et Taurinense (n. 768), quae cum similibus aliarum regionum comparari possent. Reliqua epigraphiae christianae cultoribus non minus visa sunt relinquenda esse, quam tituli sepulcrales christianorum hominum in regionibus illis servati non pauci, velut Tergestinus (CIL V 694), Aquileienses (CIL V 1583—1616 8571—8641), Veronensis (CIL V 3897), Mantuanus (CIL V 4084), Brixiani (CIL V 4843 4844 4850), ad lacum Larium et in vicinia reperti (CIL V 5219 5230 5231 5737), Comenses plurimi (CIL V 5403—5455), Laudenses aetatis eiusdem (CIL V 6393 ss.), Mediolanienses (CIL V 6176—6243), Ticinenses (CIL V 6464 ss.), Vercellenses (CIL V 6722 ss.), Eporedienses (CIL V 6812—6816), Taurinensis (CIL V 7137), Dertonenses (CIL V 7412—7416), Genuas (CIL V 7772), Albingaunensis (CIL V 7793), qui omnes sunt saeculi quinti et sexti. Contra non putavi omittenda esse specimina aliquot titulorum eorum, qui plurimi e sepulcreto militari Concordiensi prodierunt, saeculi quarti extremi quintique omnes, inscripti arcis magnis, quae ibi detectae sunt locis antiquis; sufficere visa sunt ad peculiarem eorum litteraturam illustrandam exempla tria (n. 764—766).

762 Tergeste, basis 'litteris pravis, quae sublata inscriptione antiquiore videtur esse rescripta'; extat ibi in turri campanaria ecclesiae cathedralis ($\frac{1}{10}$).



0,045


Imp(eratori) Caes(ari) | Fl(avio) Constantino | Maximo P(io) F(elici) Aug(usto) | r(es) p(ublica) Terg(estina) | d(evota) n(umini) p(ietatis?) e(ius)

CIL V 529 vv. 1—3.

---

763 Via Tergeste et Aquileia Emonam, miliarium ex lapide calcareo; in museo Laibacensi ($\frac{1}{8}$).

a. 363



0,040-0,050


Imp(eratori) Ca(esari) d(omino) n(ostro) | Fl(avio) Cl(audio) Iuliano P(io) Fe(lici) | ac triumf(atori) | semp(er) Aug(usto), pontifi[ci] | maximo, i[m]p(eratori) VII, | co[(n)s(uli) IIII, p(atri) p(atriae)], b(ono) r(ei) p(ublicae) n(ato), | [proc]onsuli

Ephem. epigr. IV p. 157 n. 540 vv. 1. 2. Titulus lapidi iam stanti incisus sine regula.

---

764 Concordiae, arca lapidea; ibi servatur ($\frac{1}{8}$).

a. 394 aut 396 aut 402




0,050

Arca Manioni milete e nume|ro Brucherum et si quis eam | aperuerit, ut Mani eius praecidantur | aut in fesco det auri pondo doa. | Cons(ulibus) n(ostris) Arcadio et Onorio [Au]g(u)st(i)s

CIL V 8768 vv. 1. 2.

765 Concordiae, arca lapidea; servatur ibi ($\frac{1}{8}$).



0,080

0,040

Aurilius Gau|dentius et Mar|tina vivos se con|paravet; siquis e|is iniuriam, det | auro libra una

CIL V 8726 integra.

---

766 Concordiae, arca magna lapidea; servata ibi ($\frac{1}{8}$).



0,040

Fl(avius) Alatancus domest(icus) cum coniuge sua | Bitor[i]a arcam de prop[r]io suo sibi con[i]|paraverunt. Petimus omnem clerum | et cuncta(m) fraternitatem, ut nullus | de genere nostro vel aliquis in hac | sepultura ponatur. Scriptum est: | quod tibi fieri non vis, alio ne fe|ceris

CIL V 8738 v. 1.

---

767 Mantuae, tabula magna marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).




0,024

Cl(audius) Amazoni[c]us v(ir) e(gregius) maritus | Marciae Aurel(iae) Alexandriae c(larissimae) m(emoriae) f(eminae) | hunc titulum secundum mandatum | eiusdem Alexandriae; quae cum adviveret, | testamento suo prae[ce]pit hunc praetoriolum | cum hortulo et heroo libertis libertabus|que posterisque eorum cedi, et iussit, ne quando de | familia alienetur; si quando ali[q]uis | voluerit donare vel vendere, arca|e pontificum poenae nomine inferet | duodecies centena milia nummum

CIL V 4057 vv. 1. 2. V. 2 extr. C M F litterae postea additae. Versu ultimo summae numeri sic perscripti sunt.

768 Taurinis, cippus marmoreus; in museo ($\frac{1}{2}$).



0,024


D(is) M(anibus) | Aur(elii) Maximi | exar(chae) num(eri) Dal(matarum) | Divit(iensium), qui vix(it) | ann(os) XXX, | Aur(elius) Victorin(us) | Ɔ (centurio) posuit

CIL V 7000 vv. 2—4.

---

769 Aquis Statiellis, columna miliaria partim scalpro erasa; in museo Taurinensi ($\frac{1}{10}$).

inter a. 361 et 363



0,062
0,052
0,066
0,070

Im[pera]tor Caesar | [pontifex m]aximus | Fl(avius) C[laudius] Iulianus | semper Augustus

CIL V 8071 pars dextra.

CAPVT TERTIVM

MONVMENTA PROVINCIARVM

I

MONVMENTA MOESIAE DACIAE DALMATIAE PANNONIAE NORICI RAETIAE


Aetatis Constantinianae monumenta quanquam non admodum rara sunt in regionibus supra scriptis, tamen non multa eorum exempla in hanc syllogen recipi potuerunt. In universum enim litteris utuntur minus curiose sculptis nec iustam artis eius aetatis imaginem praebent. Quae in orientis regionibus servata sunt, bases *Constantini* Mytilenenses (CIL III 451 452), aram *Fortunae reduci ob devictos Gothos* positam Constantinopoli anno, ut videtur, 332 (CIL III 733), basim *Leontio praefecto praetorio adque ordinario consuli* ab ordine Berytio positam a. 344 et servatam Hierosolymae (CIL III 167), tabulam marmoream *Constantii iunioris* in Cypro insula repertam (CIL III 214), non potui examinare; nec magis mihi constat de titulo *Constantini* memorabili in castello Biroe ad Danuvium in Moesia inferiore reperto (CIL III 6159), cum ectypum eius nancisci non potuerim. Monumenta Dalmatina, ut epistylia olim Salonis servata *Constantis* et *Constantii* (CIL III 1982 1983), Riditanum *Constantis* (CIL III 2771), aut latent aut male habita sunt. Nec facile miliaria *Constantini* Syriaca (CIL III 197 198 204 209) et Mysiaca (CIL III 464 465) repraesentabuntur. Itaque consistendum erat in exemplis tribus Norico (n. 770) ex Bedaio oppido, de quo supra verba feci (p. 194) — Celeianum enim, quod apte cum illo compararetur (CIL III 5207) videtur valde detritum esse —, Dalmatino ex Salonis (n. 771), Pannonico ex Savaria (n. 772), quod litteras habet reliquorum maiores et longe meliores. Etiam columna magna marmorea, quamvis ad viam aliquam Pannoniae inferioris pertinens, *Constantii iunioris* (CIL III 3705), litteris bonis sculpta est; Norica contra musei Salzburgensis (CIL III 5725 5726) malis. *Iuliani* bases honorariae extant Ancyrae (CIL III 247) et in monasterio aliquo Phrygiae (CIL III 350), praeterea columnae quaedam miliariae Dalmatinae (CIL III 3207—3209); quae omnia non vidi. *Valentiniani Valentis et Gratiani* a. 371 insigne monumentum extat in loco aliquo Arabiae (CIL III 88); non minus insigne anni eiusdem ad burgum 'Commercium' dictum Pannoniae inferioris pertinens (CIL III 3653) periit; miliarium eorundem imperatorum Noricum in museo Gratzensi servatum est (CIL III 5740). Haec indicasse sufficiat; basis magna *Theodosii et Arcadii* Alexandrina (CIL III 19) videtur periisse; contra Constantinopoli extant bases *Theodosii* (CIL III 734) et *Eudoxiae Augustae* (CIL III 736), item celeberrimum carmen bilingue basi obelisci *Theodosiani* inscriptum a. 390 (CIL III 737), quo aegre carui; monumenta illa singulari arte sculpta esse fama est. Idem praedicatur de basi *Arcadii et Honorii* Athenis reperta (cf. H. Swoboda *Mittheilungen des deutschen archäologischen Instituts zu Athen* vol. VI 1881 p. 312 ss.) valetque etiam aliqua ex parte de miliario imperatorum eorundem in Achaia reperto (CIL III 572). Exemplum unum exhibere potui Salonitanum a. 425 (n. 773) et ipsum satis accurate sculptum, quamvis litteris non bonis.

Addidi huic monumentorum aetatis certae seriei unum aetatis incertae Aquincense, sed certo tam propter argumentum quam propter litteraturam huic fere aetati tribuendum (n. 774); quarti saeculi exeuntis quintive videtur esse et quamvis tegulae inscriptum tamen litteras habet magnas. Saeculi fortasse sexti monumentum (CIL III 3576) infra ponetur inter carmina.

Tituli sepulcrales hominum christianorum cum a Dacia absint necessario neque adhuc comparuerint in Moesia superiore, perraro quoque inventi sunt in Moesia inferiore et in Norico; in Dalmatia saeculi quinti quidam extant Salonis (CIL III 2656—2659), Tragurii unus (CIL III 2704). In Pannonia superiore saeculi quarti quintique pauca eius generis monumenta extant Sisciae (CIL III 3996 3996*a*), paullo plura Savariae (CIL III 4217—4222). Haec ex huius operis instituto omisi.

770 Bedaii (*Chieming*) in Norico, ara quadrata magna ornata anaglyphis militaribus clipeorum hastarum galeae cet.; extat *Prutting* in ecclesia ($\frac{1}{6}$).

a. 310



0,042


Victoriae Augustae | *[sac]rum pro salutem* | *[d(ominorum)] n(ostrorum) Maximini et* | *[Con]stantini et Licini* | *[se]mper Aug(ustorum) Aur(elius) Senecio* | *v(ir) p(erfectissimus) dux templum numini* | *[e]ius ex voto a novo fieri iussit* | *per instantiam Val(erii) Sam|barrae p(rae)p(ositi) eq(uitibus) Dalm(atis) Aq|uaesianis comit(atensibus) l(aetus) l(ibens) m(erito)* | *ob victoria(m) facta(m) V k(alendas) Iulias* | *Andronico et Probo co(n)s(ulibus)*

CIL III 5565 vv. 1—4.

---

771 Salonis, basis quadrata omnibus lateribus scripta; extat ibi ($\frac{1}{6}$).

a. 320



0,035 0,032 0,042

Dominis nostris Co|nstantino Augusto | *S[?] et Constantino nobi|[l]issimo Caesare* | *prefe[c]to Quin[t]i[lio]* | *..intillo at Tritones* | *calendis Febrariis* | *Aur(elius) Martinus* | sequuntur nomina octo ministrorum
In duobus prioribus lateribus extant tituli similes annorum 303 et 319 (cum formula *menestrabimus at Tritones*); in quarto *ministri ad Trit(ones)* inscripti sunt octo *ex permissu Nocturni Novelli patroni collegi*

CIL III 1968 lateris tertii vv. 1—4. V. 3 NORI visum est scriptum esse, sed B perspicua est in ectypo. L huius est formae L.

---

772 Savariae (*Stein am Anger*) in Pannonia superiore; ubi extat ($\frac{1}{10}$).

a. 349?




0,085

Beatitudine d(omini) n(ostri) Constantis Victoris | *ac triumfatoris semper Aug(usti)* | *provisa copia quae horreis deerat* | *postea quam condendis horreis deesse coeperunt* | *haec Vulc(acius) Rufinus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) praet(orio) per se coepta* | *in securitatem perpetem rei annonariae dedicavit*

CIL III 4180 vv. 1. 2. L huius est formae L.

773 Salonis, basis marmorea; extat ibi in museo ($\frac{1}{6}$).

a. 425



0,055


0,058

Salvis d(ominis) n(ostris) Theod[osio et .... muros] | cunctasque turre[s .... reliquasque] | res munimenti civitat[is necessarias .... ille] | agens vic(es) iminentiu[m virorum praefectorum praetorio] | ..... quae lab ....

CIL III 1984 vv. 1. 2 pars sinistra.

---

774 Ex agro Aquincensi, tegula magna; servatur in museo Pestinensi ($\frac{1}{5}$).



0,068

0,062

0,058

Fl(avius) Iovinus ex p(rae)p(osito) | militum Histricorum | et Fl(avius) Paulus biarcus | pater et filius domum | a fundamentis | iusserunt fabricari

CIL III 3370 vv. 1—3. Desjardins-Rómer *Monuments épigraphiques du Musée National Hongrois* n. 129 tab. LII modulo parvo nec satis accurate.

II

MONVMENTA GALLIAE GERMANIAE BRITANNIAE

Monumenta aetatis Constantinae insignia, quae Arelatensem urbem ornabant, arcus quaeque thermae fuisse existimantur, aut interierunt (CIL XII 667) aut exiguas tantum titulorum reliquias servatas habent (CIL XII 668). Basim eidem imperatori Viennae positam (CIL XII 1852) ex Allmerii tantum imagine novi; litteras videtur habere non admodum bonas. Contra *miliaria Constantini* in variis Galliae partibus reperta, veluti ea quae prope pagum Matavonicum (*Cabasse*) extant, simodo fides est imaginibus ab I. P. Revellat propositis (*Revue archéol.* ser. III vol. I 1883 p. 42. 43), satis accurate incisa sunt. Extant praeterea Seduni in Alpibus Poeninis *Titi Campani Prisci Maximiani viri cons(ularis)* titulus sepulcralis (CIL XII 137), Arelate 'sarcophagus marmoreus cum anaglyphis eximia arte perfectis' *Fl(avii) Memorii v(iri) p(erfectissimi)*, qui vixit saeculo quarto exeunte (CIL XII 673), Segusterone insigne monumentum rupi vivae incisum *Cl(audii) Postumi Dardani* praefecti praetorio Galliarum saeculo quinto ineunte (CIL XII 1524); sed haec omnia iuste repraesentari non potuerunt. Consistendum erat, ut aliqua saltem exempla huius aetatis exhiberentur Gallicae originis, in Arelatensibus duobus, saeculi tertii ineuntis (vix enim secundo tribuerim) altero (n. 775), altero quarti (n. 776), et Lugdunensi a. 601 (n. 777), cuius quae Le Blant et Boissieu exhibent exempla modulo delineata sunt nimis exiguo.


E Germaniis multo etiam pauciora quam e Galliis saeculi

quarti et reliquorum exempla scripturae epigraphicae suppetunt. Unicum quod sciam aetatis Constantinae monumentum quod ibi extitit publicum, titulus castelli Divitiensis, periit (exemplum interpolatum Bramb. p. 362, 26); sepulcralis anni certi item unicus a. 352 Tolbiacensis et ipse periit (Bramb. 519). Columnae miliariae duae *Licinii* Altaripanae, quas vidi in museo Spirensi (Bramb. 1951 1952), pessime habitae sunt; *Liberalinii* vero *Probini tribuni q(uondam) praetoriani* Coloniensis (Bramb. 319*b*) ne certo quidem saeculo quarto tribui potest; potest etiam tertii saeculi exeuntis esse. Itaque saeculi quarti testes certos cum circumspicerem, unus se obtulit titulus satis memorabilis Coloniensis (n. 778), quem proponerem, scriptus litteris pro aetate illa bonis et accuratis. Ita cautum est, ne ab huius capitis regionibus Germaniae prorsus absint.

Contra verbo hic quoque monendum est ditissimas esse Gallias et Germanias titulis hominum christianorum saeculi quinti potissimum et sexti, quos Edmundi Le Blant opus notissimum comprehendit. Iuvabit tamen breviter, ut supra fecimus, indicare primum in Gallia Narbonensi repertos, quatenus in corporis volumine XII editi sunt. Sunt autem reperti Aquis Sextiis a. 492? 494 (CIL XII 590 591), Massiliae annorum indicationibus carentes (CIL XII 479—492), Arelate plurimi intra a. fere 449 et 502 cadentes (CIL XII 930—977), Arausione saeculi quinti exeuntis (CIL XII 1271ss.), apud Vocontios saeculi paene omnes sexti (CIL XII 1497ss. et 1692—1696 1724 1725) et Tricastinos (CIL XII 1729), Valentiae a. 523 (CIL XII 1781), Viennae item satis multi aetatis eiusdem (CIL XII 2033 2055—2198) atque Gratianopoli et in vicinia (CIL XII 2309 2326 2362 2382 2384 2404—2407 2421 2485 2487 2587) reperti; denique *regis Gundobadi* Genavensis (CIL XII 2643). Accedunt deinde Lugudunenses saeculorum quarti ad sextum ante Le Blantium ex parte a Boissevio collecti (*inscr. de Lyon* p. 533 547 550 567) Mogontiacenses Treverenses inque aliis trium Galliarum et Germaniarum oppidis reperti.

In Britannia admodum rara esse saeculi quarti et quinti monumenta, sexto et sequentibus tribuendos esse titulos christianos in regionibus insulae quibusdam frequentes, potissimum in Cambria quae dicitur (*Wales*), exposui in inscriptionum Britanniae christianarum sylloge peculiari. E miliariis aetatis Constantinae paucis, quae reperta sunt, duo proponere potui (n. 779 780); addidi praeterea titulum saeculi quarti puto exeuntis, quanquam non certae interpretationis (n. 781), qui comparari poterit cum Pannonico supra (n. 774) relato; ambo enim eiusdem generis sunt titulorum publicorum ea aetate rarissimi.

775 Arelate, sarcophagus marmoreus ornatus capitibus Medusae, sertis, floribus; ibi in museo (½).




0,024 0,020 0,018

Pax aeterna; | *dulcissimae et innocen*|*tissim(ae) filiae Chrysogone iu*|*nior Siricio, quae vixit ann(is) III* | *m(ensibus) II, dieb(us) XXVII, Valerius et Chry*|*sogone parentes filiae raris*|*simae et omni tempore vi*|*tae suae desiderantissi*|*mae*

CIL XII 782 vv. 2—6.

776 Arelate, sarcophagus marmoreus cum tabella a geniis duobus alatis sustenta protomis defunctorum aliisque anaglyphis; extat ibi in museo (⅔).




0,022 0,018

Hydriae Tertullae | *c(larissimae) f(eminae) coniugi amantissi*|*mae et Axiae Aelianae* | *filiae dulcissimae Terentius Museus* | *hoc sepulchrum posuit*

CIL XII 675 integra.

777 Luguduni, tabula marmorea; in museo (1/4).

a. 601



0,020


+ *Epytafium hunc qui intuis, lector,* | *bone recordacionis Agapi neguciatoris* | *membra quiescunt; nam fuit iste stacio* | *miseris et portus eginis, omneb(u)s apt(u)s* | *fuit, praecipuae loca s(an)c(t)orum adse|due et elemosinam et oracionem studuit; vixit in pace ann(i)s LXXXV, ob(iit)* | *VIII kal(endas) Aprilis, LXI p(ost) c(onsulatum) Iustini indict(ione) quarta*

Boissieu *inscr. de Lyon* p. 593 XLVIII vv. 1. 2. Temporum notae conveniunt in annum s. s.

---

778 Coloniae Agrippinae, tabula magna lapidea; in coemeterio ecclesiae S. Petri muro inserta (1/8).

a. 392-394



0,075
0,065


[*Salvis domini*]*s et imperatoribus nost*|[*ris Fl(avio) Theodo*]*sio Fl(avio) Arcadio et Fl(avio) Eugenio* | [*portam? vetusta*]*te conlabsam iussu viri cl(arissimi)* | [.... *et inl(ustrissimi) Arboga*]*stis comitis et instantia v(iri) c(larissimi)* | [... .... *co*]*mitis domesticorum* | .... *s ex integro opere faciun*|[*dam cura*]*vit magister pr(ivatarum?) Aelius* | ......

Brambach 360 vv. 1—3 pars dextra.

---

779 Cippus quadratus fortasse miliarius, repertus prope *Thirwall castle*; servatur Dunelmi in bibliotheca capitulari. Ex imagine Brucii.


a. 306?



Imp(eratori) Caes(ari) | *Flav(io) Val(erio)* | *Constantino* | *Pio, nob(ilissimo)* | *Caesari* ....

CIL VII 1188 vv. 1—3.


780 Columna miliaria litteris rudibus, originis incertae; extat Cantabrigiae in collegio Trinitatis. Ex imagine Brucii.



D(omino) n(ostro) Fl(avio) Iul(io) | *Crispo* | *nob(ilissimo) Caes(ari),* | *d*[*ivi*] *Cons*|*tantini* | *Maximi* | *filio, divi Const*|*anti* | *nepoti*

CIL VII 1153 vv. 1—3.

781 *Ravenhill* prope *Whitby* in castello Romano; servatur *Whitby* in museo (c. ¼).



0,050

Iustinianus p(rae)p(ositus) | *Vindicianus* | *masbieriu? pr(aepositi?)* | *m(ilitum?) castrum fecit* | *a ....*

CIL VII 268 = Inscr. Brit. christ. p. 68, 185 integra.
Interpretatio v. 3 prorsus incerta est; cogitavi de *magisteriu* vel *m(agistri) arbiteriu.* Titulus utrum prave incisus an postea instaurando pessum datus sit ex ectypis diiudicari nequit.


III

MONVMENTA HISPANIAE

In Hispaniis paucissima tantum saeculi quarti monumenta adhuc extant. Quos exhibui tituli *Licinii* et *Constantini* Tarraconenses in eadem basi inscripti (n. 782 783) si comparabuntur, quanto maiore cura hac aetate etiam in provinciis tituli sculpi soliti sint apparebit; idem *Constantii* titulus Tarraconensis Constantini gemellus (n. 784) probat. Nullos praeterea saeculi quarti titulos proferre potui Hispanos: nam *Magnentii* miliarium Bracarense (CIL II 4765) litteras habet renovatas, horrei Oretani vero titulus memorabilis a. 387 (CIL II 3222) aut periit aut latet. Extat Barcinone *Nummii Aemiliani Dextri v(iri) c(larissimi) proconsulis Asiae* basis saeculi item quarti (CIL II 4512), cuius ectypum vidi; litterae satis accurate sculptae sunt. Cum quinti sextique titulos christianos Hispanos propria sylloge comprehenderim — quarti enim sepulcrales vix ulli supersunt —, unum tantum inde repetivi publica auctoritate positum Carthaginiensem a. 589 (n. 785) satis memorabilem; nulli praeter hunc saeculi sexti eiusdem generis in regionibus illis adhuc reperti sunt.

782 Tarracone, basis marmorea; ibi in museo (⅕).

a. 312




0,040
0,045

Devictori omnium gen|tium barbararum et su|per omnes retro princi|pes providentissimo | *imp(eratori) Caes(ari) [Val(erio) Lici|niano Licinio] P(io) F(elici)* | *invic(to) Aug(usto), p(ontifici) m(aximo), t(ribunicia) pot(estate),* | *p(atri) p(atriae), co(n)s(uli) II, proco(n)s(uli)* | *Val(erius) Iulianus v(ir) p(erfectissimus)* | *p(raeses) p(rovinciae) H(ispaniae) Tarr(aconensis) numi|ni maiestatiq(ue) eius* | *semper dicatissimus*

CIL II 4105 vv. 1—3.

783 Tarracone, basis eadem, in qua est titulus n. 782; ibi in museo (1/5).

inter a. 323 et 337



0,045 0,050 0,045


Piissimo fortissimo | *felicissimo d(omino) n(ostro)* | *Constantino Maxi|mo victori semper* | *Augusto* | *Badius Macrinus* | *v(ir) p(erfectissimus) p(raeses) p(rovinciae) H(ispaniae) Tarr(aconensis)* | *numini maiesta|tique eius semper devotissimus*

CIL II 4106 vv. 3—7.

---

784 Tarracone, basis marmorea similis atque n. 783; in atrio palatii archiepiscopalis (1/8).

inter a. 323 et 337



0,045 0,050 0,045


Pio adque inclyto | *d(omino) n(ostro) Constantio no|bilissimo ac fortis|simo et felicissimo* | *Caesari Badius* | *Macrinus v(ir) p(erfectissimus) p(raeses) p(rovinciae) H(ispaniae) T(arraconensis)* | *numini maiestat|ique eius semper devotissimus*

CIL II 4108 (ubi ectypo nondum uti potui) vv. 2—6.

---

785 In Carthagine nova, tabula marmorea olim in arcu portae urbis; nunc in pergula aedium publicarum (1/7).

a. 589/90



0,028 0,036

Crucis signum cum vocabulo *ora*. *Quisquis ardua turrium miraris culmina* | *vestibulumq(ue) urbis duplici porta firmatum, dextra levaq(ue) binos porticos arcos,* | *quibus superum ponitur camera curva convexaq(ue):* | *Comenciolus sic haec iussit patricius,* | *missus a Mauricio Aug(usto) contra hostes barbaros,* | *magnus virtute magister mil(itum) Spaniae.* |

Sic semper Hispania tali rectore laetetur, |
dum poli rotantur dumq(ue) sol circuit orbem. |
Ann(o) VIII Aug(usti), ind(ictione) VIII

CIL II 3420 = Inscr. Hisp. christ. p. 57 n. 176 integra; ubi de tempore dixi.

IV

MONVMENTA AFRICAE

Aetate imperii Romani ultima florentissimas fuisse provincias Africanas constat. Quod probant aedificia ibi aut servata aut titulis testata, e quibus specimina infra proposita selegi. Arcus sane Cillitani restituti ut videtur post devictum Maxentium a. 312 imperantibus *Constantino et Licinio* titulus (CIL VIII 210) telescopio tantum adhibito legitur; neque inspicere potui fragmenta epistylii magni arcus Severi, qui *Constantio iuniore et Iuliano* imperantibus instauratus est c. a. 355 ad 360 (CIL VIII 1860), inscripti litteris maximis (altis versu primo 0,120); unde monumenta illa magna publica num similiter inscripta sint atque arcus Constantini urbanus dicere nequeo. Basis *Constantini* Sitifensis a. 315, quam exhibui (n. 786), scripta est litteris ornatis illis, quas iam saeculo tertio in Africa in usu fuisse vidimus (cf. supra n. 677), sed paullum mutatis; epistylium Bibbense a. 338 pictas litterarum formas exhibet (n. 787). Ectypa praeterea habui basium *Constantini* Laribus repertae (CIL VIII 1781), cuius tamen litterae magnam partem evanidae sunt, Uticensis (CIL VIII 1179), quae scripta est litteris minutis non bonis, Cirtensis (CIL VIII 7010), quae simillima est Tarraconensium supra propositarum (n. 783 784), Sitifensis *Constantii*, cuius nomina in litura reposita sunt (CIL VIII 8475), quae litteras ornatas habet pictis similes, satis bonas. Eiusdem generis litteras, sed maiores (altas 0,060), fragmentum in Villa Magna provinciae proconsularis habet, quod probabiliter refertur ad *Constantinum iuniorem* (CIL VIII 896). Etiam miliarium *Constantini* viae alicuius inter Vina et Maxulam (CIL VIII 10043) et basis *Iuliani* Cirtensis (CIL VIII 6946) satis accurate sculpta sunt. Peculiaribus litterarum formis, altis (0,085) et gracilibus, curiose ornatis (A littera haec est Ⱥ) utitur fragmentum tituli dedicati Cirtae a *Caecina Decio Albino iuniore* consulari Numidiae aetate Constantina (CIL VIII 7035); diversis, sed elegantibus et ipsis (A littera haec est A) bases duae Cirtenses item *Ceionii Italici* consularis Numidiae c. a. 340—350 (CIL VIII 7034 7035); neglegentibus titulus sepulcralis privati hominis in Mauretania alicubi repertus a. 327 defuncti (CIL VIII 8815) atque eiusdem anni Sitifensis (CIL VIII 8491); paene uncialibus (cf. infra n. 795) ad moenia castelli alicuius in Mauretania item refecta inter a. 351 et 354 pertinens (CIL VIII 9282). Praeter certa illa saeculi quarti monumenta ex minus certorum magno numero haec memoro propter scripturae formas conspicua, Apisanum inscriptum *Aurelia* | *Sallustia* | *in pace* ☧ (CIL VIII 791) et Caesareense inscriptum *memoria Iuliae Tuttae* | *in pace hic quiescit* (CIL VIII 9589), ambo scripta litteris magnis (0,085) et admodum elegantibus; Giufitanum *Pescenniae Quodvuldeus* [sic] *h(onestae) m(emoriae) f(eminae)*, cuius litterae similes sunt earum (Ⱥ, ꟼ cet.), quas habet titulus Missuensis infra propositus (n. 792), sed aliquanto minores (CIL VIII 870); Cirtense fortasse saeculi quarti ineuntis tertiive exeuntis *Antii Victorici cum Antios Victoricu* et *Mausolu iuniores* (pro 'cum Antiis Victorico et Mausolo iunioribus') barbaro sermone et litteris parvis paene actuariis scriptum (CIL VIII 6970).

Ad saeculi quarti partem alteram atque ad quinti initia epistylia aliquot pertinent litteris magnis inscripta, velut *Valentiniani et Valentis* Thamugadense (CIL VIII 2388), *Valentis Gratiani et Valentiniani*, ut videtur, Suffetulanum (CIL VIII 234 cuius litterae altae sunt 0,150 ad 0,170), *Gratiani Valentiniani et Theodosii* Thevestinum (CIL VIII 2216), Masculana duo (CIL VIII 2243 2244), *Valentiniani Theodosii et Arcadii* Apisana (CIL VIII 781—786), quorum unum infra exhibui (n. 790) litteris scriptum magnis et pro ea aetate satis bonis. Peioribus litteris scriptae sunt bases ad imperatores eorundem temporum spectantes Thevestina (CIL VIII 2243), Calamensis (CIL VIII 5341), Sitifensis (CIL VIII 8480); Altavensis maxime *Honorii* (CIL VIII 9834) scripta est litteris minutis et inaequalibus malis. Contra excellunt in illo ordine tres quos infra exhibui tituli Apisanus (n. 788) Gigthensis (n. 789) Neapolitanus (n. 791), non magnis scripti illi litteris, sed accurate incisis. Eiusdem fere et aetatis et litteraturae praeterea basis est Galibus extans, sed mutila, *Flavii Calipodii* (CIL VIII 758); prorsus singulari autem arte scripta est Missuensis *Fl(avii) Arpagii* (n. 792), in qua ꟼ illud cernitur, cuius iam supra aliquot exempla memoravi inter saeculi quarti ineuntis titulos, et H ex libris manu scriptis, nondum vero ex titulis notum. Unde fortasse quinto iam saeculo titulus hic attribuendus est.

Quinti saeculi certa monumenta ex Africa nulla repraesentari potuerunt; unum exhibui eius ineuntis, sed quarti titulis similem Altavensem (n. 793). Tituli sepulcrales eius aetatis, veluti Sitifenses a. 405 (CIL VIII 8638 8639), Tipasensis episcopi alicuius a. 495 (CIL VIII 9286), Thevestinus denique a. 513 potius quam 485 (CIL VIII 2013), quorum ectypa habui, litteris scripti satis malis, epigraphiae christianae cultoribus relinquendi erant.

Saeculi sexti cum alibi tituli extent aut nulli omnino aut perpauci, inter Africanos habemus epistylia magna *Iustiniano et Theodoro* imperantibus a *Solomone* 'magistro militum et praefecto praetoriorum Africae' posita Capsitana duo (CIL VIII 101 102), scripta litteris permagnis (altis 0,170 ad 0,150 et 1,30), quorum tamen ectypa imperfecta repraesentari non potuerunt. Sed tamen scripturae eius plane singularis duo exhibere potui exempla, epistylii Sitifensis scripti litteris maximis (n. 795) et tabulae magnae litteris magnis scriptae Calamensis (n. 794). Aliquanto minoribus litteris scriptae sunt tabulae ab eodem magistratu positae Bullae Regiae (CIL VIII 1259), cuius parva tantum pars adhuc legitur, Theveste (CIL VIII 1863) et in vicinia (CIL VIII 2095), Madaurae (CIL VIII 4677), Calamae (CIL VIII 5352); ectypa vero earum variis ex causis aut sumi aut repraesentari non potuerunt (litterae variant inter 0,090 et 0,40). Aetatis Iustinianae est praeterea titulus sepulcralis Rusguniensis *Fl(avii) Ziperis trib(u)n(i) n(umeri) Pr(i)m(anorum) Fel(icium) Iust(inianorum)* (CIL VIII 9248); scriptus est litteris non magnis, sed tam bonis, ut facile saeculo minimum antiquiorem credideris. Vidi ectypum tituli ad moenia Thibursici Bure oppidis pectantis, quem Iustino et Sofia imperantibus (a. 565—578) posuit *Tomas excel-*

lentissimus prefectus (CIL VIII 1434): litteris scriptus est non multo quam paullo antiquiores peioribus. Ad *Tiberii Constantini et Anastasiae* imperium (a. 578—582) praeter Masculanum, quem exhibui (n. 796) — probabiliter enim ei aetati adscribitur —, pertinent tituli duo Tubernucensis (CIL VIII 949 cuius ectypum quod habemus paene evanidum est) et castri alicuius in Numidia non procul a Lambaesi siti (CIL VIII 4354), quorum ectypa vidi: huius litterae sunt non magnae (0,070 et 0,060) nec tam accurate incisae quam aetatis Iustinianae. Fragmentum denique exiguum in alio quodam castello prope Lambaesim extans, quod fortasse ad *Mauricium* imperatorem spectat (CIL VIII 2525), charta non expressum est; comparandum foret cum eiusdem imperatoris titulo Hispano (supra n. 785). Saeculo sexto tribuendum videtur praeterea fragmentum Ammaedarense scriptum litteris magnis (0,082), cuius ectypum vidi (CIL VIII 311).

Denique etiam septimi saeculi, cuius supra unum exhibui titulum columnae *Phocae* urbanum (n. 729), tituli aliquot servati sunt Africani: basis statuae ab eodem *Smaragdo Phocae* positae a. 602 Carthagine atque urbanus (CIL VIII 10529); prope Thevestam repertus positus *felicissimis temporibus [dominorum nos]trorum Eraclio et Eraclio Constantino*, i. e. inter a. 612 et 641 (CIL VIII 10681); epistylium Thamugadense, quod ad *Heraclium alterum Constantinum* probabiliter refertur (CIL VIII 2389): sed eorum ectypa nondum ad nos perlata sunt. Itaque mentione tantum eorum facta series monumentorum eorum, unde exempla haec collegimus, claudenda erat.

786 Sitifi, basis magna marmorea; servata ibi ($\frac{1}{10}$).

a. 315



0,052

Magno et invicto principi d(omino) n(ostro) imp(eratori) Caesari | Flav(io) Val(erio) Constantino Pio Felici semper Aug(usto), | pont(ifici) maximo, Sarmatico max(imo), Germ(anico) max(imo), Got(ico) max(imo), | trib(unicia) pot(estate) X, cons(uli) IIII, imp(eratori) VIIII, p(atri) p(atriae), proconsuli | Septimius Flavianus v(ir) p(erfectissimus) p(raeses) p(rovinciae) Maur(etaniae) Sitif(ensis) | numini maiestatiq(ue) eius semper dicatissimus

CIL VIII 8477 vv. 1. 2.

---

787 In municipio Avitta Bibba provinciae proconsularis, fragmentum epistylii; extat ibi ($\frac{1}{8}$).

a. 338



0,070


Aeterno numini praestanti propitio sacrum | [Vi]ctoris sacerdotis et Arri Servili rem agentib(us) | [nec] non et silicem omne sanctuarium stravit | [q]u[i]nt(um) idus Martias Ursi et Pollemi consulatus

CIL VIII 796 v. 4 pars dextra.

---

788 In Apisa maiore provinciae proconsularis; bases marmoreae duae gemellae ($\frac{1}{5}$).

a. 364 aut 375 aut 392



0,038
0,048

D(omino) n(ostro) | imp(eratori) Aug(usto) Fl(avio) Valentiniano | Pio Felici victori | ac triumfatori | perpetuo devotus | ordo m(uni)c(i)p(ii) Apisen|sium maiorum | cum Valerio Marino | cur(atore) r(ei) p(ublicae)

CIL VIII 779 vv. 1—4.

789 In municipio Gigthensi provinciae Tripolitanae, basis marmorea rescripta; extat ibi (1/5).

inter a. 383 et 388



0,035

Quinto fl(amini) p(er)p(etuo) sac(erdotali) prov(inciae). | Salvis ac toto orbe vin[cen]tibus | d(ominis) n(ostris) Fl(aviis) | Valentiniano Theodosio | Arcadio et Maximo semp(er) August(is) | ob meritum magnifice legati|onis, quam pro voto totius | provinciae executus est et | [pereg]it Quintus vir laudabilis | sacerdotalis; huic cupiens | conpetentibus meritis | respondere totius pro|vinciae consilio ad[q(ue)] | decreto ord(inis) | n(ostr)i pos(ita) p(ecunia) p(ublica)

CIL VIII 27 vv. 3. 4.

---

790 In municipio Apisa maiore, epistylium marmoreum; extat ibi (1/12).

inter a. 388 et 392



0,140

[Aureo saeculo d(ominorum) n(ostrorum) Valen]tiniani Theodosi et Arcadi perp(etuorum) | [Aug(ustorum) .... col-legiu]m flaminum perpetuorum

CIL VIII 782 v. 1 pars dextra. Nomen Valentiniani in litura repositum est.

---

791 Neapoli in provincia proconsulari, basis marmorea 'litteris bene incisis' (1/8).

a. 400/1




0,045

Salvis d(ominis) n(ostris) | Arcadio et Honorio | inclytis semper Aug(ustis) | administrante d(ivino) m(andatu?) | Gabinio Barbaro | Pompeiano v(iro) c(larissimo) proc(onsule) | p(rovinciae) A(fricae) v(ice) s(acra) i(udicante) Coelius Titianus v(ir) h(onestus) ex t(ransvecturario) et nav(iculario), ex mun(erario) | et ex curatore r(ei) p(ublicae), cum Coelio Res|tituto v(iro) h(onesto) filio suo | sumptu proprio | instantia sua | dedicavit | administrante | Publiano v(iro) h(onesto) f(lamine) p(erpetuo) curat(ore) r(ei) p(ublicae)

CIL VIII 969 vv. 2. 3.

792 Missuae in provincia proconsulari, basis marmorea; extat Golettae in armamentario navium (1/8).



0,050


Fl(avii) Arpagii v(iri) c(larissimi). | Fl(avio) Arpagio fl(amini) p(er)p(etuo) huiusce | civitatis, ex agente in | rebus v(iro) c(larissimo), ex adiut(ore) inl(ustris) | viri mag(istri) officior(um), v(iro) | spectab(ili) trib(uno) et not(ario) | ob insignia eius erga | rem p(ublicam) merita et praecipue | ob pat(ronatus) benef(icium) statuam ad | aeternitatem meri|torum eius Miss(uenses) cives | conlocaverunt

CIL VIII 989 vv. 2. 3.

---

793 Altavae in Mauretania Caesariensi, basis ex lapide calcareo; extat ibi (1/5).

a. 508




0,028-0,030

Pro sal(ute) et incol(umitate) reg(is) Masunae gent(ium) | Maur(orum) et Romanor(um) castrum edific(atum) a Mas|-givini pref(ecto) de Safari idir? proc(uratore) castra Severian(a), quem Masuna Altava posuit; et Maxim(us) proc(urator) Alt(avae) perfec(it); p(ositum) p(rovinciae) CCCCLXVIIII

CIL VIII 9835 v. 2.

794 Calamae in Numidia proconsulari, tabula magna ex lapide calcareo ($\frac{1}{10}$).

c. a. 540



0,100

0,090


0,070

+ *Abbena* [i. e. *advena*] *veniens* [*qui*] | *urbem meliorata*(*m*) [*intueris*], | *disce Solomonis patrici esse la*[*udabile opus, quod ip*]|*sius iusso Paulus com*(*es*) *perfecit ca* . . . .

CIL VIII 5353 integra.

---

795 Sitifi, fragmentum epistylii marmorei; ibi in hortis publicis ($\frac{1}{10}$).




0,260

+ *Antiquam c* . . . . | . . *Solomon fort* . . . . .

CIL VIII 8483 v. 1.

796 Masculae in provincia Numidia, tabula marmorea; extat ibi. Ex imagine Villefossii (c. $\frac{1}{10}$).

a. 578/79



0,060

+ *Haec quoqu*[*e* . . . . *ex*]|*truxit moen*[*ia* . . . .] | *aliud melio* . . . . . . | *Tiberiam* . . . . . . | *Caesari* . . . . . | *iubantes* . . . . . . | *c*(*ome*)*s*? *Gennad*[*ius* . . . . .?]

CIL VIII 2245 integra.

PARS SECVNDA

SCRIPTVRA ACTORVM

Romae antiquitus acta publica primum, deinde etiam privata, ut materiae, qua continebantur, soliditate in perennem memoriam conservarentur neve ceris membranis papyro exarata aut in albo atramento scripta facile interirent, aeri incisa sunt, ut in prolegomenis dictum est. Inde vero ab Augusti potissimum aetate Graeco more acta varia non pauca maioris minorisve ambitus tabulis marmoreis incidi coepta sunt atque parietibus aedium sive sacrarum sive publicarum inseri, ubi et legerentur facilius et aedificiorum illorum et dignitatem et soliditatem et ipsa assequerentur. Ita accidit, ut frequentius in dies in monumentis ipsis, non in aedificiorum tantum parietibus, sed in aris deorum, basibus honorariis, cippis sepulcralibus acta multa inscriberentur una cum titulis aut integra aut ex parte, neque actuario tantum scribendi genere, sed litterarum formis a monumentorum scriptura non diversis. Inde triplex huius materiae divisio oritur: actorum aeri incisorum, actorum lapidi incisorum, actorum monumentis inscriptorum. Atque in ingenti monumentorum multitudine cum syllogae huius pars prima necessario consistere debuerit in speciminibus unius cuiusque aetatis regionis generis paucis, ex actorum superstitum numero multo minore visum est ex huius syllogae legibus consequens esse, ut exempla proponerentur quotquot omnino parari potuerunt. In constanti enim scripturae in eis adhibitae usu exiguisque singulorum exemplorum discriminibus de incertae aetatis reliquiis eius generis iudicari tum demum poterit aliqua cum confidentia, cum exempla similia quam plurima comparare licuerit.

CAPVT PRIMVM

ACTA AERI INCISA

Casu quodam singulari accidit, ut cum aetatis liberae rei publicae instrumenta populi Romani servata sint aeri incisa non pauca, monumenta scilicet illa numero decem (periit enim una praetoris epistula ad Tiburtes CIL I 201) magni pleraque ambitus cum legum fragmentis aliquot minoribus, quae corporis inscriptionum voluminis primi sectio prima (p. 43—127 184 556) complectitur et Ritschelii tabulae (PLME tab. XVIII—XXXV) repraesentant, contra aetatis imperatoriae, quam cuiusvis generis acta numero longe plura protulisse atque servavisse certissimum est, pauca tantum nobis servata sint. Quorum ego quotquot nancisci potui exempla infra propono quadrifariam divisa: scilicet primo loco instrumenta varia composui temporum ordine disposita, cum in tanta penuria argumentorum ratio apte haberi non potuerit; deinde privilegia sive diplomata militaria, tertio loco tabulas patronatus exhibui; quarto quasi appendicis loco aera inscripta minora addita sunt, quae propter parvum eius generis monumentorum modulum scriptura plerumque utuntur actuaria, interdum peculiari.

I


INSTRVMENTA VARIA

Ex aerearum tabularum tribus milibus, quae, ut Suetonius narrat (Vesp. c. 8), Vespasiano imperante incendio Capitolii conflagraverant ab eoque undique investigatis exemplaribus restituta sunt, reliquisque milibus multis, quae postea accesserunt, paene nihil servatum est. Senatus consulti post mortem Germanici facti frustula quaedam exigua supersunt, quorum eius, quod in museo nostro Berolinensi servatur, exhibui exemplum (n. 798). Extat deinde lex regia quae vocatur sive illud senatus consultum est a. 69 (n. 802); praeterea tabella aerea militaris argumenti una a. 203 (n. 810). Paullo plura regiones aliquot Italiae atque provinciae praebuerunt. Ex Gallia transpadana *lex Tappula* iocose quidem ficta, sed scripta elegantia eadem,

qua eiusdem, fortasse Vespasianae, aetatis acta (n. 803), *edictum Claudii* (n. 800), ex transalpina *oratio Claudii* Lugudunensis (n. 799), ex Sardinia *edictum proconsulis* alicuius imperante Othone (n. 801), ex oppido Veleia *obligatio praediorum* aetatis Traianae (n. 804) — quae enim ex oppido Ligurum Baebianorum Romae servatur tabula similis (CIL IX 1455), eius ectypum obtineri non potuit —, Canusio *album decurionum* a. 223 (n. 811) prodierunt. *Senatus consultum Hosidianum* a. 44/6 et 56 Herculanei olim extans (CIL X 1401) interiit. Fragmenta quaedam minora actorum legumque incertarum Veronensia (CIL V 3040 = 3751 et 3449 = PLME p. 92 tab. XCVII*F*), Opiterginum (CIL V 8789), Mediolaniense (CIL V 5803) omisi. Inter recentiora huius generis monumenta numerandum est *laterculum militum* in Germania repertum (n. 804). Aera reliquis maiora et graviora, si argumenta spectas, Hispanias protulisse notum est: legum Hispanarum, quas saeculo primo exeunte alteroque incisas esse probabile est, Ursonensis (n. 805), Vipascensis (n. 806), Salpensanae (n. 807), Malacitanae (n. 808), quibus accedit fragmentum Italicense (n. 805), exempla exhibui. Indidem prodiit, quod quanquam anni nota carens tamen propter aetatem primo loco posui *pactum fiduciae* Hispalense (n. 797): litteratura enim eius aerum liberae rei publicae scripturae satis similis est suadentque argumentum et sermo, ut aetate Augusta recentius esse non existimetur. *Iusiurandum Aritiensium* a. 37 in Lusitania repertum (CIL II 172), cuius alterum exemplum Graecum nuper prodiit Assi in Asia (Ephem. epigr. V p. 155 ss.), *Vespasiani* epistulae ad Vanacinos in Sardinia a. 72 (CIL X 8038), item ad Saborenses in Hispania Baetica a. 78 (CIL II 1428), *Domitiani* denique ad Falerienses a. 82 (CIL IX 5420) datae perierunt; decreti Bergomatis saeculo, ut videtur, secundo inscripti (CIL V 5127) ectypum nancisci non potui.

Monumenta haec in universum scripta sunt litteris quanquam non elegantibus, si excipimus Claudii orationem (n. 799) et leges regiam (n. 802) Tappulamque (n. 803) pulchre incisas, attamen bonis et satis aequalibus. Aera Hispana (n. 805—808) saeculi primi exeuntis secundique ad cursivae scripturae libertatem prope accedunt; in reliquis actuaria scriptura propter aeris duritiem videtur interdum monumentali scripturae, in praescriptionibus maxime maiore modulo exaratis, similior evasisse. Neglegentiae vulgaris nulla in eis vestigia extant.

797 Prope Hastam Baeticae, lamina aerea; servabatur Hispali apud Franciscum Matthaeum *Gago* (c. ½).



0,006


Dama L. Titi ser(vus) fundum Baianum qui est in agro qui | *Veneriensis vocatur pago Olbensi uti optumus maxumusq(ue)* | *esset* HS *(sestertium) n(ummo) I et hominem Midam* HS *(sestertium) n(ummo) I fidi fiduciae causa man*|*cipio accepit ab L. Baianio libripend[e] antestato ad fines [f]undo* e. q. s.

CIL II 5042 vv. 1—4. V. 3 LIBRIPENDL et EVNDO in aere sunt.

---

798 Romae, fragmenta tabulae aeneae tria; servantur Romae, Veronae, Berolini; hoc exhibui (⅓).

a. 19 aut 23




0,009

[........ *si*]*ve quas civium Romanoru*[*m* ....]|*i ludos fieri aliudve quod* [........... *Rom*]|*anos circienses fieri sole*[*nt* ....] | [*po*]*neretur inque eó hoc s(enatus)* [*c(onsultum)*] *incideretur* ...... cet.

CIL VI 912*c* (cf. add. p. 841) vv. 1 et 4. Pertinent ad senatus consulta post mortem Germanici et Drusi iunioris facta anno s. s. (Tacitus ann. II 83 et IV 9).

799 Luguduni, tabula magna aerea; ibi in museo (¼).

0,019



Tempus est iam, Ti. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis, | *quo tendat oratio tua: iam enim ad extremos fines Galliae Nar|bonensis venisti*


Boissieu *inscriptions de Lyon* p. 136 paginae alterius vv. 20—22; Allmer *monuments de Vienne* tab. 33 n. 243.

Orationis notissimae quam Boissieu exhibet imaginem eodem quo archetypum modulo delineatam vocabulorum aliquot ex pagina prima tabulae, ea quanquam accurate facta est, tamen cum ectypo comparata mihi visa est formas singulas litterarum, caudas cornua angulos, nimis in maius auctos reddere. Quam idem exhibet imaginem ad decimam archetypi partem redactam (cf. *bulletin épigraphique de la Gaule* II 1880 tab. 1), ea nimis exiguas habet litteras. Neque Allmeri tabula quanquam accurate facta et ipsa et aliquanto quam Boissievii altera maior, usque quaque satis facit. V. 20 puncta ubi hic desunt, non vidi in ectypo; observa v. 21 puncta intra litteras posita, ut spatio parcatur.

---

800 In valle Anauna reperta, tabula aenea; servatur Tridenti. Ex imagine Kenneri (c. ½; litterarum mensuras accuratas ignoro).

a. 46




M. Iunio Silano Q. Sulpicio Camerino co(n)s(ulibus) | *idibus Martis Bais in praetorio edictum* | *Ti. Claudi Caesaris Augusti Germanici propositum fuit id* | *quod infra scriptum est.* | *Ti. Claudius Caesar Augustus Germanicus, pont(ifex)* | *maxim(us), trib(unicia) potest(ate) VI, imp(erator) XI, p(ater) p(atriae), co(n)s(ul) designatus IIII dicit:* | *cum ex veteribus controversis pe[nd]entibus aliquamdiú etiam* | *temporibus Ti. Caesaris patrui mei* e. q. s. *posteac* | *detulerit Camurius Statutus ad me agros plerosque* | *et saltus mei iuris esse; in rem praesentem misi* | *Plautum Iulium amicum et comitem meum, qui* .... *cetera quidem* ..... *statuat pronun|tietque ipsi permitto.* Sequuntur alia edicti commata duo

CIL V 5050; F. Kenner *Mittheilungen der k. k. Centralcommission zur Erforschung und Erhaltung der Baudenkmale* XIV 1869 p. 153 ff. ex imagine lithographa Tridenti facta.

---

801 Prope vicum Esterzili in Sardinia reperta, tabula aenea; in museo Sassaritano (⅓).

a. 68




0,013
0,009

Imp(eratore) Othone Caesare Aug(usto) co(n)s(ule) XV k(alendas) Apriles | *descriptum et recognitum ex codice ansato L. Helvi Agrippae procons(ulis), quem protulit Cn. Egnatius* | *Fuscus scriba quaestorius, in quo scriptum fuit it quod infra scriptum est tabula V c(apitibus) VIII* | *et VIIII et X* | sequitur edictum L. Helvii Agrippae | *in consilio fuerunt* | sequuntur nomina primo casu legati pro praetore, quaestoris pro praetore, senatorum sex | *signatores* | sequuntur nomina secundo casu undecim

CIL X 7852 vv. 1. 2.

802 Romae, tabula magna aenea; in museo Capitolino ($\frac{1}{3}$).

a. 69 0,021




[.... *Vespasiano* ......] | *foedusve cum quibus volet facere liceat ita uti licuit divo Aug(usto)* | *Ti. Iulio Caesari Aug(usto) Tiberioque Claudio Caesari Aug(usto) Germanico* | e. q. s. | *utique, quaecunque ex usu rei publicae, maiestate divinarum* | *hum[an]arum publicarum privatarumque rerum esse [e]* | *censebit, ei agere facere ius potestasque sit* e. q. s.

CIL VI 930 vv. 17—19 particula prior. V. 18 vitia caelatoris duo habet *humarum* et *e* in fine male additum.

803 Vercellis, fragmentum tabulae aeneae, litteris *'di ottima epoca, forse Augustea'*; servatur ibi. Ex imagine Mommseni ($\frac{2}{3}$).

0,016

0,007




[*Lex*] *Tappula.* | ....*ius Tapponis f(ilius) Tappo cis[tella* | *posita ad e]dicta conlegarum eor[um* ... | ... .] *M. Multivori, P. Properoci,* [...... | *L. Vini Me]ronis plebem Romanam [iure* | *rogavit pl]ebesque Romana iure sciv[it* ... | .... *in ae]de Herculis a(nte) d(iem) XI k(alendas) Unde[cimas; primus pro trib]u Satureia principi[o scivit* | .... *Ta]pponis f(ilius) pane repeti[to* .... | ....*e qui quaeve* ....

Th. Mommsen *bullettino dell' Instituto archeol.* a. 1882 p. 186 vv. 1—3 et 7. Saeculo primo exeunti mihi visae sunt litterarum formae convenire.

804 Veleiae, tabula aenea; in museo Parmensi ($\frac{1}{2}$).

inter a. 102 et 113 v. 1 0,042 v. 2 0,028 v. 3 0,007




Obligatio praediorum ob HS (sestertium) deciens quadraginta quattuor milia, ut ex indulgentia optimi maximique principis imp(eratoris) Caes(aris) Nervae | *Traiani Augusti Germanici Dacici pueri puellaeque alimenta accipiant legitimi n(ummos) CCXLV, in singulos HS (sestertium) XVI n(ummos), f(iunt) HS (sestertium) XLVII (milia) XL n(ummum); legitimae n(ummos) XXXIV, sing(ulae) HS (sestertium) XII n(ummum), f(iunt) HS (sestertium) IV (milia) ƉCCCXCVI; spurius I (unus) HS (sestertium) CXLIV; spuria I (una) HS (sestertium) CXX;* | *summa HS (sestertium) LII (milia) CC, quae fit usura* ∴ *(quincunx) sortis supra scribtae*

C. Volumnius Memor et Volumnia Alce per Volum(nium) Diadumenum libertum suum professi sunt | *fundum Quintiacum Aurelianum, collem Muletatem cum silvis qui est in Veleiate* | *pago Ambitrebio adfinibus M. Mommeio Persico Satrio Severo et pop(ulo) HS (sestertium) CVIII (milium);* | *acciper(e) debet HS (sestertium) VIII (milia) ƉCLXXXII n(ummum) et fundum s(upra s(criptum) obligare* e. q. s.

CIL XI 1147 vv. 1. 2 particula sinistra et pag. I v. 1.

805 Ursone, tabulae aereae quinque vel potius quattuor (una enim in duas partes fracta est); tres servantur Malacae apud Heredias, duae Matriti in museo archaeologico ($\frac{2}{3}$).


(*a*)



0,007

LXVII[I] IIviri praef(ectus)ve comitia pontific(um) augurumq(ue), quos h(ac) l(ege) | *[fac]ere oportebit, ita habeto prodi[c]ito, ita uti* | *II vir(um) creare facere sufficere h(ac) l(ege) o(portebit)*


(*b*)



0,006

LXXIII Ne quis intra fines oppidi colon(iae)ve, qua aratro | *circumductum erit, hominem mortuom* | *inferto neve ibi humato neve urito neve homi|nis mortui monimentum aedificato. Si quis adversus ea fecerit* e. q. s.


(*c*)



0,007

XCII IIviri quicumque in ea colon(ia) mag(istratum) habebunt, ei de legatio|nibus publice mittendis ad decuriones referunto, cum m(aior) p(ars) decurion(um) eius colon(iae) aderit quotque de his rebus | *maior pars eorum qui tum aderunt constituerit, it ius ratumque esto* e. q. s.


(*d*)




0,007

CII IIvir qui h(ac) l(ege) quaeret iud(icium)[ve] exercebit, quod iudicium | *uti uno die fiat h(ac) l(ege) praestitu[tu]m non est, ne quis* | *eorum ante h(oram) I neve post horam XI diei quaerito* | *neve iudicium exerceto* e. q. s.

(*e*)



0,007



0,005

CXXVIII II(vir) aed(ilis) pra[e]f(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) quicumque erit, is suo quoque anno mag(istratu) | *imperioq(ue) facito curato, quod eius fieri poterit,* | *uti quod r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo), mag(istri) ad fana templa delubra, que[m]* | *ad modum decuriones censuerin[t], suo quoque anno* | *ludos circenses* cet. *facienda curent* e. q. s. .... *Si quis* | *atversus ea [f]ecerit, quotiens[cum]que quit atversus ea fecerit, IIS (sestertium) X (milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto) eiusque pecun(iae)* | *[q]ui eorum volet rec(iperatorio) iudic(io) aput II vir(um)* | *praef(ectum)[ve] actio petitio persecutioq(ue) e(x) h(ac) l(ege)* | *ius potest(as)[q(ue)] esto*

CXXIX IIvir(i) aediles praef(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) quicumqu[e] erunt decurionesq(ue) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) qui|cumque erunt, [e]i omnes d(ecurionum) d(ecretis) diligenter parento optemperanto s(ine) d(olo) m(alo) fa|ciuntoque e. q. s.

Ephem. epigr. II p. 105 ss. 221 ss., III p. 87 ss. ubi exemplum hoc legis non aetate Caesariana factum esse, sed Domitiana fere expositum est.
Specimina ita selecta, ut singularem tabularum scripturam non aequabilem vitiaque aliquot quadratariorum illustrent, haec sunt

a) tab. IV 10 vv. 23. 24
b) tab. V 13 vv. 2. 3
c) tab. I 1 vv. 8. 9. 10
d) tab. II 4 vv. 23. 24
e) tab. III 7 vv. 29—33

Tab. III 7 vv. 31—33, fortasse etiam EX · H · L litterae v. 30 ultimae a quadratario alio litteris minoribus incisae sunt.

---


806 In vico *Aljustrel* Lusitaniae meridionalis reperta, tabula aenea; servatur Olisipone in museo academico (¼).

a




0,012
0,007

b



0,010
0,007

c



0,010
0,007

Specimina haec sunt:

a) anticae vv. 1. 2.

Centesimae argentariae stipulationis. Conductor ea[rum stipulationum quae ob auctio]|nem intra fines metalli Vipascensis fient exceptis iis quas proc(urator) metallorum iu[ssu imp(eratoris) faciet, centesimam a vendito]|re accipito e. q. s.

b) anticae vv. 19. 20.

Balinei fruendi. Conductor balinei sociusve eius omnia sua inpensa balineum, [quod ita conductum habe]bit in | pr(idie) k(alendas) Iul(ias) primas, omnibus diebus calfacere et praestare debeto a prima luce in horam septim[am diei mulieribus] et ab hora octava | in horam secundam noctis viris arbitratu proc(uratoris) qui metallis praeerit e. q. s.

c) posticae vv. 10. 11.

Balinei fruendi. Conductor balinei | [habe]bit in pr(idie) ka[l(endas)] ..ii faciet et praestare debeto a pi


Ephem. epigr. III p. 165 ss., ubi tabulam opisthographam (altera enim parte quadratarius saepe erraverat neque satis intellexerat exemplum ad incidendum propositum) aetate fere Domitiani incisam esse expositum est.

---

807 Malacae, tabula aenea; servatur apud marchionem de Casa-Loring (¼).

(*a*)


inter a. 82 et 84



0,006

R(ubrica) de iure praef(ecti) qui a II vir(o) relictus sit. | Ex II viris qui in eo municipio i(ure) d(icundo) praeerit, uter postea ex eo municipio proficiscetur | neque eo die in id municip[i]um esse se rediturum arbitrabitur, quem | praefectum municipi non minorem quam annorum XXXV ex | decurionibus conscriptisque relinquere volet, facito ut is iuret per Iovem et divom Aug(ustum) e. q. s.

(*b*)



0,006

R(ubrica) de servis apud II vir(um) manumittendis. | Si quis municeps municipi Flavi Salpensani qui Latinus erit aput II vir(os), | qui iure d(icundo) praeerunt eius municipii, servom suom servamve suam | ex servitute in libertatem manu miserit liberum liberamve esse iusserit ...., qui ita | manu missus liberve esse iussus erit, liber esto e. q. s.


CIL II 1963 I vv. 26. 27 et II vv. 19—21.

Exemplum legis Salpensanae non Domitiani aetate, sed saeculo altero fere medio incisum esse Brambachius (*lat. Orthographie* p. 315) et O. Hirschfeldius (*Festschrift für das archäologische Institut*, Vindobonae 1879 4., p. 12) non sine probabilitate quadam contenderunt.

808 Malacae, tabula aenea; servatur ibi apud marchionem *de Casa-Loring* (2/3).

(*a*)


inter a. 82 et 84



0,005

R(ubrica) LII. De comitiis habendis. | *Ex II viris qui nunc sunt, item ex is, qui* | *deinceps in eo municipio II viri erunt,* | *uter maior natu erit* .... *comitia II vir(is), item aedilibus, item quaestoribus rogandis subrogandis h(ac) l(ege) habeto* e. q. s.

(*b*)




0,005

R(ubrica) LXVII. De pecunia communi municipum | *deque rationibus eorundem.* | *Ad quem pecunia communis municipum* | *eiius municipi pervenerit heresve ei*|*ius ad quem ea res pertinebit,* .... *in die*|*bus XXX proximis, quibus ea pecunia* | *ad eum pervenerit, in publicum muni*|*cipum eiius municipi eam referto* e. q. s.

CIL II 1964 I vv. 29—31 et V vv. 15—18. Exemplum legis incisum est eadem qua praecedens aetate; ubi vide.

---

809 Italicae, fragmentum tabulae aeneae; servat Hispali Franciscus Matthaeus Gago (1/3).



0,008 - 0,010

[ad fiscum meum si quae cuiuscumque re]i nuntiationes | *[posthac fient, in iudice uno eadem] observari debe*|*[bunt quae cum inter privatos ad unu]m iudicem ibitur* e. q. s.

Ephem. epigr. II p. 149 ss. Aetatis fortasse eiusdem atque quae praecedunt aera Hispana.

---

810 Romae, tabula aenea cum protomis trium Augustorum, inscripta litteris minutis; in museo Capitolino (1/4).

a. 203



0,017


Imp(eratoribus) Severo et Antonino Aug(ustis) | *[Brittanicis p(atribus) p(atriae)] et Iuliae Aug(ustae) matri Aug(ustorum) et castror(um)* | *[et Fulviae Plautillae Aug(ustae), C. Fulvio Plautiano pr(o) pr(aetore)]* | *c(larissimo) v(iro) II [P. Septimio Geta] II co(n)s(ulibus), C. Iunio Rufino pr(aefecto), C. Iunio Balbo s(ub) pr(aefecto),* | *M. Ulpio Constantino tr(ibuno), C. Atticio Sperato 7 (centurione)* | *Genio 7 (centuriae) ii qui frument(o) publ(ico) incisi sunt kal(endis) Martis de suo posuerunt, quorum nomina infra scripta sunt, milites facti Anullino II et Frontone co(n)s(ulibus)* sequitur laterculum militum et reliqua

CIL VI 220 v. 1. Litterae reliquorum triginta vv. altae sunt 0,011 ad 0,008. Consulatus Plautiani et Getae alter incidit in annum s. s. Verba uncis inclusa in litura reposita scalprove deleta sunt, ita tamen ut clare appareant.

811 Canusii, tabula aerea; in museo Florentino (1/3).

a. 223

v. 1 0,030 v. 4 0,010



L. Mario Maximo II L. Roscio Aeliano co(n)s(ulibus) | *M. Antonius Priscus L. Annius Secundus II vir quinquen-n(alis)* | *nomina decurionum in aere incidenda curaverunt* | *patroni c(larissimi) v(iri)* | sequuntur nomina XXXI | *patroni eq(uites) R(omani)* | sequuntur nomina VIII | *quinquennalicii* | sequuntur nomina VII | *allecti inter quinq(uen-nales)* | sequuntur nomina IV | *II viralicii* | sequuntur nomina XXIX | *aedilicii* | sequuntur nomina XIX | *quaestoricii* | sequuntur nomina IX | *pedani* | sequuntur nomina XXXII, inter quae est *C. Fufidius Rufus* | *praetextati* | sequuntur nomina XXV

CIL IX 338 vv. 1 et 4.

---

812 Originis incertae (dicuntur esse Mogontiaci repertae), tabellae aeneae duae; in museo regio Bonnensi (1/1).



0,005

Saturn(inius) Lucius leg(ione) I M(inervia)
Saturn(inius) Parthic(us) leg(ione) I M(inervia)

Th. Mommsen annal. Bonnens. LXVII a. 1879 p. 47 tab. II. Exempla duo laterculi continentis nomina militum sedecim, quae ad donarium aliquod videntur affixa fuisse. Saeculi tertii exeuntis.

II


PRIVILEGIA MILITVM VETERANORVMQVE DE CIVITATE ET CONVBIO

Diplomata militaria quae breviter dicimus e legibus archetypis Romae publice propositis repetita sunt, ut ipsa declarant. Unde ubi singula reperta sint ad rem non facit; adnotavi autem aequabilitatis causa, ut in reliquis inscriptionibus feci, quas hoc opus complectitur. Artis igitur aerariorum urbanorum exempla praebet series haec monumentorum plus minus quinquaginta inde a Claudii aetate incipiens et desinens aetate Diocletiani, quam congerere potui. Scilicet ex monumentis eius generis quae adhuc innotuerunt omnino LXXVII, plane aut interierunt aut latent sex olim integra (secundum numerationem voluminis inscriptionum tertii et Ephemeridis epigraphicae; v. Ephem. epigr. V p. 101 ss.): Stabianum postea Veronense Galbae a. 68 (n. V), Hungaricum Domitiani a. 92 (n. XV), Cremonense postea Venetum Hadriani a. 129 (n. XXXII), Patavinum Marci a. 165 (n. XLV), Neapolitanum Philipporum a. 247 (n. LIII), Neapolitanum item Diocletiani et sociorum a. 301/5 (n. LVIII). Aliorum sex ut imagines fidas mihi procurarem nondum mihi contigit; sunt autem haec: Aegyptium nunc in bibliotheca Vaticana servatum Domitiani a. 86, quod ut charta expressum obtinerem frustra elaboravimus ipse et amici urbani (n. XIII), Salonitanum nunc Florentinum Domitiani a. 93 (n. XVI), Hungarica duo Debreczini servata Hadriani a. 138 (n. XXXVI) et Marci a. 167 (n. XLVI), Bulgarica duo Tirnowae servata Domitiani a. 82 (n. LXVIII) et Marci a. 178 (n. LXXI). Undecim duodecimve aliorum fragmenta tantum exigua servata sunt, quorum numeros breviter indico (n. VIII a. 71, n. XVII a. 82—96, n. LXIV a. 82—96, n. LXIII a. 88, n. XXVIII a. 116, n. XXIX a. 98—117, n. XLI a. 138—161, Britannicum Pii n. XLVII a. 161/69, n. L a. 222, n. LV a. 247/48, n. LXVII a. incerti). Reliquorum omnium exhibeo exempla, quae ita selegi, ut tam scriptura accuratior extrinsecus adhibita quam peior atque interdum pessima intus extans diversaeque instrumentorum particulae apte illustrarentur. Imagines eorum antea quamvis fideliter propositas, veluti a Marinio aliisque, tamen sprevi, ubi monumenta ipsa adire licuit. Interdum adhibui Arnethii et Brucii fideles, sed minime elegantes elegantioresque Renierii; a Romero exhibitae in monumentis musei Pestinensis nullius omnino usus fuerunt.

Monumenta haec praeclare demonstrant, scripturam actuariam bonam atque accuratam, ad saeculum fere primum extremum paene quadratam, inde ab altero incipiente paullo magis gracilem minusque curiose incisam, inde fere a tertio medio scripturae pictae magis similem, in parte tabellarum interiore aut neglegenter factam (ut in n. 818 819 836 850) aut prorsus pessum datam (ut in n. 837 843 844 856 859), in universum per tria fere saecula mansisse incorruptam. Si aetatis Claudiae Neronianaeque diplomata (n. 813 814 815) comparaveris cum Gallieni et Diocletiani (n. 860 861), litteras quidem videbis altiores esse spatiisque minoribus interiectis procedere (omissis etiam punctis), sed tamen indolem actorum calamo accurate exaratorum servare prorsusque differre a cursivae sive vulgaris scripturae neglegentia; nam quod in singulis exemplis (ut in n. 832 et 834) minus bene videtur exarata esse, videtur tantum propter aerum superficiem corrosam. Aut nullae sunt litterarum formae a vetustis diversae aut rarissimae (ut ç in n. 859): P paene ubique aperta mansit (cf. quae adnotavi ad n. 826), reliquaeque etiam litterae recte formatae sunt in recentioribus perinde atque in antiquioribus. Singulas varietates hic non persequor; facilius enim oculis percipiuntur quam describuntur.

813 Stabiis, 'Claudius Spartico'; in museo Neapolitano (½).

a. 52
d. Dec. 11




0,006

intus, tabella prior: *Ti. Claudius Caesar Augustus* | *Germannicus* [sic], *pontifex maxim(us)*, | *trib(unicia) potestate XII*, *imper(ator) XXVII*, | *pater patriae, censor, co(n)s(ul) V* e. q. s.

CIL III p. 844 n. I = X 769 vv. 1—4.

814 Originis incertae, 'Nero Iantumaro'; servatur in museo Vindobonensi (1/1).

a. 60
d. Iul. 2



0,005


intus, tabella prior: *Nero Claudius divi Claudi f(ilius) Germanici* | *Caesaris n(epos) Ti. Caesar(is) Aug(usti) pron(epos) divi Aug(usti)* | *ab n(epos) Caesar Aug(ustus) German(icus)* e. q. s.

CIL III p. 845 n. II vv. 1. 2. Extrinsecus tabella scripta est litteris minoribus et neglegenter.

---

815 *Geiselbrechting* in Norico, 'Nero Cattao'; in antiquario Monacensi (1/1).

a. 64
d. Iun. 15



0,006

0,006


intus, tabella posterior: *a(nte) d(iem) XVII k(alendas) Iulias* | *C. Laecanio Basso* | *M. Licinio Crasso Frugi co(n)s(ulibus)* | *pag(ina) II k(apite) XVI* | *alae Gemellianae* e. q. s.
extrinsecus, tabella posterior: *L. Lucili Proculi* | cet. *Cn. Corneli Ionici*

CIL III p. 846 n. III intus vv. 4. 5, extrinsecus v. 5.

---

816 Prope Anelam Sardiniae, 'Galba Ursari', tabulae solito crassiores et maiores; in museo Sassaritano (1/1).

a. 68
d. Dec. 22




0,004

intus, tabella prior: *Ser. Galba imperator Caesar Aug(ustus) ponti(fex)* | *max(imus), tribunicia potest(ate), co(n)s(ul) desig(natus) iterum* | *veteranis qui militaverunt in legione* | *I adiutrice* e. q. s.

CIL X 7891 = Ephem. epigr. II p. 454 n. LIX vv. 1—3.

817 Stabiis, 'Galba Diomedi'; in museo Florentino (½).

a. 68
d. Dec. 22



0,005


intus, tabella prior: *Ser. Galba imperator Caesar August(us),* | *pontif(ex) max(imus), trib(unicia) pot(estate), co(n)s(ul) des(ignatus) II* e. q. s.

CIL III p. 847 n. IV = CIL X 770 vv. 1. 2.

---

818 Herculanei, 'Vespasianus Nervae'; in museo Neapolitano (½).

a. 70
d. Mart. 7



0,004


intus, tabella prior: *Imp(erator) Vespasianus Caesar August(us),* | *tribunicia potest(ate), co(n)s(ul) II* e. q. s.

CIL III p. 849 n. VI = CIL X 1402 vv. 1. 2.

---

819 Salonis, 'Vespasianus Platori'; in museo Berolinensi (½).

a. 71
d. Apr. 5



0,004
0,004
0,003
0,004

intus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar Vespasianus Aug(ustus) pont(ifex)* | *max(imus) tr(ibunicia) pot(estate) II, imp(erator) VI, p(ater) p(atriae), co(n)s(ul) III, desig(natus)* | *IIII veteranis qui militaverunt in* | *classe Ravennate* e. q. s.

tabella posterior: *descriptum et recognitum ex tabula* | *aenea quae fixa est Romae in Capitolio ad* | *aram gentis Iuliae de foras podio sinisteriore* | *tab(ula) I pag(ina) II loc(o) XXXXIIII*

verba *in Capitolio ad* e. q. s. postea expleta in spatio primum vacuo relicto

extrinsecus, tabella prior: ... *cum iis quae postea duxissent dum* | *taxat singulis singulas, non(is) April(ibus)* | *Caesare Aug(usti) f(ilio) Domitiano, Cn. Pedio Casco co(n)s(ulibus)*


verba *non(is) April(ibus)* e. q. s. postea expleta

tabella posterior: *Ti. Iuli Rufi Salonit(ani) eq(uitis) R(omani)* e. q. s. | *T. Fani Celeris Iadest(ini) dec(urionis)*

CIL III p. 850 n. VII intus vv. 1. 2 et 17; extrinsecus vv. 14. 15 et 25.

820 Pompeiis, 'Vespasianus Marco'; in museo Neapolitano (½).

a. 71
d. Apr. 5



0,005

intus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar Vespasianus Aug(ustus)* | *pont(ifex) max(imus), tr(ibunicia) pot(estate) II, imp(erator) VI, p(ater) p(atriae),* | *co(n)s(ul) III, desig(natus) IIII* | *veteranis qui militaverunt in* | *classe Misenensi* e. q. s.

CIL X 867 = Ephem. epigr. II p. 457 n. LX vv. 1. 2.

---

821 Ad vicum *Sikator* in Pannonia superiore, 'Vespasianus Veturio'; in museo Pestinensi (½).

a. 74
d. Mai. 24



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar Vespasianus Augustus, pontifex* | *maximus, tribunic(ia) potestat(e) V, imp(erator) XIII, p(ater) p(atriae),* | *co(n)s(ul) V, designat(us) VI, censor* e. q. s.

CIL III p. 852 n. IX vv. 1—3. Tabella prior intus scripta est litteris multo minus bonis, rudibus, maioribus.

---

822 Tomis s. Constantiae (*Kustendje*), 'Vespasianus L. Ennio Feroci'; in museo Vindobonensi (½).

a. 76
d. Dec. 2



0,006


intus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar Vespasianus Augustus, pontifex* | *maximus, trib(unicia) potestat(e) VIII, imp(erator)* | *XVIII, p(ater) p(atriae), censor, co(n)s(ul) VII, design(atus) VIII,* | *nomina speculatorum qui in praetorio meo militaverunt* e. q. s.

CIL III p. 853 n. X intus vv. 1. 2.

---

823 *Klosterneuburg* prope Vindobonam, 'Titus Soioni'; extat in monasterio *Klosterneuburg*. Ex imagine Arnethi (½).

a. 80
d. Iun. 13




0,005

intus, tabella prior: *Imp(erator) Titus Caesar divi Vespasiani f(ilius) Vespasianus* | *Augustus, pontifex maximus, tribunic(ia) potestat(e)* | *VIII, imp(erator) XV, p(ater) p(atriae), censor, co(n)s(ul) VIII* e. q. s.

CIL III p. 854 n. XI intus vv. 1—3; Arneth *zwölf römische Militärdiplome* n. III p. 33 tab. VII—X.

824 In comitatu Somogyensi Pannoniae superioris, 'Domitianus Frontoni'; in museo Pestinensi (1/1).

a. 85
d. Sept. 5



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Vespasiani f(ilius) Domitianus | Augustus Germanicus, pontifex maximus, tribunic(ia) potestat(e) IIII, imp(erator) VIIII, co(n)s(ul) XI, | censoria potestat(e), p(ater) p(atriae)* e. q. s.

CIL III p. 855 n. XII vv. 1—4. Tabella prior intus scripta est litteris peioribus.

---

825 Ad Klausenburgum, incendio periit a. 1849; ex Renierii imagine (1/1).

a. 86
d. Mai. 13



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Vespasiani f(ilius) Domitianus | Augustus Germanicus, pontifex maxi|mus, tribunic(ia) potestat(e) V, imp(erator) XII, | censor perpetuus, co(n)s(ul) XII, p(ater) p(atriae) | equi[ti]bus et peditibus qui militant in | alis duabus* e. q. s.

CIL III p. 857 n. XIV (Renier *diplômes* p. 219 tab. XVII ex ectypo Henzeni) vv. 1—4.

---

826 Dorgali in Sardinia, 'Nerva Tunilae'; in museo Caralitano. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 96
d. Oct. 10



0,004

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Nerva Caesar Augustus, pontifex | maximus, tribunic(ia) potestat(e), co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae) | peditibus et equitibus, qui militant in | cohortibus duabus I gemina Sardorum | et Cursorum* e. q. s.

CIL III p. 861 n. XVIII = X 7890 vv. 1. 2 (Renier *diplômes* p. 95 tab. XXVIII).
Imaginem Renierii cum ectypo postea mihi subministrato comparavi et accuratam inveni in universum; sed P litterae minime clausae sunt.

---

827 Felsö-Nana in Pannonia inferiore, 'Traianus P. Insteio'; in museo Pestinensi (1/1).

a. 98
d. Febr. 20




0,004

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traia|nus Aug(ustus) Germanic(us), pontifex maximus, | tribunic(ia) potestat(e), co(n)s(ul) II* e. q. s.

CIL III p. 862 n. XIX vv. 1—3.

828 *Flémalle*, 'Traianus incerto'; in museo Leodiensi. Ex imagine Ceulenerii (1/1).

a. 98
d. ....



0,004


extrinsecus, tabella prior: [*Imp(erator) Caes(ar) divi Ner*]*vae f(ilius) Nerva Traianus* | [*Augustus German*]*icus, pontifex maximus,* | [*tribunicia*] *potestat(e), co(n)s(ul) II* e. q. s.

Ephem. epigr. IV p. 500 n. LXIX vv. 1—3; Ad. de Ceuleneer *notice sur un diplôme militaire de Trajan trouvé aux environs de Liége* Leodii (Berol.) 1881 8. cum imagine photographa.

---

829 Philippopoli in Thracia, 'Traianus Metico'; in museo Sangermanensi prope Parisios. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 99
d. Aug. 14



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traianus* | *Augustus Germanicus, pontifex maximus,* | *tribunic(ia) potestat(e) III, co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae),* | *equitibus et militibus qui militant in alis tribus* e. q. s.

CIL III p. 863 n. XX (Renier *diplômes* p. 203 tab. V) vv. 1—3.

---

830 *Malpas* in Britannia, 'Traianus Reburro'; Londinii in museo Britannico (1/1).

a. 103
d. Ian. 19



0,004


0,003

intus, tabella prior: *equitibus et peditibus qui militant* e. q. s. ...... *et sunt in Britannia* | *sub L. Neratio Marcello, qui quina et* | *vicena plurave stipendia merue*|*runt, quorum nomina sub*|*scripta sunt* e. q. s.
extrinsecus, tabella prior: *a(nte) d(iem) k(alendas) Febr(uarias)* | *M'. Laberio Maximo II,* | *Q. Glitio Atilio Agricola II co(n)s(ulibus).* | *Alae I Pannoniorum Tampianae, cui praest* | *C. Valerius Celsus,* | *decurioni,* | *Reburro Severi f(ilio), Hispan(o)* | e. q. s.

CIL III p. 864 n. XXI = VII 1193 intus vv. 15—17, extrinsecus vv. 23—25.
Litterae olim multo fuerunt clariores et elegantiores, sed propter aeris aliquantum corrosi condicionem videntur inaequales et male incisae esse.

831 Loco incerto Hungariae, 'Traianus Ambireno'; in museo Pestinensi (1/1).

a. 105
d. Mai. 13



0,004

extrinsecus, tabella prior: [*I*]*mp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traianus* | *Augustus Germanicus Dacicus, pontifex maximus, tribunic(ia) potestat(e) VIIII, imp(erator)* | *IIII, co(n)s(ul) V, p(ater) p(atriae)* e. q. s.

CIL III p. 865 n. XXII vv. 1—4.

---

832 *Sydenham* in Britannia, 'Traianus .....'; Londinii in museo Britannico (1/1).

a. 105
d. ....



0,003


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traianu*[*s*] | *Augustus Germanic(us) Dacicus, pontif(ex) max*[*i*]*mus, tribunic(ia) potestat(e) VIIII, imp(erator) IIII, co(n)s(ul) V, p(ater)* [*p(atriae)*] | e. q. s.

CIL III p. 866 n. XXIII = VII 1194 vv. 1. 2.
In hoc quoque aere (ut in n. 830) litterae olim melius sculptae propter aeris condicionem paullo minus elegantes sunt in imagine.

---

833 *Weissenburg* in Raetia, 'Traianus Mogetissae'; in museo Monacensi (1/1).

a. 107
d. Iun. 30




0,004
0,004
0,003
0,005

intus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traianus Aug(ustus)* | *Germanic(us) Dacicus* e. q. s.
tabella posterior: *pr(idie) k(alendas) Iul(ias)* | *C. Minicio Fundano, C. Vettennio Severo co(n)s(ulibus)* | e. q. s.
extrinsecus, tabella prior: *ipsis liberis posterisque eorum* | *civitatem dedit et conubium cum uxo*|*ribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data* e. q. s.
tabella posterior: *Q. Pompei Homeri* | *L. Pulli Verecundi* e. q. s.

CIL III p. 866 n. XXIV intus vv. 1. 24, extrinsecus vv. 18. 33.

834 Loco incerto Hungariae, 'Traianus Thaemo'; ex ectypo gypsaceo musei Vindobonensis ($\frac{1}{1}$).

a. 110
d. Febr. 17



0,003


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traia|nus Aug(ustus), Germ(anicus) Dacicus, pontif(ex) maximus, | tribunic(ia) potestat(e) XIIII, imp(erator) VI, co(n)s(ul) V, p(ater) p(atriae)* e. q. s.

CIL III p. 868 n. XXV vv. 1—3; Arneth *Wiener Sitzungsberichte* vol. XI 1853 p. 317ss. tab. 3. 4.

---

835 Carnunti, 'Traianus Nertomaro'; in museo Vindobonensi ($\frac{1}{1}$).

a. 113 aut 114
d. Sept. 1



0,003

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) divi Nervae f(ilius) Nerva Traianus optimus | Aug(ustus) Germ(anicus) Dacic(us), pontif(ex) max(imus), tribunic(ia) potestat(e) | XVII, imp(erator) VII, co(n)s(ul) VI, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 869 n. XXVI (cf. Ephem. epigr. II p. 452) vv. 1. 2.

---

836 Aquis Mattiacis, 'Traianus Cn. Cornelio .....'; in museo Wiesbadensi ($\frac{1}{1}$).

a. 116
d. Sept. 8



0,004


intus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Nervae f(ilius) Nerva Traianus optim(us) | Aug(ustus) Germ(anicus) Dacic(us) Parthic(us), pontif(ex) max(imus), trib(unicia) po|testat(e) XX, imp(erator) XIII, proco(n)s(ul), co(n)s(ul) VI, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 870 n. XXVII vv. 1. 2. Tabellae prioris extrinsecus pars dimidia tantum extat.

---

837 *Stannington* in Britannia, 'Hadrianus .... Albani f(ilio)'; tabella posterior periit, prior est Londinii in museo Britannico ($\frac{1}{1}$).

a. 124
d. Sept.? 15




0,004

intus, tabella prior: .... *quae sunt in Britannia sub Platorio Ne|pote, quinis et vicen(is) pluribusve stipend(iis) | emeritis dimissis honesta mission(e), | quorum nomina subscripta sunt ipsis | liberis poster(is)que eorum civitatem ded(it)* | e. q. s.

CIL III p. 872 n. XXX = VII 1195 vv. 16. 17.

838 In vico Ilbone Sardiniae, 'Hadrianus C. Fusio ....'; in museo Caralitano (1/1).

a. 127
d. Oct. 11



0,004


extrinsecus, tabella prior: [*Imp(erator) C*]*aesar divi Traiani Parthic(i) f(ilius), divi* | [*Ner*]*vae nepos, Traianus Hadrianus* | e. q. s.

CIL III p. 874 n. XXXI = X 7854 vv. 1. 2.

---

839 In Valachia minore, 'Hadrianus Eupatori'; in museo Sangermanensi prope Parisios. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 129
d. Mart. 22



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Traiani Parthici f(ilius), divi* | *Nervae nepos, Traianus Hadrianus Aug(ustus),* | *pontif(ex) max(imus), trib(unicia) potest(ate) XIII, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 876 n. XXXIII (Renier *diplômes* p. 183 tab. I) vv. 1—3.

---

840 Ad *Giurgiu* in Dacia, 'Hadrianus L. Sextilio Pudenti'; Bukuresti in museo principis Demetrii Ghika. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 134
d. Apr. 2



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Traiani Parthici f(ilius), divi* | *Nervae nepos, Traianus Hadrianus Aug(ustus),* | *pont(ifex) max(imus), trib(unicia) potest(ate) XVIII, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 877 n. XXXIV (Renier *diplômes* p. 213 tab. XXI) vv. 1—3. Intus tabella prior scripta est litteris inconditis.

---

841 *Tortoli*, 'Hadrianus D. Numitorio Tarammoni'; in museo Taurinensi (1/1).

a. 134
d. Sept. 15




0,005

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Traiani Parthici f(ilius), divi Ner*|*vae nepos, Traianus Hadrianus Aug(ustus),* | *pontif(ex) max(imus), trib(unicia) potest(ate) XVIII, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 878 n. XXXV vv. 1—3.

842 *Tarjani* Pannoniae inferioris, 'Pius ....'; in museo Vindobonensi (½).

a. 145
d. ....



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caesar divi Hadriani f(ilius), divi Traiani | Parthici nepos, divi Nervae pronepos, T. | Aelius Hadrianus Antoninus Aug(ustus) Pius, pont(ifex) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VIII, imp(erator) II, co(n)s(ul) IIII, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 880 n. XXXVIII vv. 1. 2.

---

843 *Alsó-Szent-Iván* Pannoniae inferioris, 'Pius Ulpio Biauscioni'; in museo Pestinensi (½).

inter a. 145 et 160
d. Dec. 27



0,003


intus, tabella prior: [*Imp(erator) Caesar divi Hadria*]*ni f(ilius), divi Traiani* | [*Parthici n(epos), divi Nervae pr*]*onep(os), T. Aelius Ha*|[*drianus Antoninu*]*s Aug(ustus) Pius, pont(ifex)* | [*maximus, trib(unicia) pot(estate)* ..., *im*]*p(erator) II, co(n)s(ul) IV, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 884 n. XLII.

---

844 *Adóny* ad Danuvium in Pannonia inferiore, 'Pius Biauscionis (n. 843) conveterano cuidam'; in museo Pestinensi (½).

inter a. 145 et 160
d. Dec. 27



0,003

intus, litteris inconditis: [..... *sub Nunnio Cape*]*lliano leg(ato) XX*[*V plurib(us)ve stip(endis) emerit(is) dim(issis)*] | *hon(esta) mis(sione), quor(um) nomina* | [*subscripta s*]*unt, civit(atem) Rom(anam), qui eor(um) non hab*[*erent,* | *dedit conub(ium)*] *cum uxorib(us), quas tunc habuissent* | *cum est civit(as) is dat(a), aut cum is, quas* [*postea* | *duxis(sent),*] *dum tax(at) singulis* e. q. s.

CIL III p. 885 n. XLIII vv. 1—5.

845 *Damasnae* Daciae, 'Pius Luonerco'; in museo Vindobonensi (1/1).

inter a. 145 et 161
d. Sept. 27



0,003


extrinsecus, tabella prior: *a(nte) d(iem) V k(alendas) Oct(obres) Sex. Calpurnio* | *Agricola Ti. Claudio Iuliano co(n)s(ulibus)* | *coh(ors) I Ulpia Britton(um)* ∞ *(miliaria), cui praest* | *L. Nonius Bassus Picen(o),* | *ex pedite* | *Luonerco Molaci f(ilio), Britt(oni)* | e. q. s.

CIL III p. 886 n. XLIV vv. 9—11.

---

846 Cilurni (*Chesters*) ad vallum Hadriani in Britannia, 'Pius incerto'; Londinii in museo Britannico. Ex Brucii imagine photographa (1/1).

a. 146
d. ....



0,004


extrinsecus, tabella prior: *[Imp(erator) C]aesar divi Hadriani f(ilius), divi* | *[Traiani] Part(hici) nepos, divi Nervae pro*|*[nep(os), T. Ae]lius Hadrianus Antoninus* | *[Aug(ustus) Pius], pont(ifex) max(imus), tr(ibunicia) pot(estate) VIIII, imp(erator) II, co(n)s(ul) IIII, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

Ephem. epigr. V p. 97 vv. 1—4. Una repertum est fragmentum alius privilegii item a Pio dati.

---

847 Castris Reginis, 'Pius Secundo'; in museo Berolinensi (1/1).

a. 153
d. ....



0,003


extrinsecus, tabella prior: *Alae II Fl(aviae)* ∾ *(miliariae) p(iae) f(idelis), cui pr[aest]* | *Ti. Claudius Rufu[s]* | *ex gregali* | *Secundo Sasi[p]i f[il(io)]* | *et Secundae Bori fil(iae)* e. q. s.

Ephem. epigr. IV p. 502 n. LXX vv. 8—12.

---

848 In comitatu Weszprimiensi Pannoniae inferioris, 'Pius Ursioni'; in museo Vindobonensi (1/1).

a. 154
d. Nov. 3




0,003

intus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) divi Hadriani f(ilius), divi Tra*|*iani Parth(ici) n(epos), divi Nervae pron(epos),* | *T. Aelius Hadrianus Antoninus Aug(ustus)* | *Pius, p(ontifex) m(aximus), tr(ibunicia) pot(estate) XVII, imp(erator) II, co(n)s(ul) IV, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 881 n. XXXIX vv. 1. 2.

849 *Zsuppa* prope *Karansebes* in Dacia, 'Pius Barsimso'; in museo Pestinensi (1/1).

a. 157?
d. Dec. 13



0,003


extrinsecus, tabella prior: *Coh(ors) I Vindelicorum* ∾ *(miliaria) cui praest* | *L. Versinius Aper Hispell(o),* | *ex pedite* | *Barsimso Callistenis f(ilio), Caes(area)* e. q. s.

CIL III p. 882 n. XL vv. 8—11.

---

850 Castris Reginis, 'M. Antoninus et L. Verus Sicconi'; Regensburgi in museo. Ex imagine Ohlenschlageri (1/1).

a. 166
m. Mart. vel Apr.



0,003


intus, tabella prior: *[Imp(erator) Cae]s(ar) M. Aur[e]lius Antoninus Aug(ustus) Armeniac(us),* | *[pontif(ex)] ma[x(i-mus), t]rib(unicia) pot(estate) XX, imp(erator) III, co(n)s(ul) III et* | *[imp(erator) Cae]s(ar) L. Aurelius Verus Aug(ustus) Armeniacus Par(thicus)* | *[max(imus), t]rib(unicia) pot(estate) VI, imp(era-tor) III, co(n)s(ul) II, proc|o(n)s(ul), div[i A]n[to]n[i]ni f(ili), divi Hadriani nepotes, divi [Traia]ni Parthici pro[n]epotes,* | *divi [Ner]vae abnepotes* e. q. s.

Ephem. epigr. II p. 460 n. LXI vv. 1. 2; F. Ohlenschlager in actis acad. Monacensis minoribus a. 1874 p. 193 ss. cum imagine photographa.

---

851 In agro Mantuano, 'Severus et Antoninus .....'; Mantuae apud marchionem Ludov. Cavriani. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 208
d. ....



0,004


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar), divi M. Antonini Pii Germ(anici) Sarm(atici)* | *fil(ius), divi Commodi frater, divi Antonini Pii* | *nep(os), divi Hadriani pronep(os), divi Traiani Par-thi|ci abnepos, divi Nervae [adne]pos, L. Septimius* | *Severus Pius Pertinax Aug(ustus) Arabic(us) Adiab(enicus) Par|thic(us) max(imus), pontif(ex) max(imus), trib(unicia) pot(estate) XVI, imp(erator) XI, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae)* | e. q. s.

CIL III p. 890 n. XLVIII = V 4055 (Renier *diplômes* p. 5 tab. XXV) vv. 1—5.

---

852 Faventiae, 'Antoninus Severi filius C. Popilio Quieto'; Romae in museo Kircheriano. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 216
d. Ian. 7




0,004

extrinsecus, tabella prior: praecedunt parentes | *M. Aurellius Antoninus Pius Felix* | *Aug(ustus), Parth(icus) max(imus), Brit(annicus) max(imus), Germ(anicus) max(imus), pontif(ex)* | *max(imus), trib(unicia) pot(estate) XVIIII, imp(erator) III, co(n)s(ul) IIII, p(ater) p(atriae), proc(onsul)* | e. q. s.

CIL III p. 891 n. XLIX (Renier *diplômes* p. 9*tab. IX) vv. 6—8.

853 *Adóny* in Pannonia inferiore, 'Imp. incertus ... Luciliano'; in museo Pestinensi (1/1).

inter a. 216 et 247?
d. Aug. 11



0,003

0,005


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) .... equitibus et peditibus ..... | quorum nomina subscripta sun[t, civitatem] Romanam ...... praeterea | [liberis eorundem] decurionum et centurio|[num, qui cum filis in] provinc(ia) ex se procreatis [milites ibi castel]lani(?) essent. A(nte) d(iem) III idus Aug(ustas) | .... Aemilio Severo Cantabrino co(n)s(ulibus) | [cohortis ....., cui prae]st Octavius Fuscus | [ex cent]urione* e. q. s.

Ephem. epigr. IV p. 508 n. LXXII extrinsecus vv. 8—11.

---

854 Ad Philippopolim Thraciae, 'M. Antoninus Antonini Magni f. M. Septimio Maetico'; in museo Vindobonensi (1/1).

a. 221
d. Ian. 7



0,004

0,005


extrinsecus, tabella prior: *a(nte) d(iem) VII idus Ianuar(ias) | C. Vettio Grato et | M. Vitellio Seleuco c(on)s(ulibus) | coh(ors) IIII pr(aetoria) Antoniniana P(ia) V(index) | M. Septimio M. fil(io) Ulp(ia) Maetico | Trimontio |* e. q. s.

Ephem. epigr. II p. 465 n. LXII vv. 16—18.

---

855 Originis incertae, 'Severus Alexander M. Aurelio Deciano'; in museo Neapolitano. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 230
d. Ian. 7



0,006

0,005

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) divi Antonini Magni | Pii fil(ius), divi Severi Pii nepos, | M. Aurellius Severus Alexander Pius Felix | Aug(ustus), pontif(ex) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VIIII, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae) | equitibus, qui inter singulares militaver(unt) | castris novis Severianis* e. q. s.


CIL III p. 893 n. LI (Renier *diplômes* p. 25 tab. XXVI) intus tabella prior integra; extrinsecus vv. 1—4.


Textus tabellae prioris intus comparato tantum eo, qui extrinsecus est, legi potuit; e quo etiam suppletur. Imaginem Renierii fidam esse ectypum postea subministratum docuit.

856 Luguduni, 'Gordianus C. Iulio Decorato'; fuit ibi periitque, supersunt ectypa. Ex imagine Renierii (1/1).

a. 243
d. Ian. 7

0,004





0,006
0,005

intus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) M. Antonius Gordianus Pius Fel(ix)* | *Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), tr(ibunicia) pot(estate) VI, co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae), proc(onsul)* | *nomina militum, qui militaver(unt)* | *in cohortib(us) praetoris Gordian(is) dece(m)* | *I II III IIII V VI VII VIII VIIII X Piis Vin|dicib(us), qui pie et fortiter militia* | *functi sunt, ius tri(bui) conubii dum taxat cum singulis et primis* | *ux(oribus), [ut etiam si peregrini iuris feminas] in matrimonio suo iun(xerint), proinde lib(eros) to(llant) ac si ex duob(us) civibus* | *Roman(is) natos*

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) M. Antonius Gordianus Pi|us Felix Aug(ustus), pontif(ex) max(imus), tr(ibunicia) pot(estate) VI,* | *co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae), proc(onsul)* | e. q. s.

CIL III p. 894 n. LII (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 345 optime; Renier *diplômes* p. 15 tab. XIII) intus tabella prior integra; extrinsecus vv. 1—3.

857 In agro Pedemontano, 'Philippus Neb(....) Tullio'; Mediolanii apud Hamilcarem Anconam (1/1).

a. 246
d. Ian. 7



0,006
0,005




0,005

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) M. Iulius Phili[ppus Pius]* | *Fel(ix) Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), trib(unicia) p[ot(estate) III, co(n)s(ul), p(ater) p(atriae)];* | *M. Iulius Philippus nobil[issimus Caes(ar)]* | e. q. s. *a(nte) d(iem) VII [id(us) Ian(uarias)] C. Bru[t]tio Presente et C. Alb[.....? co(n)s(ulibus)]* | *coh(ors) V pr(aetoria) Philip[pian(a) P(ia) V(index)]* | *Neb(....) Tullio Neb(....) f(ilio) M(....)* | *Ael(ia) Murs(a)* e. q. s.

Ephem. epigr. IV p. 185 n. LXVI vv. 1. 2 et 15. 16. Nomen ita ut dedi in ectypo clare apparet.

858 In agro Mantuano, 'Philippi M. Braetio Iustino'; in museo Monacensi. Ex imagine Renierii et ex ectypo (1/1).

a. 248
d. Ian. 7



0,012
0,005
0,006

intus, tabella prior, ex diplomate aliquo vetustiore: [*c*]*ui praest* ....


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) M. Iulius Philippus Pius* | *Fel(ix) Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), tr(ibunicia) pot(estate) V, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae), proc(onsul),* | *imp(erator) Caes(ar) M. Iulius Philippus Pius Fel(ix) Aug(ustus),* | *pont(ifex) max(imus), trib(unicia) pot(estate), co(n)s(ul) II, p(ater) p(atriae).* | *Nomina militum qui militaverunt* e. q. s. *coh(ors) VIII pr(aetoria) Philippian(a) P(ia) V(index),* | *M. Braetio M. f(ilio) Iustino* | *Sabatin(a) Mantua* e. q. s.

CIL III p. 897 n. LIV = CIL V 4056 (Renier *diplômes* p. 21 tab. XI) intus v. 1 quod superest; extrinsecus vv. 1—4. 18.


---

859 Prope Ariminum 'Decius ..... merino Semproniano'; in museo Parisino. Ex imaginibus Renierii et Bormanni (intus 1/2, extrinsecus 1/1).

a. 249
d. Dec. 28



0,004



0,006
0,005


intus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) C. Messius Q* ...... | *Pius Fel(ix) Aug(ustus), pont(ifex) m(aximus), tr(ibunicia)* | *pot(estate) II, co(n)s(ul) des(ignatus) III, p(ater) p(atriae)* | *iis qu(i) mil*[*ii*]*itaver(unt)* | *in classe P(ia) V(indice) Rave(n)*|*nat(e), q(uae) est s(ub)* ...... | .....*s pr(aefecto), octo(nis) et* | [*vicenis*] *st(ipendiis) emeri(tis)*

extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) C. Messius Quintus Tr*[*aianus De*]|*cius Pius Fel(ix) Aug(ustus), pontif(ex) max(imus), trib(unicia) pot(estate), co(n)s(ul)* [*p(ater) p(atriae), proc(onsul)* | e. q. s.

CIL III p. 898 n. LVI = CIL XI 373 (Renier *diplômes* p. 67 tab. VII) intus integra, extrinsecus vv. 1. 2.
Privilegium intus diversum est ab exteriore duobus exemplaribus permutatis quadratarii errore.

860 Industriae, 'Valerianus et Gallienus P. Anneio Probo'; in memmophylacio regio Taurinensi. Ex imagine Promisii (1/1).

a. 254
d. Ian. 13 (immo 7)



0,007
0,005


extrinsecus, tabella prior: *Imp(erator) Caes(ar) P. Licin(ius) [Valerianus]* | *Pius Fel(ix) Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), tr(ibunicia) [pot(estate) II, consul II et]* | *imp(erator) Caes(ar) P. Licinius Egnatius Gal[ienus Pius]* | *Fel(ix) Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), trib(unicia) pot(estate) II, co(n)s(ul)* e. q. s.

Ephem. epigr. IV p. 513 n. LXXIII vv. 1—4; Vinc. Promis acta acad. Taurinensis minora vol. XV a. 1879/80 p. 243 cum tabula.

---

861 Gnathiae, 'Diocletianus et collegae M. Aurelio Valentino', tabella ab altera tantum parte inscripta; in museo Neapolitano, aere in formam rotundam adaptato (1/1).

a. 298
d. Ian. 7



0,008

a(nte) d(iem) VII id(us) Ian(uarias) | *[F]austo II et Gallo co(n)s(ulibus)* | *[co]h(ors) V pr(aetoria) Diocletian(a) et Maximian[a P(ia) V(index)* | *M. Au]relio M. f(ilio) Valentin[o]* | *Sirmio* | e. q. s.

CIL III p. 900 n. LVII = CIL IX 261 v. 11.

III

TABVLAE HOSPITII ET PATRONATVS

Tabulae hospitales quanquam privatae indolis sunt, tamen recentiore potissimum aetate scribendi rationem sequuntur decretorum municipalium; unde cum series earum inde a vetustis temporibus ad quarti saeculi finem pertineat, apte tertium hunc actorum aeri incisorum locum obtinent.


Monumentorum huius generis post Gazzeram (*Memorie dell' Accademia di Torino* vol. XXXV 1831 p. 1ss.) nemo syllogen instituit; eorum quae supersunt exempla studui conquirere omnia. Interierunt Bocchoritanum a. 6 (CIL II 3695), Pompaelonensia duo a. 57 (CIL II 2958) et a. 119 (CIL II 2959), Regiense a. 190 (CIL X 970), Beneventanum a. 257 (CIL IX 1681), urbanum *Q. Aradii Valerii Proculi* unum a. 321 (CIL VI 1684) reliquis eiusdem hominis annique infra propositis (n. 881 ad 883) sine dubio simile, Cordubensia duo saeculi et ipsa quarti (CIL II 2210 2211). Fragmenta duo Mediolaniense (CIL V 5912) et Puteolanum (CIL X 1719) omisi consulto; quod in bibliotheca Vaticana servatur Cluniense ex Hispania citeriore a. 222 (CIL VI 1454), item Volsiniense a. 224 (*Annali dell' Instituto archeologico* a. 1882 p. 161ss.) et Pisaurense a. 256 (*Bullettino dell' Instituto archeologico* a. 1881 p. 51ss.) obtinere frustra studuimus. Unde viginti sex licuit proponere, quorum antiquissimum Africanum, quanquam ante Caesaris obitum incisum est, tamen apte agmen ducit (n. 862). Sequuntur secundum temporum ordinem disposita Africana item musei Cortonensis (n. 863 871) et Parisini (n. 870), fragmentum Mutinense (n. 864), Hispana plurima (n. 865 866 869 punctatim scriptum, de quo scribendi genere dicetur paragrapho proxima 874 877), Brixiana duo (n. 867 868), in urbe reperta (n. 872 881 882 883), Ferentinas (n. 873), ex Sardinia insula (n. 875), Gallica (n. 876 886), Peltuinas (n. 878), fragmentum Saepinas (n. 879), Sentinas (n. 880), Paestana (n. 884 885), Genusinum (n. 887). Pauca tantum eorum decretorum eis quibus facta sunt locis reperta sunt, plurima eis, ad quae delata erant patronis ibi degentibus aut casu; unde locorum in scribendo discrimina, siqua sunt omnino, ad originem tantum referenda sunt. Nec multum differunt Africanae originis novem (n. 862 863 867 868 870 871 881 882 883) et Hispanae sex (n. 864 865 866 869 874 877) a septem Italicis (n. 873 878 879 880 884 885 887), Gallicis duobus (n. 876 886, quorum tamen alterum monumentali potius sive picta utitur scriptura) singulisque Sardo (n. 875) et Moesiaco (n. 872).

Tabulae hae non eadem qua diplomata militaria aequabilitate scriptae sunt, ut expectaveris. Antiquiores quidem, si exceperis tesseras parvas Hispanas (n. 865 869), saeculi primi utramque, aequabilitatem aliquam ut sermonis ita etiam litteraturae servant; inde fere a saeculo altero medio (n. 874) ad quartum extremum tabellae fastigio ornatae litteris scriptae sunt diversissimis, interdum paene monumentalibus (ut n. 876); paucae (ut n. 875 878 879) consuetudinem antiquiorem sequuntur.

Tabulis patronatus similes sunt inscriptiones aliquot honorariae aeri incisae et patronis oblatae, veluti Hispana (CIL II 956) quam vidi, in oppido Iulio Carnico extans (CIL V 1838), cuius ectypum optimum Darii Bertolini Concordiensis officiosae diligentiae debeo, Industriensis musei Taurinensis (CIL V 7468) quam vidi, Viennensis (CIL XII 1877), quam Allmeri tabula fidissima (tab. 31 n. 235, 18) exhibet: scriptae autem eae omnes sunt litteris plane monumentalibus pulchrisque. Dixi de eis in prolegomenis.

862 Curubi, tabula aerea; fuit Parisiis. Ex imagine editoris ($\frac{1}{1}$).

a. 693? 706? 708? 709?



0,010


0,006

C. Pomponiu[s ....] | hospitium tesseram[que? .... hospitalem quom] | s[e]natu populoque Cur[ubitano .... fecit eidemque] | eius studio beneficieis [....... devincti publice] | preivatimque C. Pomponi[um .... posterosque] | eius patronum sibei po[sterisq(ue) sueis cooptaverunt decretumque?] | quom hospitale tessera [...... attulerunt legati .....?] | Himilconis f(ilius) Zentuc(...) [...............] | suffetes Muthunilim Hi[.............] | Mileatonis f(ilius) Baric(....) H[............] | Ammicaris f(ilius) Lilva(....), Mi[.............] | acta d(ie) VI k(alendas) Mai(as) C. Caesar[e ... . co(n)s(ulibus)]

CIL VIII 10525 vv. 1—4 e commentario H. P. Ameilhan *mémoires de littérature tirés des registres de l'académie des inscriptions et belles-lettres* vol. XLIX a. 1808 p. 501ss. cum tabula.

863 Africae loco incerto, lamina aerea; Cortonae in museo Etrusco ($\frac{1}{1}$).

a. 742



0,008
0,004


P. Sulpicio Quirinio Q. Valgio co(n)s(ulibus) | senatus populusque civitatium stipendiariorum | pago Gurzenses hospitium fecerunt quom L. Domitio | Cn. f(ilio) L. n(epote) Ahenobarbo pro co(n)s(ule) eumque et poster[o]s | eius sibi posterisque sueis patronum coptaverunt | isque eos posterosque eorum in fidem clientelam|que suam recepit. | Faciundum coeraverunt Ammicar Milchatonis f(ilius) | Cynasyn(ensis), Boncar Azzrubalis f(ilius) Aethogursensis, | Muthunbal Saphonis f(ilius) Cui. Nas. Uzitensis

CIL VIII 68 vv. 1. 2.

---

864 Mutinae, fragmentum tabellae aereae; in aedibus marchionis Gherardo Molza ($\frac{2}{3}$).

a. 746




0,014
0,010
0,006

C. Marcio Cen[sorino] | C. Asinio Ga[llo co(n)s(ulibus)] | M. Aemilius M. f(ilius) Gal(eria) [.........] | Hispania citerio[re ... .]

CIL XI 844 integra.

865 *Paredes de Nava* prope Pallantiam in Hispania Tarraconensi, lamella aenea; ubi servetur ignoro ($\frac{1}{2}$).

a. 2



0,004


IIII non(as) Mart(ias) | imp(eratore) Caesare XIII co(n)s(ule), Acces Licir|ni Intercatiensis tesseram | hospitalem fecit cum ci|vitate Palantina sibi | et filiis suis posterisque. | Aneni Ammedi per mag(istratum) Flaisicum hospitio Ammi | Caenecaeni .....

Ephem. epigr. I p. 46 n. 141 integra.

---

866 Prope Lacilbulam Hispaniae Baeticae, lamina aenea; servatur Matriti in museo archaeologico ($\frac{2}{3}$).

a. 5
d. Oct. 18




0,007

Anno Cn. Cinnai Magn[i L. Valeri Volesi co(n)s(ulum) | XV k(alendas) Novembris | Q. Marius Balbus hosp[itium fecit cum] | senatu populoque ...... | liberisque eoru[m eosque liberos] | posterosque eor[um in fidem] | clientelamqu[e suam liberorum | posterorumq[ue suorum recepit]. | Eg[erunt] | M. Fabius ...... | M. Manilius ..... | P. Cornelius ..... | C. Fabius .....

CIL II 1343 versuum 1—3 quod superest. V. 2 R litterae pars inferior periit in lacuna aeris.

867 Brixiae, tabula aerea; fuit Veronae in museo Moscardiano, hodie aut latet aut periit. Ex ectypo Maffeii (1/1).

a. 27
d. Febr. 3



0,008
0,007


M. Crasso Frugi L. Calpurnio | *Pisone* | *co(n)s(ulibus)* | *III non(as) Febr(uarias)* | *civitas Themetra ex Africa hospitium* | *fecit cum C. Silio C. f(ilio) Fab(ia) Aviola,* [*eu*]*m* | *liberos posterosque eius sibi liberis* | *posterisque suis patronum cooptave*|*runt.* | *C. Silius C. f(ilius) Fab(ia) Aviola civitatem Theme*|*trensem liberos posterosque eorum* | *sibi liberis posterisque suis in fidem* | *clientelamque suam recepit;* | *egerunt* | *Banno Himilis f(ilius) sufes,* | *Azrubal Baisillecis f(ilius),* | *Iddibal Bosiharis f(ilius) leg(ati)*

CIL V 4919 vv. 1—5.

---

868 Brixiae, tabula aerea; servata olim cum praecedente. Ex ectypo Maffeii (1/1).

a. 27



0,012
0,010
0,008


M. Crasso Frugi | *L. Pisone* |*co(n)s(ulibus)* | *senatus populusque Thimili*|*gensis hospitium fecerunt cum* | *C. Silio C. f(ilio) Fab(ia) Aviola praef(ecto) fabr(um)* | *eumque liberos posterosque* | *eorum sibi liberis posterisque* | *suis patronum cooptaverunt.* | *C. Silius Aviola praef(ectus) fabr(um) Thimili*|*gens(es) universos sibi liberis post*|*erisque suis suorumque in fidem* | *clientelamque suam suorumque* | *recepit; egerunt legati* | *Azrubal sufes Annobalis f(ilius), Agdibil* | *Boncarth Iddibalis f(ilius), Risuil* | [*A*]*nno Azrubalis f(ilius), Auc*[*h*]*arzo* | ......*i Ammicaris f(ilius), Agdibil* | .....*l Balithonis f(ilius) Sirni*

CIL V 4920 vv. 1—4.

Maffeii imagines quanquam non usque quaque verae sunt — apparet enim cornua litterarum nimis grandia evasisse —, tamen in universum utpote ex archetypis desumptae indolem scripturae recte sine dubio repraesentant.

869 Inter *Nieblam* et *Moguer* Hispaniae Baeticae reperta, tabella aerea ansata; extat Matriti (1/1).

a. 27



0,007


Celer Erbuti f(ilius) Limicus | Borea Cantibedoniesi | muneris tesera(m) dedit anno M. Licinio co(n)s(ule)

CIL II 4963 1.

---

870 Africae loco incerto, tabula aerea; in museo Parisino (1/2).

a. 55
d. Aug. 1



0,012
0,008


Nerone Claudio Caesare | Aug(usto) Germanico, L. Antistio Vetere co(n)s(ulibus) | k(alendis) Aug(ustis) | Q. Iulius Q. f(ilius) Qui(rina) Secundus legatus pro | praetore hospitium fecit cum | decurionibus et colonis colonia | Iulia Aug(usta) legionis VII Tupusuctu sibi | liberis posterisque suis eosque pa|trocinio suo tuendos recepit; | agentibus legatis | Q. Caecilio Q. f(ilio) Palatina Firmano, | M. Pomponio M. f(ilio) Quir(ina) Vindice

CIL VIII 8837 vv. 1—5.

---

871 Africae loco incerto, lamina aerea; Cortonae in museo Etrusco (1/1).

a. 65




0,007
0,006

A. Licinio N[er]va Siliano co(n)s(ule) | civitas Gurzensis ex Africa | hospitium fecit cum C. Aufus|tio C. f(ilio) Gal(eria) Macrino praef(ecto) | fabr(um) eumque liberos poste|rosque eius sibi liberis | posterisque suis patro|num cooptarunt; | C. Aufustius C. f(ilius) Gal(eria) Macri|nus praef(ectus) fabr(um) Gurzensi[s] | ex Africa ipsos liberos pos|terosque eorum in fidem | clientelamque suam suo|rumque recepit. | Egerunt legati | Herennius Maximus Rustici f(ilius) | Sempronius Quartus Iafis

CIL VIII 69 vv. 1. 2.

872 Romae, tabula aenea reperta in monte Quirinali; in museo Capitolino. Ex imagine Visconti (½).

a. 82



0,020 0,018 0,012 0,008


Imp(eratore) Domitiano [*Aug(usto) VIII*] | *T. Flavio Sabi*[*no co(n)sulibus)*] | *idibus Iu.....* | *in colonia Flavia Pacis Deultensium in*[*curia? Titius*] | *Laeca et Cocceius Niger IIviri verba fec*[*erunt Avi*]|*dio Quieto leg(ato) Aug(usti) ornatissimo viro* [*deferendum patrocinium*] | *coloniae nostrae esse; q(uid) d(e) e(a) r(e) f(ieri)* [*p(laceret) d(e) e(a) r(e) i(ta) c(ensuerunt)*] sequuntur verba decreti | [*scri*]*bendo adfuerunt* | sequuntur nomina decurionum

CIL VI 3828 vv. 1—7. V. 5 in. IALCA tabula, LAECA aes. Colonia Devultensium in Thracia sita fuit.

---

873 Ferentini, tabula aenea; in museo Florentino (½).

a. ut videtur 101




0,020 0,011

L. Arruntio Stella, | *L. Iulio Marino co(n)s(ulibus)* | *XIIII k(alendas) Nov(embres)* | *M'. Acilius Placidus, L. Petronius Fronto* | *IIII vir(i) i(uri) d(icundo) s(enatum) c(onsuluerunt) Ferentini in curia aedis Mer*|*curi; scribundo adfuerunt Q. Segiarnus Maecianus, T. Munnius Nomantinus.* | *Quod universi v(erba) f(ecerunt) T. Pomponium Bassum claris*|*simum virum demandatam sibi curam ab* | *indulgentissimo imp(eratore) Caesare Nerva Traiano* | *Augusto Germanico, qua aeternitati Italiae* | *suae prospexit, secundum liberalitatem eius* | *ita ordinare, ut omnis aetas curae eius merito* | *gratias agere debeat, futurumque ut tantae* | *virtutis vir auxilio sit futurus municipio nostro, q(uid) d(e) e(a) r(e) f(ieri) p(laceret), d(e) e(a) r(e) i(ta) c(ensuerunt): placere conscriptis legatos ex hoc ordine* | *mitti ad T. Pomponium Bassum clarissi*|*mum virum, qui ab eo impetrent in clien*|*telam amplissimae domus suae muni*|*cipium nostrum recipere dignetur* | *patronumque se cooptari tabula* | *hospitali incisa hoc decreto in domo sua posita permittat. Censuere.* | *Egerunt legati* | *A. Caecilius A. f(ilius) Quirinalis et* | *Quirinalis f(ilius)*

CIL VI 1492 vv. 1—5.

874 Asturicae, tabula aenea; servatur in museo Berolinensi (1/1).

a. 152 0,005




a. 27 *M. Licinio Crasso | L. Calpurnio Pisone có(n)s(ulibus) | IIII k(alendas) Maias | gentilitas Desoncorum ex gente Zoelarum | et gentilitas Tridiavórum ex gente idem | Zoelárum hospitium vetustum antiquom renovaverunt* e. q. s. |
a. 152 *Actum Curunda | Glabrione et Homullo co(n)s(ulibus) V idus Iulias | idem gentilitas Desoncorum et gentilitas | Tridiavorum in eandem clientelam eadem foedera receperunt* homines tres quorum nomina sequuntur. | *Egerunt | L. Domitius Silo | L. Flavius Severus | Asturicae*

CIL II 2633 vv. 1—4 et 14.

---

875 Useli in Sardinia, tabula aenea; in museo Caralitano (1/2).

a. 158 0,030 0,010



Sex. Sulpicio Tertullo | Q. Tineio Sacerdote co(n)s(ulibus) | k(alendis) Sept(embribus) | colónia Iuli[a] Augusta [U]s[el]is hospiti|um fecit cum M. Aristio Ba[l]bino Ati|niano eum[que] sibi liberis posterisq(ue) | suis patro[num] cooptaverunt. | M. Aristius Balbinus Atinianus hos|pitium fecit cum populo colon(iae) Iuliae | Aug(ustae) Uselis, liberos posterosque eo|rum in fidem clientelamque suam | suorumque recepit; | egerunt legati | L. Fabriciu[s] Faustus IIvir q(uin)q(uennalis) Sex. Iunius Cassi|anus C. Asprius Felix C. Antistius Vetus scrib(a)

CIL X 7845 vv. 1. 2 et 8. 9.

876 Viennae Allobrogum, tabula aenea in 225 particulas diffracta; ibi in museo. Ex delineatione accuratissima Allmeri Hirschfeldio intercedente nobiscum communicata ($\frac{1}{2}$).

c. a. 212 — 0,036-0,030 — 0,024




C. Iulio Pacatiano [*v*(*iro*) *e*(*gregio*)], *pro*(*uratori*) | *Augustorum nostrorum, militiis* | *equestribus perfuncto, pro*-*c*(*uratori*) *provinc*(*iae*) | *O*[*sr*]*hoenae, praefecto legionis Parthi*|*cae, pr*[*o*]*c*(*uratori*) *Alpium Co*⟨*r*⟩*ttiarum, adlecto* | *inter comit*[*es Aug*(*ustorum trium*) *n*(*ostrorum*), *procurator*(*i*) | *pro legato provinc*(*iae*) *Mauretaniae Tingi*|*tanae, colonia Aelia Augusta Italica* | *patronó merentissimo*

CIL XII 1856 vv. 1. 2. Cf. tituli G. Vallii Maximiani supra n. 447. 448.

---

877 Segisamone in Hispania Tarraconensi, tabella aenea; extat *Burgos* in museo provinciali ($\frac{1}{1}$).

a. 239 — 0,004




Vot(*a*) | *suce*(*perunt*) | *fel*(*iciter*) | *liben*(*ter*) | *patronis merentissimis et fe*(*licissimis*) | *et prestantissimis et pientissimis* | *cives pientissimi et amicissimi Seg*(*isamonenses*) | *dom*(*ino*) *nostro Aug*(*usto*) *Gor*(*diano*) *et Aviola co*(*n*)*s*(*ulibus*) | *C. Sempronio Flavo* | sequuntur patronorum nomina quattuor casu sexto | *Pub*(*licius*) *Paratus* | sequuntur nomina libertorum et servorum virorum quattuordecim, mulierum sex casu primo

Ephem. epigr. II p. 244 n. 322 vv. 1—6.

---

878 Peltuini, tabula aenea; archetypum periit, ectypum servavit codex Pighianus Berolinensis ($\frac{1}{2}$).

a. 242 — 0,014 — 0,008




C. Vettio Attico et | *C. Asinio Praetextato co*(*n*)*s*(*ulibus*) | *pr*(*idie*) *idus April*(*es*) | *Peltuini Vestinis in curia Aug*(*usta*) *ordinem habentibus T. Avidi*|*acco Restituto et T. Blaesio Natale aed*(*ilibus*) *q*(*uin*)*q*(*uennalibus*) *scribundo ad*|*fuerunt, quod universi verba fecerunt* | *Nummiam Variam c*(*larissimam*) *f*(*eminam*) *sacerdotem Veneris felicis* e. q. s. ...... *q*(*uid*) *d*(*e*) *e*(*a*) *r*(*e*) *f*(*ieri*) *p*(*laceret*) *d*(*e*) *e*(*a*) *r*(*e*) *i*(*ta*) *c*(*ensuerunt*): | *placere universis conscriptis Nummiae Variae* e. q. s. ..... *patrocinium praefecturae nos*|*trae deferri* e. q. s. *tabulamque aeneam huius decreti n*(*ostri*) *verba conti*|*nentem offerri ei per Avidiaccum Restitutum et Blaesium Natalem q*(*uin*)*q*(*uennales*), | *item Numisenum Crescentem et Fl*(*avium*) *Priscum primores ord*(*inis*) *n*(*ostri*) *viros. Censuer*(*unt*)

CIL IX 3429 vv. 1—4.

879 Saepini, fragmentum tabulae aeneae; in museo Berolinensi ($\frac{1}{4}$).

0,005



.... *Silvi[n]us, Iul[ius* ..... | .. *Iul]ium Fa[u]stinu[m* ..... | *virum clari]ssimum pluri[*.... | e. q. s.

CIL IX 2464 v. 1—3. Saeculi videtur esse secundi exeuntis.


---

880 Sentini, tabella aenea; extat Romae in museo Capitolino ($\frac{1}{3}$).

a. 260

0,020

0,012



P. Cornelio Saeculare II et Iunio Donato II co(n)s(ulibus) | *Sentini cum in scola sua frequens numerus coll(egii) fabr(um)* | *Sentinatium convenissent, numerum abentibus* | *C. Iulio Martiale et C. Casidio Rufino q(uin)-q(uennalibus) et referentib(us)* | *ipsis:* sequuntur verba decreti, quo *Coretio Fusco* tabula aerea patronatus offertur

Murat. p. 565, 1 vv. 1—3. Anni sequentis simile decretum centonariorum Sentinatium extat (Murat. p. 564, 1).

---


881 Romae, tabella aenea reperta in monte Caelio; in museo Neapolitano (c. $\frac{2}{3}$).

a. 321

0,013

0,009

0,008




D(ominis) n(ostris) Crispo et Constantino nobil(issimis) Caes(aribus) II co(n)s(ulibus) | *V idus April(es)* | *decuriones et coloni coloniae Aeliae Au|gustae Mercurialis Thaenit(anae) cum Quin|to Aradio Valerio Proculo v(iro) c(larissimo) praesid(e) s(anctissimo)* | *provinc(iae) Val(eriae) Byzac(enae) hospitium cliente|lamque fecissent* e. q. s.

CIL VI 1685 vv. 1—4. Consules sunt anni s. s.

882 Romae, tabella aenea reperta in monte Caelio; in museo Neapolitano (c. $\frac{1}{3}$).

a. 321 0,021 0,027 0,019 0,016




Populonii. | *D(ominis) n(ostris) Crispo et Constantino iun(iore) nob(ilissimis)* | *Caes(aribus) iterum cons(ulibus)* | *III idus Mart(ias)* | *coloni coloniae Concordiae Ulpiae Traianae* | *Augustae frugiferae Hadrumetinae* | *Q. Aradium Valerium Proculum v(irum) c(larissimum)* cet. *patronum cooptaverunt* e. q. s.

CIL VI 1687 vv. 1—5. V. 3 diei indicatio paullo inferius scribenda fuit. Consules sunt anni s. s.

---

883 Romae, tabella aenea reperta in monte Caelio; in museo Neapolitano (c. $\frac{2}{3}$).

a. 322 0,013 0,010 0,009




B .... b .... (*bonis bene?*) | *Petronio Probiano et Anicio Iuliano co(n)s(ulibus)* | *prid(ie) kalendas Apriles* | *coloni coloniae Aeliae Hadrianae Aug(ustae)* | *Zamae regiae* | *Q. Aradium Valerium Proculum* cet. *patronum cooptaverunt* e. q. s.

CIL VI 1686 vv. 1—5. V. 1 scriptus est intra coronam. Consules sunt anni s. s.

884 Paesti, tabula aenea cum protome iuvenis; in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).

a. 341



0,007

Helpidi homo felix | *deus te servet.* | *Flaviis Leontio et Bonoso cons(ulibus)* | *VI idus Apriles* | *cum cibes frequentes coloniae Paestano|rum coegissent, berba fecerunt:* | *non aliunde aestimamus statum cibitatis* | *altiorem cultioremque reddi, nisi indus|trium virorum patrocinio fulciantur* | *optimi cibes. Igitur Helpidio honestis|simo viro pro dignitate sua patronatum* | *offeramus* e. q. s.


CIL X 478 vv. 3—6. Consules sunt anni s. s. V. 3 I littera in COLONIAE vocabulo postea adiecta est.

---

885 Paesti, tabula aenea utrimque scripta; in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).

(*a*)

a. 337




0,008

[*Fl(avio) Feliciano*] *et Fabio Titiano con(sulibus)* | *pridiae kal(endas) Maias* | *A*[*ntonius Re . . . o*(?)] *et Oppius Silbester II viri* | *coloniae Paestanorum, cum in curia Caesarea* | *frequentes decuriones adfuissent, berba fecerunt* e. q. s. . . . . *qua propter offeren|da est tabula patronatus Aurelio* | *Gentiano v(iro) p(erfectissimo)* e. q. s.

(*b*)

a. 347



0,016

0,009

0,008


Vulcacio Rufino et Fl(avio) Eusebio | *cons(ulibus) kal(endis) Aug(ustis)* | *Tullius Septimus et Digitius Antonius* | *duumviri coloniae Pestanorum cum* | *cum* [sic] *in curia Caesarea frequentes decuriones* | *adfuissent, verba fecerunt* e. q. s. . . . . *patronatus hono|rem Aquilio Nestorio optulimus* e. q. s.

CIL X 476 vv. 1—4. 477 vv. 1—3. Consules sunt annorum s. s.

886 *Monségur*, tabellae aeneae fastigiatae tres; servantur *Agen* in museo. Ex imagine photographa editorum (1/1).

c. a. 367?





0,006

a *Cl(audio) Lupicino v(iro) c(larissimo) | consulari | Maxime Senonie | ob inlustria merita | civitas Senonum | patrono suo dedicavit*

b *Cl(audio) v(iro) c(larissimo) consulari Maxime | Senonie Autissiodu|rensium civitas,*
tantis pro meritis felix | provincia per t[e]
que tribuit tabulas, | statuas decernere vellet

c *Pectora si resecet scrutans | Aurelianorum | hoc opus*

A. Magen et G. Tholin *trois diplômes d'honneur du IV siècle* (Agen 1881 8. cum tabulis lithographis 3) et *revue archéologique* XLI 1881 p. 81 ss. cum tabulis phototypicis.

Imaginem photographam posterioris editionis potissimum curavi repraesentandam; sed ad chrisma delineandum adhibendae etiam erant lithographae editionis prioris, cum hoc in illis paene non dispiceretur.

---

887 Genusiae in Apulia, tabula aenea 'litteris barbaris'; in museo Neapolitano (2/3).

a. 395



0,009

.....] *felix!* | *Post cons(ulatum) d(ominorum) n(ostrorum) Arcadi III et Onori II* | *Aug(ustorum) VI ka(lendas) April(es), Genusiae.* | *Referentibus Val(erio) Fortunato et Aur(elio)* | *Silvano q(uin)q(uennalibus) verva facta sunt de coop|tando patrono Fl(avio) Sucesso hornato et ex|plendido viro* e. q. s. ...... *Censuerunt*

CIL IX 259 vv. 2, 3. Consules sunt anni s. s.

IV

AERA MINORA

Materiae similitudo spatiique ad inscribendum concessi exiguitas effecerunt, ut tituli inscripti tabellis vel vasculis aliisve rebus ex metallis auro argento aere factis scriptura in universum uterentur parva actuaria; qua de re exposuimus in prolegomenis. Unde huius generis monumenta per musea Europae publica privataque sparsa ideoque saepe difficilia aditu, quae breviter aera dicere licebit, cum longe plurima ex hoc metallo facta sint, utilissima sunt ad scripturae actuariae varietates innumeras accuratius cognoscendas, quamvis certis temporum indicationibus careant pleraque. Distribui universam hanc farraginem, ut facilius perspiceretur, in classes quattuor ratione sane non aequabili dispositas, sed quae indole externa apte distinguerentur: monumentorum votivorum sacrorumve, monumentorum argumenti publici privative diversi, monumentorum litteris punctatis scriptorum, monumentorum plumbeorum. Secutus sum in classibus singulis temporum quantum fieri potuit successionem; sed locorum quoque diversitatem non neglexi, quanquam notum est monumenta illa parva facile locum mutare. Italica saltem a provincialibus aliqua ratione distingui posse infra apparebit. Exhibui monumenta haec integra, eadem qua sunt magnitudine pleraque.

In re sacra potissimum laminarum illarum usus late patuit. Admodum vetustas eius generis habemus *Iunonis Lucinae* urbanas (CIL VI 357 3694 = CIL I 189), *Albensis patris* Amiterninam (CIL IX 4177 = CIL VI 3672), *Taniae Detronae* Faliscam (CIL I 1345 PLME tab. IV*C*), *Fortunae* Beneventanam (CIL IX 1543). Inter monumenta sacra, quae exhibere potui, antiquissimum videtur esse Patavinum (n. 888), cuius litterae scalpri ictus clare exhibent; simile opificium etiam in aeribus vetustis cernitur, veluti in lamina *Iunonis Loucinae* (CIL VI 357 = CIL I p. 561 PLME p. 97) et in *Fortunae* Beneventana (CIL IX 1543). Titulum apud Ligures Baebianos repertum, qui ad lucernam *Bellonae* pertinuit, anni indicatione (est autem annus 11 p. C.) insignem (CIL IX 1456), non vidi neque obtinere potui charta expressum. Tabella aenea ansata Pompeiana inscripta *C. Calpurn(ius) Ius(tus) Romae fecit*, quam vidi, scripta est litteris admodum tenuibus et minime profundis, quae monumentalibus saeculi primi simillimae sunt (CIL X 8071 32); unde omisi. Etiam altera tabella a lucerna dependens Pompeiana litteras habet monumentalibus similes, sed elegantes; unde, cum saeculi sit sine dubio primi, apposui (n. 892). Quae sequuntur infra tabellae *Feroniae* Florentina (n. 889), Trebulana dei incerti (n. 890), *Florae* deae Neapolitana (n. 891), *Neptuni* urbana (n. 893), *Esculapii* Praenestina (n. 894), Puteolana *Genii* (n. 895) scripturae sive actuariae sive monumentalis parvae per duo fere saecula aerae nostrae priora progressus et varietates apte demonstrant; Puteolana, quam modo memoravi, huius ordinis recentissima videtur esse. Quae praeterea extant eiusdem generis monumenta quaeque videre potui aut ipsa aut novi ex imaginibus ectypisve factis cum fide, urbana *Aesculapii* (CIL VI 1), *Dianae* (CIL VI 3676 habui enim ectypum gypseum monumenti in museo Britannico servati), *Iovis Cacuni* (CIL VI 371), Compsinum *dae* [sic] *Aeresiae* (CIL IX 1023), Laumellense *numinis incerti* (CIL V 8927), Atrias *Iovis Dolicheni* (CIL V 2313), *vasculum Aesculapii* Caralitanum (CIL X 7857), ea scribendi genere utuntur non multum ab illis diverso. Perierunt sive latent tabellae urbana sive Ricinensis *Iovis* (CIL VI 368 = CIL IX 5471), *Larum* et *Solis* urbanae (CIL VI 439 3721), *Mercurii* Firmana (CIL IX 5350) — Sulmonensis autem usus incerti num genuina sit dubitatur, fortasse iniuria (CIL IX 6319) —, agri Treverensis *Martis* (Bramb. 840), *Martis* alicuius *Olloudii* Antipolitana (CIL XII 166).

Tabellae aeneae litteris ex argento incrustatis inscriptae, de quarum artificio dictum est in prolegomenis (cap. IV), veluti urbana nunc Berolinensis *Marti et Fortunae* a milite oblata (CIL VI 481) aliaque quae enumeravi in prolegomenis, paterae argenteae litteris aureis ornatae, anguis votivus Puteolanus (CIL X 1547), litteratura utuntur in universum simili, admodum eleganti pleraque. Repraesentandum curavi titulum unum eius generis paterae Hispanae (n. 907). Singularis artificii est indeque etiam litterarum formas paullo diversas exhibet, altas illas et siccas, patera olim Mediolaniensis nunc Londiniensis, cuius litterae punctis vel globulis singulis prominentibus fictae sunt (n. 896).

Non multum ab urbanis Italicisque differunt Gallici, quos deinde exhibui, tituli protomis *Augusti Liviae*que subscripti (n. 897 898), tabella votiva *Navis* [sic] sacra (n. 899), Lugudunensis *Apollinis* (n. 900), Bernenses duae dearum peregrinarum (n. 901 902), sigilla aerea inscripta Britannica (n. 904 905), quanquam caelatoris minus sollertis manum in opificio eorum hic illic deprehendes. Comparari cum eis potest sigillum aeneum Viennense *Genio* inscriptum et ab Allmero delineatum solita fide et elegantia (CIL XII 2370). Artificio deinde singulari litterae in lamina aurea Dunelmensi ex auro impositae sunt, ut prominerent (n. 906): tamen litteraturae forma universa ab incisis non multum differt. Inter recentissima eius generis monumenta videtur referenda esse tabella aerea litteris perforatis ita *ego Zenovius votum posui* inscripta Dacica musei Hermannstadiensis (CIL III 1617). Ad titulorum graphio exaratorum formas leves et graciles accedit tabella Divoduri reperta *deae Icovellaunae* (n. 903); idemque etiam valet de lamellis argenteis votivis non paucis, veluti de Britannicis quibusdam aetatis Claudiae partim punctim scriptis partim scariphatis (CIL VII 80 81 82 84 85). Opificii minus accurati, quod labente aetate frequentius adhibitum est in laminis aeneis inscribendis, duo addidi exempla argumenti a reliquis diversi, quae etiam cum actis proprie dicendis coniungi potuerunt aliqua ratione: *tabellas medicinales* Ticinenses (n. 908 909) et *tesseram paganicam* Tolentinatem musei Berolinensis (n. 910). Illae inscriptae sunt non admodum accurate formisque quibusdam (ut *S* litterae) paene cursivis; haec incisa est satis accurate, sed litterae sunt aevi labentis.

Singularis interdum opificii sunt tituli *vasculis* inscripti, veluti *itineraria* Aquarum Apollinarium (Henzen 5210), quarum scripturam post P. Iosephum Marchi (*la stipe tributa alle divinità delle Acque Apollinari*, Romae 1852 4. cum tabulis) denuo ex archetypis edere non potui, titulique vasculis mensurae certae

inscripti, ut congiorum a. 75 et a. c. 238 (Wilmanns 2767 2768). Ad actuariae scripturae formas titulos illos omnes prope accedere memini. Exhibere potui itinerarium vasculo alicui Britannico insculptum, cuius litterae ex vitro varii coloris incrustatae sunt; inde forma eorum singularis explicatur (n. 911). Simili modo in fibula argentea musei Klausenburgensis vocabula *Quartine vivas* vitro nigro dicuntur repleta esse (CIL III 6288 1019).

Argumenti varii publici privatique monumenta aliquot parva, laminae potissimum aeneae rotundae, tesserae, tabellae ansatae, etiam patellae non nullae extant, quibus tituli inscripti sunt pro opificii indole diversa accurate interdum adeoque artificiose, interdum neglegenter et incuriose. Ea omnia, quatenus colligi potuerunt, hic visum est coniuncta exhibere secundum temporum ordinem disposita. Itaque praecedunt laminae aliquot rotundae, de quarum usu nondum satis constat (n. 912—914); equorum phalerae videntur fuisse ex parte. Sequitur tessera, ut videtur, militaris (n. 915) — similem musei Kircheriani (CIL VI 2709) tam gracilibus litteris scriptam esse audio, ut ectypum inde sumere non licuerit — atque duae aliae rotundae Ostiensis et Mogontiacensis (n. 916 917). His similia praeterea non pauca extant monumenta, paucorum vero ectypa obtinui, veluti tabellarum Industriensis (CIL V 7487) et Aquileiensis (CIL V 8254); multa in museo Neapolitano servantur. Una ex Africa provincia prodiit tabella Lambaesitana inscripta *Fl(avi) Xysti p(rae)p(ositi), le(ge) et recede* (CIL VIII 2765 cf. add.). Privati argumenti titulus patellae argenteae Taurinensi inscriptus est litteris paene cursivis sive vulgaribus (n. 918); repetivi eum hoc loco propterea quod anni notam habet, reliquos autem in patellis ibidem servatis extantes, qui vix leguntur, omisi. Sequuntur tituli aliquot inscripti laminis aereis, quos equi feminarum clarissimarum, virginum Vestalium et Iuliae Domnae, curribus iuncti portare solebant iudice Rossio (n. 919 920), saeculi illi tertii quartique, tabellaeque aliquot nomina virorum clarissimorum saeculi quarti exeuntis referentes, quarum usum plane ignoramus (n. 921—924). Qui similes sunt servorum fugitivorum tituli a Raphaele Fabrettio olim collecti (syllogae eius p. 522 XXVss. 359—509, cf. Rossii *bullett. di archeol. crist.* a. 1874 p. 41 ss.), eorum exempla quae repraesentarentur nancisci non potui.

Addidi monumentum alius generis, sed scripturae similis, laminam aeream litteris prominentibus scriptam, repertam in Germania (n. 925); litterae enim quamvis paucae, cum lamina reperta sit una cum phalera argentea ad idem signum militare olim pertinente quaeque saeculi primi medii esse creditur probabiliter, punctum in folii formam fictum, aetatem arguunt eandem.

Peculiare est genus titulorum eorum, qui in metallo litteris punctim scriptis incisi sunt; eius ordinis multos in Galliis repertos Robertus Mowat nuper composuit (*Bulletin monumental* vol. XCVIII a. 1882 p. 242 ss. 489 ss.). Eorum ego primo loco posui tabellam exiguam gladiatoriam musei Britannici (n. 926), cuius similes duae repertae sunt altera Pompeiis inscripta *ret(iarii) Secundi* (CIL X 8071 53), in civitate Lingonum (*Langres*) altera inscripta *Cursor(is) ret(iarii)* (A. Héron de Villefosse *Bulletin de la société des Antiquaires de France* a. 1878 p. 240). Pervetusta enim est huiusque operis finem excedit *patera aenea* simili modo inscripta ex Cupra Montana (CIL IX 5699). *Armillam auream* Pompeianam (CIL X 8071 1), *tabellam aeream* Veleiatem *Isidis et Osiridis* (CIL XI 1160), *vascula argentea* musei Neapolitani varia ita inscripta (CIL X 8071 8 9 12 13 18) omisi invitus; sed litterae monumentorum illorum partim tam exiguae et tenues sunt, ut nisi ex archetypis ipsis delineari omnino non possint. Exhibui deinde tabellas votivas, ut videntur, Veleiates duas, quarum altera obscurae est significationis (n. 927 928). Sequitur una ex tabellis exiguis *Iovi Poenino* votivis, quae repertae sunt satis frequentes in summo monte S. Bernhardi (CIL V 6863—6894). Eam quam exhibui servat museum Britannicum (n. 929); altera musei Brunsvicensis (CIL V 6872) ectypo repraesentari non potuit. Sortes Parmenses litteris item punctatis scriptas (CIL XI 1129*a*—*c* cf. *Bullett. dell' inst. archeol.* a. 1883 p. 100) quo minus repraesentandas curarem condicio scripturae paene evanidae vetuit.

Frequentia inprimis huius generis monumenta in Galliis reperta sunt. Exhibere potui tabellas musei Parisini, Divionensem musei Sancti Germani inter antiquiores numerandas (n. 930 931 932), patellam in *Evaux* vico repertam (n. 933), numinibus peregrinis sacras omnes; deinde paullo recentiores, ut videntur, patellam Lugudunensem (n. 934) et laminam Aptensem (n. 935). Inter monumenta similia a Roberto Mowat eleganter delineata memoro *cymbalum Matris deum* ex *Grozon* vico (Mowat p. 242), basim parvam sive potius thecam thurariam aeneam *Iovis optimi maximi* ex *Saint-Germain-en-Montagne* (ibid. p. 247), tabellam *Iovi* a *familia Vindonissae* votam ex *Joinville* (ibid. p. 253), circulum aeneum *Dianae* ex *Vichy* (ibid. p. 266), patellas duas *deae Bellonae* et *peregrinae* alicuius *deae* Epomanduodurenses (ibid. p. 491). Adde muli aenei *deo Segomoni* sacri titulum similem musei Augustodunensis (*Revue archéol.* XXXIV a. 1877 p. 209 tab. XIX) et lamellam ita *utere felix* inscriptam Remensem (*Bull. épigr. de la Gaule* III 1883 p. 119).

Gallicis his similia sunt Germanica, ut tabellae duae *Martis Loucetii* Wiesbadenses (n. 936 937), *phalerae* Lauersfortenses (n. 938), vascula argentea Hildeshemii reperta musei Berolinensis, quorum duo exhibui specimina (n. 939 940), basis *Victoriae* exigua prope *Marren* detecta (n. 941). Basis aenea rotunda *deae Vagdavercustis* prope *Hemmen* in vico Batavo quondam extans (Bramb. 67), quam Ianssenius ediderat satis accurate, nunc periit aut latet, ut amici Leidenses rescripserunt sciscitanti. Omittendi praeterea erant tituli punctim scripti *lamellae* alicuius nomine *legionis XXI* signatae Mogontiacensis, quae latet (Bramb. 1416), item *clavi, sistri, circini* aereorum indidem provenientium (Bramb. 1483 1485 1490), forficis denique aereae repertae in *Alzei* et nomine *Senocenna* inscriptae (annal. Bonnens. LIII/LIV 1873 p. 142).

Contra *umbonis* Britannici, sed fortasse Mogontiacensis originem, titulos potui exhibere (n. 942); dixi de reliquorum umbonum titulis ornamentisque, quorum unus Wiesbadensis et ipse titulum habet punctim scriptum sed incertum, in relationibus epigraphicis et archaeologicis Austriacis (vol. II 1878 p. 106 ss.). Subiunxi tabellas aeneas *dei Nodontis* item Britannicas (n. 943 944), quarum tertiam stanneam, quae defixionem continet, omisi, quia litteris stilo scriptis, non punctim incisis exarata est (CIL VII 140). Lamellam auream Eburacensem punctim quidem scriptum omisi item, quia Graeca est (CIL VII p. 62 = Ephem. epigr. III p. 313 et S. S. Lewis *philological journal* VII 1876 p. 126 ss.). Vasculi aurei musei Britannici manubrium (CIL VII 1284) repraesentari hic non potuit. Interdum scriptura illa punctata, si minus accurate facta est, tam obscura fit, ut tituli aliquot instrumenti domestici ita scripti vix intellegantur; quod cadit in pateram aeneam Britannicam *Malton* in comitatu Eburacensi repertam (Ephem. epigr. IV p. 210 n. 713).

Raro eius generis monumenta ex Illyrico Pannoniisque prodierunt: patellas argenteas musei Belgradensis (CIL III 6330),

eiusdem musei *galeam aeneam* inscriptam (CIL III 6336), lamellas argenteas Sirmienses (CIL III 6331 *a—f*) non obtinui delineatas; exhibeo pyramidem Lussoniensem musei Pestinensis, quae saeculi videtur tertii esse (n. 945).


Ex Hispaniis praeter tesseram hospitalem supra exhibitam (n. 866) nulla eius generis monumenta praesto erant; patera enim argentea Legionensis, quae videtur punctim inscripta fuisse (CIL II 4966 2), periit. Ex Africa nulla novi; quod tamen casui tribuo.

Extant praeterea non pauca monumenta parva instructa titulis aut incisis aut scariphatis aut punctim scriptis (non enim ubique solent haec scribendi discrimina a descriptoribus accurate observari) inter instrumenti domestici quod vocamus farraginem, cui tituli plerumque impressi sunt; in museis Scandinaviae sparsa atque in regiones illas olim a mercatoribus delata composuit Ingvaldus Undset (*Bullett. dell' instit. archeol.* a. 1883 p. 234 ss.).

In fine posui *tabellas plumbeas* duas Italicam et Britannicam (n. 946 947), quia quatenus scribendi genus sive actuarium sive vulgare e materie, in qua scribebatur, pendeat videntur apte demonstrare. Plumbi enim mollities stilo scalprove sponte cedens veluti cera velocitatem quandam scribendi cursivam efficit, contra eiusdem crassities et tenacitas stilum remoratur angulosque acutos reddit etiam in litteris curvilineis. Similiter retroversum inscripta est tabella plumbea fortasse sepulcralis apud Batavos reperta, cuius in prolegomenis mentionem feci (Bramb. 57). Reliquae devotiones plumbeis laminis inscriptae graphio leviter tantum incisae sunt litteraturaque utuntur prorsus cursiva cerisque simillima; unde hic non curavi repraesentandas.

I

888 Patavii olim, postea Romae, 'lamina parva aenea, quae duobus clavis affixa vel affigenda fuit'; in museo Britannico ($\frac{1}{1}$).




0,006

Q. Valerius Q. l(ibertus) Minand|er [sic] *Iunoni v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*

CIL V 2798 = CIL VI 3693 integra.

889 Florentiae olim, sed originis mihi ignotae, tabella aenea utrimque eodem titulo inscripta; in museo Britannico ($\frac{1}{2}$).




0,010

0,007

Hedone | M. Crassi ancilla | Feroniae v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

Orell. 1318 integra. Titulus aversae partis scriptus est litteris eisdem, sed paullo minoribus paulloque minus accurate incisis.

890 *Monteleone* in Sabinis, patera aenea; in museo Capitolino. Ex imagine Bruzzae ($\frac{1}{4}$).




0,007

0,005

P. Avillius Maius seviris | Augustal(ibus) Treb(ulae) Mutuesc(ae) d(onum) d(at)

CIL IX 4893 integra; P. Bruzza *bullettino archeologico municipale* a. 1875 p. 74.

891 Prope Licentiam in Sabinis reperta, tabella aenea; in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).



0,011 0,009 0,008

Florae | *Ti. Plautius Drosus* | *mag(ister) II* | *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*

IN 6755 integra.

892 Pompeiis, in tabella ansata pendente e lucerna aenea bilychni; in museo Neapolitano ($\frac{1}{2}$).




0,010

D. Iuni | *Proquli*

CIL X 8071 41 integra.

893 Romae, lamina aenea; in museo Kircheriano ($\frac{1}{1}$).




0,003

Neptuno | *ex voto* | *Cn. Domitius* | *Gelasus*

CIL VI 534 integra. GELASVS ectypum clare, non GELASIVS.

894 Praeneste, tabella aenea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{1}$).




0,004

Esculapio | *dictu et factu* | *Isochrysus*

IN 6751 integra. FACTV ectypum clare, non ACTV.

895 Puteolis, tabella aenea; in museo Florentino ($\frac{1}{1}$).




0,005

Gen(io) col(oniae) Put(eolanae) | *P. Acilius* | *Hermeros* | *sic*

CIL X 1565 vv. 1—3. *Sic* in ansa tabellae sinistra adscriptum et *s* ultima Hermeros vocabuli in ectypo meo non comparuerunt.

896 Inter *Conegliano* et *Ceneda*, in paterae aeneae satis magnae superficie interiore litteris punctatim exaratis et inversis; olim Mediolanii, nunc in museo Britannico ($\frac{1}{2}$).




0,032 0,020 0,017


Q. Carminius | *Optatus* | *Laribus*

CIL V 8796 integra.

897. 898 Prope *Moulins* (*dép. de l'Allier*), in pede protomarum aenearum Augusti et Liviae; in museo Parisino (*Louvre*). Ex imaginibus photographis a Froehnero missis (2/3).

897


0,007

898


0,008
0,007


Caesari Augusto | *Atespatus Crixi fil(ius) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*

Liviae Augustae | *Atespatus Crixi fil(ius) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*

W. Froehner *les musées de France* cet. (Parisiis 1873 fol.) p. 1 tab. I. II integrae.

---

899 *Montalieu* ad ripam Rhodani, 'tabella aenea litteris saeculi secundi vel tertii'; Parisiis in bibliotheca publica (2/3).




0,009

Vilicus Navis | *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*

CIL XII 2379 integra.

900 Luguduni, tabella aenea; in museo Britannico (1/1).



0,004

Deo Apollini | *Augusti Q. Asi*|*cius Norbanus* | *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*


R. Mowat *bulletin épigraphique de la Gaule* II 1882 p. 297 imagine non addita.

---

901. 902 Muri prope Bernam, bases sigillorum duorum aeneorum; in museo Bernensi (2/3).

901


0,008

902



0,006

Deae Artioni | *Licinia Sabinilla*

Deae | *Nariae* | *Reg(illus?) Arure* | *cur(a) Feroc(is) l(iberti)*

Inscr. Helv. 215. 216 integrae.

903 *Sablon* prope Divodurum Mettorum, tabella aenea; servat ibi W. Mey ($\frac{2}{3}$).




0,004


Deae Icovellau|nae sanctissimo | numini Genia|lius Salvaninus | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

C. Bone annal. Bonnens. LXVI 1879 p. 64 ss. tab. IV fig. 1 integra. V. 4 pro *Salvaninus* fortasse *Saturninus* scribendum fuit.

---

904 Lindi (*Lincoln*), in basi aenea sigilli Martis aenei operis elegantis; Londinii in museo Britannico ($\frac{1}{1}$).





0,005


In fronte: *Deo Mar(ti) et | nu(mini)b(us) Aug(usti) Col|asuni Brucci|us et Caratius de | suo donarunt*
In postica: *ad sester(tium) n(ummum) c(entum); | Celatus aerarius fecit et aeramenti lib(ram) donav|it factam X (denariis) III*


CIL VII 180 integra.

---

905 *Martlesham* (*Suffolk*), imago clipeata exigua hominis iacentis ex aere; Londinii in museo Britannico ($\frac{1}{1}$).

0,005






0,005

In scuti lateribus quattuor: *Deo Marti Corotiaco Simplicia pro se v(otum) p(osuit) l(ibens) m(erito)*
In parte scuti inferiore: *Glaucus | fecit*

CIL VII 93*a* integra.

906 *Lanchester* (*Durham*), lamina aurea ansata, litteris extantibus; Dunelmi in bibliotheca capitulari (1/1).



0,005

Marti | Aug(usto) | Auffidi|us Aufi|dianus | d(onum) d(at)

CIL VII 436 integra.

---

907 In fundo interiore paterae argenteae repertae prope Portum Portugalliae, litteris ex auro caelatis in circulum scriptis circa imaginem dei armati stantis; servabatur ibi. Ex imagine photographa (1/1).



0,004


S(extus) Arqui(us) Cim(bri?) l(ibertus) Saur(. . . . .) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

CIL II 2373 integra. Deus peregrinus aliunde notus non est.

---

908. 909 Ticini (*Pavia*), tabellae duae aeneae medicinales; in museo universitatis Papiensis (1/1).

908  0,003

909  0,003


Obscura fati quaerella deum praesidio l[e]|nietur; esto cura cauta, tu plac(a) Iovem e. q. s.

Obscura iniuria usu mea medicina le|nietur, cur(ato) et pia Esculapiu(m) e. q. s.

CIL V 6414 6415 vv. 1.

---

910 Tolentini, tabella aenea; servatur in museo Berolinensi (1/2).




0,008-0,010

Tesseram paga|nicam L. Vera|tius Felicissi|mus patronus | paganis pagi | Tolentines(is) hos|tias lustr(avit) et tesser(am) | ex aer(e) ex voto l(ibens) d(onum) d(edit) | V id(us) Ma(ias) felicit(er)

CIL IX 5565 vv. 1—5. Saeculi videtur esse tertii exeuntis.

911 *Rudge* (*Wiltshire*) in Britannia meridionali, vasculum aeneum coloribus ornatum; titulus inscriptus est in margine superiore extrinsecus; servat dux Northumbriae in *Alnwick Castle* (1/1).



0,005


A Mais Aballava Uxelodu[no] | *Amboglan(i)s Banna(m)*

CIL VII 1291 integra. VXELODVMC et AMBOGLANS errores caelatoris sunt. *Maiae, Aballava, Uxellodunum, Amboglanna* (vel *Amboglannae*), *Banna* nomina sunt oppidorum Britannicorum aliunde notorum.

II

912 Romae, lamina aenea speculi forma utrimque inscripta; in museo Neapolitano (1/1).

inter a. 14 et 37 0,010 0,007




ab una parte: *Thoantis* | *Ti. Caesaris* | *Aug(usti)* | *dispensatori[s]* | *ab topis*
ab altera: *de* | *statione* | *[Ti.] Caesaris Aug(usti)* | *tabellaris* | *diplomare* | *discede*

CIL VI 8655*a* integra. In Thoantis titulo vetustiore, ut videtur, singulari ratione litterae scriptae sunt lineis binis non profunde incisis, sed quasi scariphatis. V. 5 *topis*, non *toris*, clare legitur in ectypo.

913 Ad Aquas Statiellas, 'lamina aenea rotunda cum foramine et clavo ei foramini inserto'; in museo Taurinensi (2/3).

inter a. 81 et 96



0,004

0,006

Ex comitatu | imp(eratoris) Domitiani Aug(usti) | Germanici | ab Aquis | Statiellis

CIL V 7506 integra. Vv. 4. 5 postea adiectos esse alio scribendi genere apparet.

---

914 Augustae Taurinorum, 'tabella aenea rotunda perforata cum clavo eidem immisso'; in museo Taurinensi (1/2).




0,008

Ex tabellar(iis) | Aug(usti) | stat(ionis) Taur(inensis); | l(ibens) m(erito) d(at) [?]

CIL V 6964 integra.

---

915 Romae apud Alexandrum Castellani olim, lamina aenea utrimque scripta cum duobus foraminibus; nunc in museo Britannico (1/2).



0,007

[T]i. Claudi Prisc[i] | mil(itis) coh(ortis) IIII pr(aetoriae) 7 (centuriae) Patern[i]

CIL VI 2541*a* ubi anticae tantum titulus exhibetur.

---

916 Originis incertae, fortasse Ostiensis, lamina aenea rotunda; in museo Berolinensi (1/1).



0,005

Claudi | Optati | Aug(usti) l(iberti) | proc(uratoris) portus | Ostiesis

CIL XIV 163 integra. Cf. n. 912.

---

917 Prope Mogontiacum reperta, lamina aenea rotunda; in museo Mogontiacensi (1/2).




0,006

L. Herenni | Laeti evoc(ati) | Aug(usti)

Brambach 911 integra. Litterae videntur esse saeculi secundi.

918 Taurinis, 'patella argentea parva manubrio ad haustum aptato'; in museo Taurinensi ($\frac{1}{1}$).


n. 234



Maximo et Urbano co(n)s(ulibus) | pri(die) kal(endas) Ian(uarias) accipet Verinus | X (denarios) XII s(emis)

CIL V 8122 1 integra.

919 Romae, lamina aenea foraminibus ad affigendum munita; in museo Kircheriano ($\frac{2}{3}$).




0,015

Iuliae Au|g(ustae) dominae | matri cas|t(rorum) t.... imunis

CIL VI 2149 integra.

920 Romae, lamina aenea; in museo Kircheriano ($\frac{2}{3}$).




0,010

Calpurniae | Praetextat(ae) | v(irginis) V(estalis) | maxim[ae] | immun[is]

CIL VI 2146 integra.

921 Originis mihi ignotae, tabella aenea; in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).




0,008

Anici | Paulini v(iri) c(larissimi)

IN 6790 integra.

922 Romae, tabella aenea ansata, ad lucernam affixa; in museo Berolinensi ($\frac{2}{3}$).




0,010

Noni Attici | v(iri) c(larissimi) et inlus|tris

Fabretti p. 676, 26. Est consul anni 397.

923 Romae, tabella aenea; in museo Parisino ($\frac{1}{1}$).



0,004

Fl(avii) Stilichonis | v(iri) c(larissimi) et inl(ustrissimi) com(itis) | et mag(ister) utrius|que militiae | F..... Fimbrianus

CIL VI 1732 integra.

924 Romae, lamina aenea; in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).



0,010

Fl(avii) Still|iconis | v(iri) c(larissimi) com(itis)

CIL VI 1734 integra.

925 In castello *Niederbiber* prope *Neuwied*, lamina argentea ad signum fortasse olim pertinens, litteris prominentibus; servatur *Neuwied* apud ducem. Ex imagine Grotefendii ($\frac{1}{2}$).




0,030

coh(ors) V ....

Brambach 703*e*; C. L. Grotefend et B. Stark Annales Bonnenses XXXVIII a. 1865 p. 62 tab. II 2.

III

926 Originis incertae, tabella parva aenea ansata cum anulis ad suspensionem factis, infra adhaeret crus humanum cum ocrea; in museo Britannico ($\frac{1}{2}$).




0,009

T(ironis) r(etiarii) | Caledi

R. Mowat *bulletin monumental* XLVIII a. 1882 p. 502, qui e memoria videtur delineavisse.

927 Veleiae, in ore aquae salientis plumbeo, litteris punctim incisis; in museo Parmensi ($\frac{2}{3}$).




0,024

0,010

C. | Here|nnius | Cassia|nus | d(onum) d(edit)

CIL XII 1193 vv. 1—5.

928 Veleiae, lamina aenea utrimque ansata; in museo Parmensi ($\frac{2}{3}$).




0,006 - 0,009

Annuae | Cannuae | meae m(unus?) d(edi?)

CIL XII 1195 integra. Interpretationis incertae.

929 In summo monte S. Bernhardi, tabella aenea; in museo Britannico ($\frac{1}{1}$).




0,005

Poenino sa|crum P. Blattius | Creticus

CIL V 6866 integra; edidit nuper R. Mowat *bulletin monumental* XLVIII a. 1882 p. 499, sed non satis accurate delineatam.

930 *Chatelet* (inter *Saint-Dizier* et *Joinville*), tabula aenea; in museo Parisino ($\frac{1}{1}$).




0,005

Deo Ouni|origi Sa|turnalis | Pauli filius | ex voto

R. Mowat *bulletin monumental* XLVIII a. 1882 p. 255 sine imagine.

---

931 Divione (*Dijon*), in manubrio paterae aeneae; ibi in museo. Ex imagine Heronis de Villefosse ($\frac{1}{1}$).



0,003 - 0,005


Doiros Segomari | ieuru Alisanu

R. Mowat *bulletin monumental* XLVIII a. 1882 p. 259 imagine non addita; A. Héron de Villefosse *dictionnaire archéologique de la Gaule* s. v. *inscriptions Gauloises* tab. II fig. 6.

Peculiare videtur huic inscriptioni secundum imaginem eius elegantissimam (nam ipsam non vidi), quod puncta in fine hastarum posita aliquanto maiora et rotundiora ficta sunt reliquis.

---

932 *Visignot*, patera aenea; in museo Sangermanensi ($\frac{1}{1}$).




0,003 - 0,005

Deo Alisanu Paullinus | pro Contedoio fil(io) suo | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

A. Héron de Villefosse *bulletin de la société des Antiquaires de France* a. 1881 p. 279; R. Mowat *bulletin monumental* XLVIII a. 1882 p. 489.

933 *Evaux (arrondissement d'Aubusson, Creuse)*, in manubrio paterae aeneae; extat *Guéret* apud Dugenest. Ex imagine Vallentini (1/1).




0,006

punctim scripta: *Vimpuro Firmi* | *lib(ertus) Suav(...?)* | *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*
impressa: *[An]si(i) Epaprod(iti)*

F. Vallentin *bulletin épigraphique de la Gaule* I 1881 p. 40. 129 tab. IV. V. 2 IVAV editor; titulum expressum explicuit R. Mowat.

---

934 Luguduni, in manubrio cacabi argentei; servatur ibi (1/1).




0,002 - 0,003

C. Didi Secundi | *mil(itis) leg(ionis) II Aug(ustae)* | *7 (centuria) Mari*

Boissieu *inscriptions de Lyon* p. 311 n. XI. Saeculi primi ineuntis, cum legio II Augusta Claudio imperante in Britanniam translata sit.

---

935 Aptae in Gallia Narbonensi, lamina aurea, affixa olim manubrio securis; extat ibi apud Odoardum Roland (1/1).




0,004


0,005

D(onum) d(at) Quartus Mar(ti) securem; d(onum) d(at) o.... Dexsive Quartus securem; v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

CIL XII 1063 integra. V. 2 SACVREM videtur scriptum esse, errore.

936. 937 *Mariaborn* prope Aquas Mattiacas, tabellae aeneae duae; in museo Wiesbadensi ($\frac{1}{1}$).

936  0,004

937  0,004


Curtilia Prepusa | Marti Loucetio | v(otum) s(olvit) l(aeta) l(ibens) m(erito)

Marti Leucetio | T. Taticius Censorinus | v(otum) s(olvit) l(aetus) l(ibens) m(erito)

Brambach 929 930 integrae.

---

938 *Lauersfort* prope Geldubam in Germania inferiore, in phaleris argenteis (*a*) pateraque argentea (*b*), item in laminis aeneis a tergo phalerarum affixis (*c*); servantur Berolini apud Guilelmum imperatorem Germanicum ($\frac{1}{1}$).

a  0,005 0,007

b  0,005

c  0,003


T. Flavi | Festi

T. Flavi Festi

Medamus

Brambach 241. *a* O. Jahn (*die Lauersforter Phalerae*, Bonnae 1860 4., p. 1 tab. 7) legerat *G. Flavi Festi*, A. Rein (annal. institut. archaeol. Germanici XXXII 1860 p. 161) *T(iti)*, recte; Brambachius *P(ubli)*. Archetypis iterum examinatis titulos curavi accurate exprimendos; in *a* caelator titulum non recte inceperat, deinde melius repetivit. Festus videtur habuisse, Medamus fecisse. Saeculi primi fere exeuntis.

939. 940 *Hildesheim*, in pedibus vasculorum argenteorum; in museo Berolinensi ($\frac{1}{1}$).

939  0,002

940  0,003


L. Manli Bocci p(ondo) III Ↄ (scripula) III

M. Aur(elii) C . . . . . II p(ondo) III : (uncias II) Ↄ (scripulum) I

R. Schöne Philologus XXVIII a. 1869 p. 369 in tabula.

---



941 *Marren* in vico ducatus Oldenburgensis prope *Loeningen*, arula parva aenea (alta 0,035, lata 0,025); nescio ubi servetur ($\frac{1}{1}$).

 0,003

Vic(toriae) Diccius | Camicci | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

Annal. Bonnenses LVII a. 1876 p. 67.

942 In alveo *Tyne* fluvii ad ostia eius repertus, umbo aeneus; servat *Greenwell* canonicus Dunelmensis. Ex imagine Brucii (1/1).


a  0,002 *b*  0,003


Ↄ (centuria) Iul(ii) M[a]gni, Iuni Dubitati — *leg(ione) VIII Aug(usta)*

CIL VII 495 integra.

---

943. 944 In fano dei Nodontis (*Lydney Park, Gloucestershire*), tabellae duae aeneae; servantur ibi. Ex imaginibus Bathurstii (943 2/3; 944 1/1).

943  0,006

944  0,005


Deo m(agno?) Nodonti | Fl(avius) Blandinus | armatura | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

Pectillus | votum quod | promissit | deo Nudente | m(erito?) dedit

CIL VII 138. 139 integrae; W. H. Bathurst *Roman Antiquities at Lydney Park* (Londinii 1879 fol.) p. 45 tab. XX 1. 2.
Una reperta est tabella plumbea devotionis CIL VII 140, scripta illa litteris satis accurate scariphatis.

---

945 Lussonii (*Kömlöd*) in Pannonia inferiore, pyramis aenea anaglyphis ornata; in museo Pestinensi. Ex imagine photographa Romeri (1/1).


 0,004

Iovi Dulcheno P. Ael(ius) | Lucillus Ↄ (centurio) coh(ortis) I Alp(inorum) eq(uitatae)

CIL III 3316 integra. E. Desjardins et F. Rómer *monuments épigraphiques du musée national Hongrois* n. 28 p. 10 tab. V.

IV


946 Apud Marsos Marruvii (*San Benedetto*), lamina plumbea 'litteris angulatis'; in museo Berolinensi (2/3).

 0,006

Sextus Pompeiius | Leonida, L. Paqued|ius Philo, Septimius | Felix, Marcius Celadus, Herenius Labi|canus, Marinus, C. | Gavius Secu[n]du[s]

CIL IX 3748 vv. 1—3.

947 Ad Aquas Sulis in Britannia (*Bath*), tabella plumbea defixionis; servatur ibi ($\frac{1}{1}$).



0,005

Q(ui) mihi ma(n)teliu(m) in[v]olavit, | sic liquat ⟨c⟩com aqua | ella m[u?]ta, ni q(ui) eam [sa]lv|avit, Anniu(s) vel exs|uper e(i)us [V]erianus, Se|verinus, A(u)gustalis, Com|itianus, Catusminianus, | Germanill[a], Iovina

C. Zangemeister in Hermae vol. XV 1880 p. 588 ss. Miro artificio vocabula singula excepto nomine Annii a dextra ad sinistram procedunt. Saeculi videtur esse secundi exeuntis tertiive ineuntis.

CAPVT SECVNDVM

ACTA LAPIDI INSCVLPTA

Monumenta inscripta non raro uti scriptura non monumentali, sed actuaria, supra vidimus: tituli votivi honorarii sepulcrales minoris potissimum ambitus integri, dedicationes in lateribus monumentorum adscriptae, annorum indicationes et similia, scribendi hoc genere rebus illis quodam modo proprio frequenter usa sunt. Ea igitur omnia exempla sunt scripturae actuariae adhibitae non in materia actis proprie conveniente, cera papyro membrana, sed in lapide. Acta autem ipsa siquis monumentorum partem esse monumentorumque eis dignitatem et soliditatem impertire voluit, aeri illa incidenda curavit; unde scripturam actuariam quasi legitimam exhibere vidimus aera varii generis inscripta, quae huius partis capite primo composuimus. Graeco vero exemplo fortasse illud quoque tribuendum est, quod etiam, quae acta proprie dicenda sunt, integra lapidibus inscripta esse monumentorumque quasi speciem adsumere videmus. Iam aetate liberae rei publicae ad finem vergente Romae eius modi inscriptiones incisae sunt: *lex aedilicia* sive senatus consultum est *de loco aliquo sacro tuendo* tabulae ex lapide Tiburtino (CIL VI 3823), *lex censoria* cippo ex eodem lapide inscripta (CIL VI 3824) ex parte servatae sunt, scriptae illae litteris plane, ut videntur, monumentalibus; multo plura eiusdem generis monumenta interiisse probabile est. Inde ab Augusti vero aetate hanc quoque consuetudinem originе, ut dixi, fortasse Graecam Romae et in provinciis increbuisse infra apparebit.

Quod acta lapidi insculpta pleraque Romae servata sunt, fortasse non casui soli adscribendum est; nam quanquam in his quoque rebus municipia inde ab Augusti aetate urbem imitata esse novimus, ut docent fastorum et calendariorum reliquiae, neque dubium est, quin, ut Romae fratrum Arvalium aliorumque collegiorum acta tabulis marmoreis inscribebantur, ita in municipiis quoque maioribus et opulentis acta similia similiter extiterint inscripta, tamen consentaneum est, in urbe plurima eius generis monumenta olim prostitisse. Itaque quae hoc capite proponuntur inscriptiones, fasti magistratuum, calendaria, acta Arvalium, urbana sunt paucis tantum exceptis, quae Italica sunt omnia, suburbana pleraque (n. 952 955 956 959 965—968 969 972 975 976 978 981 982); e provinciis similia nondum prodierunt. In monumentis, quae pars prima huius syllogae complectitur, saepius observavimus quaedam a quadratariis addita esse post reliquam scripturam absolutam; quod etiam in calendariis interdum accidit. Sed exempla eius generis, de quibus dictum est in praefatione, quanquam minime rara sunt, tamen exceptionem faciunt et facile distinguuntur ab indole scripturae reliquae aequabili, quam tot milia inscriptionum testantur. In actis vero lapidi insculptis, veluti in fastis magistratuum et in Arvalicis, ex argumento ipso consequens fuit, ut certis temporum spatiis quae olim inscribi coepta erant continuarentur; unde singularum aetatum manus diversae in eadem tabula non raro distinguuntur, praesertim inde a saeculo tertio, quo loca antiquitus vacua relicta spatio deficiente actis aetatis posterioris interdum repleta sunt.

I

FASTI CONSVLARES, ACTA TRIVMPHORVM, ELOGIA

Fastos consulares Capitolinos cum actis triumphorum inter annos 718 et 724 primum marmori inscriptos, anno autem 741, item Domitiani aetate ad Augusti mortem continuatos esse probabile est. Scripturae primariae satis in universum aequabilis exempla exhibui tria (n. 948*a*—*c*), aetate Domitiani adiectae unum (n. 948*d*), actorum triumphalium duo (n. 949*ab*). Quantum ab his differant tabulae triumphorum Barberinianae quod sequitur eorum exemplum (n. 950) docet: litteratura ita comparata est, ut recte Henzenum pronuntiasse appareat, primo obtutu unumquemque litteras illas iudicaturum esse aetatis admodum recentis. Manifestum quidem est, triumphos non uno tempore inscriptos esse omnes, unde recentiores eodem, quo acti sunt, additi esse creduntur; sed tamen scriptura satis magna anni ultimi, quam exhibui, non actuaria, ut reliquorum eius generis

monumentorum, toto caelo differt ab eo litterarum genere, quo monumenta eius aetatis similia uti videmus. Quod quomodo explicandum sit hic non quaero; digna vero res est in quam accuratius quam adhuc factum est inquiratur. Qui proxime praecedunt versus eiusdem tabulae triumphorum e Piranesii opere propter *L* litterae formam casu obliquam repetiti a Ritschelio (PLME p. 45), paullo accuratius sculpti sunt. Fragmenti fastorum triumphalium Tolentinatis exigui (CIL IX 5564 = CIL I p. 476) exemplum nolui exhibere.

Litteratura in universum aequabili parva, actuaria, sed in singulis exemplis plus minusve accurata scripta sunt quae sequuntur fragmenta fastorum Colotianorum (n. 951), Amiterninorum (n. 952), Arvalicorum (n. 953), collegii alicuius funeraticii (n. 954), Antiatium (n. 955 956), sacerdotalium urbanorum (n. 957), collegii incerti (n. 958), Ostiensium (n. 959), Saliorum Palatinorum (n. 960 961), aliorum sacerdotum (n. 962). Fasti Venusini, ut notum est, interierunt (CIL IX 421); reliqui urbani (CIL I p. 467 v), sacerdotales (CIL VI 1976 1984 2001 2003 2010) quatenus servati sunt, collegiorum funeraticiorum a. 731 ad p. C. 133 (CIL I p. 471 VII = CIL VI 10286/7; CIL I p. 473 XI; CIL VI 10288 ad 10292 10299), feriarum Latinarum a. 727—732 (CIL I p. 472 VIII), Cuprenses a. 742—757 (CIL IX 5286—5293), Lucerini a. 749 750 (CIL I p. 473 X = CIL IX 786), Gabini a. 755—759 (CIL I p. 473 XII), Praenestini a. 758—760 (CIL I p. 474 XIII), Antiates a. 9—18 (CIL I p. 475 XIV = CIL X 6639), titulo urbano Scirti agitatoris inscripti a. 13—25 (CIL I p. 475 = CIL VI 10051), Lunenses a. 16—22 (CIL I p. 476 = CIL XI 1356), Interamnates nunc Capitolini a. 67—75 (CIL X 5405), Brixiani a. 118—210 (CIL V 4315—4317), quorum ex parte fragmenta tantum exigua supersunt, eo magis omitti potuerunt, quod scripti sunt et ipsi mira aequabilitate; pauca tantum exempla maioribus litteris scripta (ut n. 950 957 960 961) monumentali scripturae similiora sunt.

Scriptura non absimili indicationes annorum, quibus dedicata sunt, monumentis inscribi solitas esse supra iam observavimus saepius. Exempla eius generis urbana annorum 741 ad p. C. 341 composita sunt in corporis volumine sexto (n. 849—871); supra proposuimus alia non pauca. Urbana haec habuimus saeculi primi et secundi: a. 27 (huius syllogae n. 74), a. 38 (n. 79), a. 75 (n. 241), a. 86 (n. 250), a. 94 (n. 251), a. 100 (n. 259), a. 107 (n. 261), a. 111 (n. 263), a. 118 (n. 269), a. 130 (n. 272), a. 149 (n. 285—287), a. 150 (n. 289), a. 181 (n. 302), a. 321 (n. 730), a. 378 (n. 737), a. 387 (n. 739), Ocriculanum a. 341 (n. 754). Paucae earum litteris scriptae sunt, quae monumentalibus similiores sunt (ut n. 284 a. 149, n. 298 a. 168, n. 299 a. 174 et saeculi quarti, ut n. 737). Sequuntur exempla Pompeiana a. 1 (n. 122), a. 3 (n. 124 125), a. 23 (n. 127), a. 32 (n. 129), a. 34 (n. 130 131), a. incerti sed aetatis fere Tiberianae (n. 132); Puteolana a. 1 (n. 151), a. 144 (n. 342), a. 165 (n. 343), Ostiensia a. 195 et 197 (n. 531 532), Hispana a. 26 et a. circiter 84 (n. 222 428). Contra in aliis provinciis iisdem temporibus pleraque eius generis scripta sunt litteris a reliquis monumentorum non diversis; unum Germanicum a. 169 scriptum est litteris minutis actuariis, sed eisdem fere atque monumentum integrum (n. 406). Sed illa quoque, quae monumentali litteratura utuntur, hic breviter indicare volui; sunt Germanica haec a. 170 (n. 407), a. 181 (n. 412), a. 185 (n. 413), a. 192 (n. 414), a. 193 (n. 415), a. 196 (n. 612), a. 201 (n. 617), a. 204 (n. 618), a. 208 (n. 621), a. 210 (n. 622 623), a. 214 (n. 624), a. 222 (n. 630), a. 223 (n. 629), a. 229 (n. 631), a. 230 (n. 632 633), a. 239 (n. 640 641), a. 242 (n. 642), a. 252 (n. 644), a. 276 (n. 645); Pannonica et Raetica a. 201 (n. 568), a. 211 (n. 572), a. 228 (n. 583), a. 231 (n. 587), a. 250 (n. 589), a. 267 (n. 591), Gallica a. 224 (n. 602), a. 241 (n. 606), Britannica a. 185 (n. 422) et a. 252 (n. 652), Africanum a. 338 (n. 787).

His quae supra enumeravi monumentis litteris actuariis scriptis addidi quasi speciminum loco exempla duo urbana satis vetustum alterum a. 747 (n. 963), recentius alterum a. 218 (n. 964). Multa vero praeterea extant eius generis, quae eisdem vel similibus litterarum formis actuariis utuntur.

Cum fastis coniunxi elogia virorum clarorum, quae inde ab Augusti aetate in statuarum basibus Romae aliisque in oppidis publice proposita esse notum est. Utuntur illa partim scriptura picta egregia, veluti *Aeneae* et *Romuli* Pompeiana, quorum exempla exhibui (n. 965 966), maximam vero partem scriptura actuaria eleganti, qualem exhibent Arretina *Appii Caeci* et *Fabii Maximi* item a me infra exhibita (n. 967 968). His similia sunt in litteris potissimum minoribus, quae Ritschelius non satis eleganter delineandas curavit elogia item Arretina *Valerii Maximi, Aemilii Paulli, Licinii Luculli* (CIL I p. 284 n. XXIII, p. 289 n. XXX, p. 292 n. XXXIV = PLME tab. XCVI *A*—*C*): contra praescriptiones maioribus litteris scriptae scripturae pictae potius formas sequuntur, ut Aeneae et Romuli Pompeiana, quibus etiam decuriarum vocabula scripta esse solent in fastis sacerdotalibus urbanis (CIL VI 1984). Atque haec quidem aetati Augustae tribuenda esse probabile est; paullo recentiora, i. e. Claudiae fortasse aetatis, mihi visa sunt urbana *L. Albinii* (CIL I p. 285 n. XXIV = (CIL VI 1272) et *C. Marii* (CIL I p. 290 n. XXXII = (CIL VI 1315). Similem vero scripturam actuariam in Italia et in provinciis etiam posteriore aetate in elogiis titulisve honorariis verbosis inscribendis in usu fuisse docent quae comparare iuvabit exempla a me supra exhibita titulorum aetatis Traianae *Glitii Agricolae* a. 103 (n. 348), *Licinii Surae* c. a. 107 (n. 262), *Minicii Natalis* c. a. 117 (n. 433), item urbana aetatis Pii *Aemilii Kari* (n. 283), Severianae *Fabii Cilonis* (n. 480), saeculi tertii exeuntis *Annaei Saturnini Clodiani Aeliani* (n. 487), quibuscum conferri possunt monumenta in variis municipiis saeculo ut videntur secundo proposita virorum aetatis liberae rei publicae, veluti *Scipionis Africani* Saguntinum (n. 434) et apud Marsos Marruvii extans (CIL IX 6348), cuius litteraturam aetati Hadrianae convenire iudicaverunt qui viderunt periti. Quod prope Forum novum fuit eiusdem viri elogium mutilum (CIL I p. 280 n. XIV = CIL IX 4854) periit. De aetatis inde a Diocletiano elogiorum scriptura actuaria ex imitatione exemplorum calamo exaratorum aliqua ex parte explicanda dictum est supra (p. 248).

948 Romae, tabulae marmoreae fastorum Capitolinorum; in museo Capitolino ($\frac{1}{3}$).

(*a*)

a. 386

LLVS·IIII DICT
AMERCINVS MAG·EQ REI·GERVNDAE·CAVSSA 0,009
NMILITES·EX·S·C·ABDICARVNT·IN·EORVM·LOCVM·FACTI·SVNT
APITOLINVS DICT
IMVS·E·PLEBE MAG·EQ SEDITIONIS·SEDANDAE·ET·R·G·C

M. Furius L. f. Sp. n. Cami]llus IIII dict(ator)
L. Aimilius L. f. Mam. n. M]amercinus mag(ister) eq(uitum) rei gerundae caussa
post edictu]m in milites ex s. c. abdicarunt in eorum locum facti sunt
P. Manlius A. f. A. n. C]apitolinus dict.
C. Licinius P. f. P. n. Calvus pr]imus eplebe mag. eq. seditionis sedandae et r. g. c

a. 441

(*b*)

0,008

CDXL·L·PAPIRIVS SP·F·L·N· CVRSOR·V C·IVNIVS·C·F·C·N·BVBVLCVS·BRVTVS·II
C·POETELIVS·C·F·C·N·LIBO·VISOLVS DICT
M· M·F·M·N· LIBO MAG·EQ REI·GERVND·CAVSSA

CDXL L. Papirius Sp. f. L. n. Cursor V C. Iunius C. f. C. n. Bubulcus Brutus II
C. Poetelius C. f. C. n. Libo Visolus dict.
M. M. f. M. n. Libo mag. eq. rei gerund. caussa

a. 490/91

(*c*)

0,006

BELLVM·PVNICVM·PRIMVM
AP·CLAVDIVS·C·F·AP·N CAVDEX M·FVLVIVS·Q·F·M·N FLACCVS
XC·M'·VALERIVS·M'·F·M'·N·MAXIMVS M'·OTACILIVS·C·F·M'·N CRASSVS
QVI·IN·HOC·HONORE·MESSALLA·APPELL·E
CN·FVLVIVS·CN·F·CN·N·MAXIM·CENTVMALVS DICT

bellum Púnicum primum
Ap. Claudius C. f. Ap. n. Caudex M. Fulvius Q. f. M. n. Flaccus
CD]XC M'. Valerius M. f. M. n. Maximus M'. Otacilius C. f. M'. n. Crassus
qui in hoc honore Messall. appell. e
Cn. Fulvius Cn. f. Cn. n. Maxim. Centumalus dict.

(*d*)

a. 518

LVDI·SAECVLARES·TERT 0,010
M'·AIMILIO·M'·F·MAG·XVIR 0,009
M·LIVIO·M·F·M·N·SALINATORE


Lúdi saeculares tert(ium)
M'. Aimilio M'. f. mag. Xvir
M. Livio M. f. M. n. Salinatore

CIL I *a* p. 430, *b* p. 432, *c* p. 434, *d* p. 442.

949 Romae, tabulae marmoreae triumphorum Capitolinorum; in museo Capitolino (1/3).

(*a*)


a. 494 — 0,015



C. Duilius M. f. M. n. cos. primus an(no) CDXCIII
navalem de Sicul(is) et classe Poenica egit
k(alendis) interkalar(ibus)
L. Cornelius L. f. Cn. n. Scipio cos. an(no) CDXCIV
de Poeneis et Sardin(ia) Corsica V id(us) Mart(ias)

(*b*)

a. 632 — 0,014




L. Aurelius L. f. L. n. Orestes pro an(no) DC[XXXI]
cos. ex Sardinia VI idus Dec(embres)

CIL I *a* p. 458, *b* p. 460.

---

950 Romae, fragmentum tabulae ex lapide Albano; in scalis bibliothecae Barberinianae (1/4).

a. 733 — v. 1 0,037 v. 2 0,052




[L. Sem]pronius Atratinus ex Africa [II]II eidus Octo[b(res)]
[t]riumphavit palmam dedit

CIL I p. 478 col. I extrema. Est pars recentissima fastorum triumphalium Barberiniorum, quae incisa esse creditur anno s. s.; ab eius litteratura partes vetustiores incisae c. annis u. 715—720, ut creduntur, paene non differunt.

---

951 Romae, tabula marmorea fastorum Colotianorum; in museo Capitolino (1/3).

a. 710 — 0,009 — 0,012




C. Iulius Caesar dict(ator) IV M. Aemilius m(agister) eq(uitum)
C. Iulius Caesar V M. Antonius M. f.

CIL I p. 466. Nomen M. Antonii in litura repositum est.

952 Amiterni, tabula marmorea; extat Aquilae in domo praefecturae (1/3).

a. 723



0,022 — 0,016 — 0,011

Bellum Actie(n)s(e) class(iarium)
cum M. Antonio
Imp. Caesar divi f. III *M. Valerius Messal(la) Corvin(us)*
suf. M. Titius L. f.
Cn. Pompeius Q. f.
e. q. s.


CIL IX 4191 (= Ephem. epigr. IV p. 193) pag. II vv. 3—5.

Similiter in his fastis indicantur antea *bellum civil(e) Mutinense cum M. Antonio*, *bellum in campis Philippicis cum M. Bruto et C. Cassio*, *bellum Perusinum cum L. Antonio*, postea *bellum classiar(ium) confect(um)*.

---


953 Romae, fragmenta tabulae marmoreae fastorum fratrum Arvalium; in museo Lateranensi (1/3).

a. 3 et 11. 12 — *a* — 0,009–0,010




L. Volusius *M'. Aemilio [T. Statilio*
....rius urb *suf. L. Ca[ssius*
...ius per *C. Norbanus [urb*
Sex. Aelius] C. Sentius Sat *Sex. Caecina [per*
suf.] C. Clodius Licin *Germ. C[aes. C. Fonteius*

a. 20 — *b* — 0,008



M. Valerius Messallinus
M. Aurelius Cotta
C. Antistius Vetus urb
C. Asinius Pollio per


a. 24 et 29 — *c* — 0,006



Cn. Le]ntulus Ga[etuli]c per *C. Splattius [urb*
Ser. C]ornelius Cethegus *L. Sulla [per*
L. Vis]ellius Varro *L. Cassius M. [Vinicius*
suf.] C. Calpur[n] Aviol[a] *suf. L. Naevius [C. Cassius*

Henzen *relazione* p. 99, qui specimen dedit litterarum fragmenti *a* in tab. III*b*. Praetores urbanus et peregrinus in his fastis adscripti sunt.

954 Romae, tabella marmorea; in museo Capitolino ($\frac{5}{6}$).


a. 29  0,016

C. Fufio Gemino | L. Rubellio Gemino cos. | IIII idus Mai(as) ossa inlata | Luriae P. l(ibertae) Aprilis | pariete II col(umna) III


CIL VI 10293 vv. 9. 10. Fasti collegii alicuius funeraticii annorum 28 et 29. Litterae variant secundum tempora incisionis; initio male scriptae sunt; hae vero eleganter ex exemplo picto insculptae.

---

955 Antii, tabula marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{3}$).

a. 39 *a*  c. 0,010

C. Caesare Aug(usto) Germanico
L. Apronio Caesiano *co[s.]*
Anthus top(iarius) II


a. 51 *b*  0,014

Ti. Claudio Aug(usto) V
Ser. Cornelio Orphito *cos.*


CIL I p. 327 = CIL X 6638.

---

956 Originis incertae, fortasse Antio, tabula marmorea; in museo Stockholmiensi ($\frac{1}{3}$).

a. 50 *a*  0,018

[C. Antistio Ve]tere M. Suillio Nerulino cos.

a. 68 *b*  0,012

P. Galerio Trachalo


CIL VI 8639 = CIL X 6637.

Nomen collegae Trachali, Neronis V, consulto omissum. Unde apparet hanc partem tabulae incisam esse post eius caedem.

'Litterae paginae prioris aequabiles sunt et uno tempore incisae, paginae posterioris diversae, scilicet minores annorum 65 et 66, sequentium paullo maiores'.

957 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (1/3).

a. 63



0,027


C. Vipstanus Poplicola
D. Silanus Gaetulicus

CIL VI 2002 vv. 11. 12. Pars fastorum collegii sacerdotalis incerti.

---

958 Romae, fragmentum tabulae marmoreae repertum ad sepulcrum Caeciliae Metellae; in museo Capitolino (2/3).

a. 80



0,008


[*Ti. Caes(are) divi Vespasia*]*ni f(ilio) Aug(usto)* [*VIII*] *cos.*
. . . .
. . . . . .*ne L. Pompusio Mettio*
. . . . .*no praef(ecto) aer. Sat. ann. IIII*
e. q. s.

CIL VI 1495 vv. 4. 5. Fasti collegii alicuius cum aerario Saturni coniuncti. Domitiani nomina erasa sunt.

---

959 Ostiae, fragmentum tabulae marmoreae; in muṣeo Vaticano (1/3).

a. 92



0,010

Domitianus XVI Q. Volus[*ius Saturninus*
idib(us) Ian(uariis) L. Venuleius A[*pronianus*
k(alendis) Mai(is) L. Stertinius Avítus Ti. [. . . . .
k(alendis) Sept(embribus) C. Iúlius Silanus Q. Áru[. . . . .
IIvir(i) L. Terentius Tertiu[*s* . . . .

CIL XIV 245 vv. 9—11. Ex fastis publicis coloniae Ostiensis.

960 Romae, fragmenta tabularum marmorearum varia; in museo Vaticano (c. 1/5).

a. 170



0,033


[*C. Erucio Claro*] | *M. Cornelio Cethego co(n)s(ulibus)* | *Q. Tineius Rufus loco T. Hoeni Severi co(n)s(ulis)* | *Q. Tineius Sacerdos loco L. Anni Lurgi flaminis* | e. q. s.

CIL VI 1978 v. 3. Sunt fasti saliorum Palatinorum; pertinet autem hic versus ad annum s. s.

---

961 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano (1/4).


a. 179 (*a*) 0,037



Imp(eratore) L. Aurelio Commodo II | *P. Martio Vero II cos.*
M. Petronius Sura Septimianus | *loco Q. Munati Prisci*
e. q. s.

(*b*)

a. 189



0,025


-. *Duil*]*io Silano Q. Servilio Silano*
L. An]*nius Fabianus in loco*
M. Pet]*roni Septimiani co(n)s(ulis)*
.... *Cornelius Scipio Orfitus in loco Sosii*

CIL VI 1979 vv. 9. 10. 1980 v. 10. Sunt fasti collegii saliorum Palatinorum.

---

962 Romae, fragmentum tabulae marmoreae ex basilica Iulia; in museo Lateranensi (1/3).

a. 235/36




0,020

Cn. [..... *Se*]*vero et Ti. Claudio Quintiano c*[*os. a(nno) p(ost) R(omam) c(onditam) DCCCCLXXXVII*
in [*palat*]*io in aede Iovis propugnatoris ex* [*s(enatus) c(onsulto)*
Imp. Caes. [*C. Iulium Verum Maximinum*] *Pium* [*Felicem Aug. pont. max.*
trib. pot. [*p. p., p*]*rocos. cooptaveru*[*nt*
[*Imp. C. Iul. Maximino A*]*ug. et Pupienio Africano c*[*os. a. p. R. c. DCCCCLXXXVIII*
e. q. s.

CIL VI 2009 vv. 20. 21. Fasti collegii sacerdotum incerti, quod in aede Iovis propugnatoris consistebat.

963 Romae, parvus cippus marmoreus; in museo Vaticano ($\frac{1}{3}$).

a. 747



0,018
C 0,030


Statae matri sacr(um) | *Q. Coelius Q. l(ibertus)* | *Apollonides* | *mag(ister) vici* | *D. Laelio Balb(o)* | *C. Antistio Vet(ere) co(n)s(ulibus)*

CIL VI 763 vv. 5. 6. Hic posui, cum satis antiquum sit exemplum scripturae actuariae in monumentis adhibitae; cf. supra n. 46. 47. 51.

---

964 Romae, ara marmorea; in museo Vaticano ($\frac{2}{3}$).

a. 218



0,008
0,006

In fronte litteris maioribus: *Iunoni sanctae* | *iusso Iovis* | *Dolychen(i)* | *P. Aelius Myron* | *neg(otiator) d(onum) d(edit)*
In latere: *dedic(ata) pr(idie) id(us) Mart(ias)* | *imp(eratore) [Macrino] Aug(usto)* | *et* | *Oclatinio Advento co(n)s(ulibus)*

CIL VI 367 titulus lateris integer. Nomen Macrini consulto erasum, sed ut facile adhuc dispiciatur.

---

965 Pompeiis, fragmenta tabulae marmoreae sub statua Aeneae olim positae in foro; extat Neapoli in museo ($\frac{1}{4}$).



0,052

Aénea[s Ven]eris | *et Anchisa[e filius Troia]nos,* | *qui capta Tr[oia et incensa s]uperfuerant,* | *in It[aliam adduxit* e. q. s. .... *appel[latus]q(ue) est Indigens* | *[pa]ter et in deo[rum n]umero relátus*

CIL X 808 (cf. add. p. 1006) v. 1 (fuerunt versus duodecim).
Apex in ectypo meo non comparuit, sed est in lapide. Litteras quae desunt ex reliquis supplendas curavi.

---

966 Pompeiis, in foro, tabula marmorea olim sub statua Romuli ($\frac{1}{4}$).




0,053

Rómulus Mártis | *[f]ilius urbem Rómam* | *[condi]dit* e. q. s. ..... *receptusque in deoru[m]* | *numerum Quirinu[s]* | *appellatu[s est* ....

CIL X 809 v. 1 (sunt versus undecim). Apices qui in lapide sunt in ectypo exciderunt.

967 Arretii, tabula marmorea; in museo Florentino ($\frac{1}{4}$).




0,029
0,021
0,009

Appius Claudius | *C. f(ilius) Caecus* | *censor, co(n)s(ul) bis, dict(ator), inter(rex) III,* | *pr(aetor) II, aed(ilis) cur(ulis)* cet. *viam Appiam stravit et aquam in* | *urbem adduxit; aedem Bellonae fecit*

CIL I p. 287 elog. XXVIII vv. 1—3.

---

968 Arretii, tabula marmorea; in museo Florentino ($\frac{1}{4}$).



0,022
0,014
0,009

[*Q. Fabius*] | *Q. f(ilius) Maximus* | *dictator bis, co(n)s(ul) V, ce*[*n*]|*sor, interrex II, aed(ilis) cur(ulis)* e. q. s. . . . . *dux aetatis suae cautissi*|*mus et re* [sic] *militaris peritissimus* | *habitus est; princeps in senatum duobus lustris lectus est*

CIL I p. 288 elog. XXIX vv. 2—4.

II


CALENDARIA

Fastos anni Iuliani sive calendaria inde ab Augusti aetate in urbe et in municipiis tabulis marmoreis incidi solita esse constat. Coniungunt illa cum scriptura monumentali, qua exaratae sunt partes calendarii antiquissimae, dierum singulorum notae, actuariam parvam, qua utuntur feriae singulis diebus adscriptae et adnotationes quae breviter dicuntur historicae. Calendarium cum fastis olim coniunctum Venusinum (CIL IX 421) interiit; Esquilini recens reperti (CIL VI 2302), Amiternini (CIL I p. 323 = CIL IX 4192), Foronovani (CIL I p. 302 = CIL IX 4769) exempla omittenda erant; reliquorum quatenus servata sunt exhibui temporum ordine disposita, scilicet urbanorum (n. 970 971 973 974 977), Praenestinorum (n. 972), Ostiensium (n. 975), Caeritanorum (n. 976), Antiatium (n. 978), Allifanorum (n. 969). Perierunt vero urbana Pincianum (CIL I p. 298 = CIL VI 2294), Esquilinum (CIL I p. 310 = CIL VI 2296), Pighianum (CIL I p. 326 = CIL VI 2300), aedis Concordiae (CIL I p. 331 = CIL VI 2304), item Tusculanum ut videtur (CIL I p. 300). Viae Gratiosae urbanum (CIL I p. 331 = CIL VI 2303) pictum tantum est litteris partim rubris partim nigris, ut monui in prolegomenis.

Addidi propter argumenti scripturaeque similitudinem exempla menologii rustici urbani (n. 979), nundinalis originis incertae (n. 980), ferialium Cumani (n. 981) et Campani (n. 982). Unici quod praeterea servatum est, quantum scio, monumenti similis in provincia Africa reperti, aetatis vero recentioris (est enim saeculi tertii ineuntis), laterculi *dierum gymnasii ex test(amento) Cornelii Egriliani* celebrandorum Theveste in provincia Numidia (CIL VIII 1859), ectypum non habui.

969 Allifis, fragmenta tabulae marmoreae; extant Capuae in museo (1/3).

ante a. 725



0,043

0,007


Diebus singulis adscripta:

Aug. 17 *Port(unalia). Fer(iae) | Portuno ad pontem Aemilium | Iano ad theatrum Marcelli*
18 *Divo Iulio ad forum*

CIL I p. 299 et Ephem. epigr. III p. 85 = CIL IX 2320 m. Augusti 17 et 18.
Fragmentum tabulae alterum et tria nundinalis cum calendario olim iuncti sunt in museo Neapolitano (CIL IX 2318 2319).

970 Romae, tabula marmorea fastorum anni Iuliani [fratrum Arvalium] (¼).

inter a. 746 et 769 (c. a. 14) — v. 1 0,082 v. 2 0,040 v. 3 0,011 in v. 2 interposita 0,006



Ex praescriptione: [*Germanicus*? *i*]*mp*(*erator*) *mag*(*ister*) *frat*(*rum*) *Arval*(*ium*)

In dierum notis observa ᴺᴾ et ᴺᴾ huic tabulae peculiares pro ᴺᴾ et ɴ reliquarum.

Diebus singulis adscripta sunt:

Aug. 1 in litura: [*Natalis Claudi Germ*(*anici*)? *Spei*] *in foro holit*(*orio*). *F*(*eriae*) *ex s*(*enatus*) *c*(*onsulto*), [*q*(*uod*) *e*(*o*) *d*(*ie*) *imp*(*erator*) *Caesar rem pu*]*blic*(*am*) *tristiss*(*imo*) *periculo* | [*libera*]*vit* ....

Aug. 2 [*Feriae ex s*(*enatus*) *c*(*onsulto*) *Caesa*]*ris h*(*onoris*) *c*(*ausa*) *Hisp*(*ania*) | [*citerior*]*e devicta* e. q. s.

Sept. 1 *Iovi Tonanti* | *in Capitolio*
in litura: *Iovi Libero Iunoni Reginae in Aventino*

Sept. 2 *Feriae* [postea addita *ex s*(*enatus*) *c*(*onsulto*)] *imp*(*eratoris*) *Caesaris h*(*onoris*) *c*(*ausa*) | *quod eo die vicit* [*apud* omissum] *Actium*

Oct. 1 *Fidi* | *in Capitolio. Tigillo soror*(*io*) | *ad compitum Acili*


Nov. 1 *L*(*udi*) *in cir*(*co*)
litura versuum trium

CIL VI 2295 vv. 1. 2 (Henzen *relazione* tab. III*c*) m. Augusti Septembris Octobris Novembris d. 1. 2. 3.

---

971 Romae, fragmenta tabulae marmoreae fastorum anni Iuliani [Maffeianorum]; in museo Capitolino (⅓).

inter a. 746 et 757 — 0,015 — 0,009



Praescriptionis fragmenta supersunt.

Diebus singulis adscripta sunt:


Mart. 23 *Tubil*(*ustrium*)
24 *Q*(*uando*) *r*(*ex*) *ex c*(*omitio*) *f*(*ugit*)
27 *Hoc die* | *Caesar* | *Alexand*(*riam*) | *recepit*

CIL VI 2297 = CIL I p. 303 m. Martis d. 23—31.

972 Praeneste, fragmenta tabularum quattuor marmorearum; Romae in palatio Vidoni (1/3).

0,065 0,030 0,060

inter a. 752 et 763 (p. C. 10)



0,010-0,012

Apr. 23 [*Vin(alia)*] *Io*[*vi* ..... *Vini omnis novi libamentum Iovi*] | *consecratum* [*est, cum Latini bello preme*]|*rentur ab Rutulis, quia Mezentius rex Etruscorum* | *paciscebatur, si subsidio venissit* [sic], *omnium annorum* | *vini fructum. Sig(num) divo Augusto patri ad theatrum M. Marc*[*elli*] | *Iulia Augusta et Ti. Augustus dedicarunt*

24 *Ti. Caesar togam virilem sumpsit imp(eratore) Caesare VII, M. Agrippa* | *III co(n)s(ulibus)*


25 *Rob(igalia). Feriae Robigo via Claudia ad milliarium* | *V, ne robigo frumentis noceat. Sacrificium* | *et ludi cursoribus maioribus minoribusque* | *fiunt. Festus est puerorum lenoniorum,* | *quia proximus superior meretricum est*

CIL I p. 311 ss. praesertim p. 317 m. Apr. d. 23—25. In litteris minutis E et I saepe simillimae vel potius I pro E scriptae. Ad Apr. 23 verba *sig(num) divo Augusto* cet. et ad Apr. 24 *Ti. Caesar* cet. addita sunt imperante Tiberio.

---

973 Romae, fragmentum tabulae fastorum anni Iuliani [Vallense]; in museo Neapolitano (1/3).

ante a. 14



0,014 0,012 0,004 0,006

Ex praescriptione supersunt: ..... *mag(istri) II*

Diebus singulis adscripta sunt:

Aug. 1 *k(alendae) Augustae. Spei ad forum holitorium* | postea addita *Natal(is) Ti. Claudii Germanici*

2 *Feriae quod hoc die imp(erator) Caesar Hispaniam* | *citeriorem vicit*


5 *Nonae. Saluti in colle Quirinale sacrificium* | *publicum*

CIL VI 2298 = CIL I p. 320 x m. Augusti d. 1—6.

---

974 Romae, fragmenta tabulae marmoreae fastorum anni Iuliani [Vaticana]; in museo Vaticano (1/3).

inter a. 15 et 34



0,021 0,004

Praescriptio periit

Diebus singulis adscripta sunt:

Mart. 15 [*E*]*quirr(ia). Feriae* | *Marti*

16 *Feriae Annae Peren*[*n*]*ae* | *via Flam(inia) ad lapidem prim(um)*

CIL VI 2299 = CIL I p. 322 XII m. Martii d. 15. 16.

975 Ostiae, fragmentum tabulae marmoreae; in vinea ad basilicam S. Pauli ($\frac{1}{3}$).

c. a. 14



0,030
0,034
0,006


Adscriptum Oct. 7: *Non(ae). Iovi Fulg(uratori) Iunoniq(ue) | in camp(o)*

CIL I p. 322 m. Octobris d. 6 et 7.

---

976 Caere, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Capitolino. Ex imagine Lanciani et ex ectypo ($\frac{1}{3}$).

c. a. 34




0,015
0,005

Diebus singulis adscripta:
Apr. 14—18 *Loedi C(ereri)*
15 *Ford(icidia). Loedi C(ereri)*
19 *Cer(ialia). Loedi Cer(eri) in c(irco)*
21 *Par(ilia). Roma cond(ita)*
22 *Fer(iae) coronatis om(nibus)*
23 *Vein(alia). Veneri*
25 *Rob(igalia)*
28 *Loedi Flor(ae). Fer(iae) q(uod) e(o) d(ie) sig(num) | Vest(ae) in domo P(alatina) | dedic(atum)*
29. 30 *Loed(i) F(lorae)*

Bullett. munic. a. 1876 p. 1 ss. tav. I. II m. Aprilis d. 14—30. Ectypum cum imagine Lanciani paene ubique convenit.

977 Romae, fragmentum tabulae marmoreae fastorum anni Iuliani [Farnesianum]; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

ante a. 50



0,027
0,007
0,022

Praescriptio periit
Diebus singulis adscripta:
Mart. 15 *Liber(alia) [Agon(ia)] | Libero in Ca[pitolio] | Caesar Hi[spaniam) vicit*
16 *Quin[q(uatrus)] | Minerv[ae]*


CIL VI 2301 m. Martii d. 15—18.

---

978 Antii, fragmentum tabulae marmoreae fastorum anni Iuliani; Romae in museo Capitolino ($\frac{1}{3}$).

0,019 0,014 0,007


a. 51



Diebus singulis adscripta:
Nov. 1 *In circo*
4 *Lúd(i) pleb(ei) com(mittuntur) HS (sestertium) DC*
5 *Lúdi*
6 *Lúdi. Agripp(inae) Iul(iae) nat(alis)*
7 *VI[I; C* littera interiit] *lúdi*

CIL I p. 327 = CIL X 6638 m. Novembris d. 1—7.

979 Romae, ara quadrata marmorea, continens menologium rusticum [Colotianum]; in museo Neapolitano (1/4).




0,017
0,016
0,014

Mensis | *Maius* | *dies XXXI.* | *Non(ae) septim(anae), dies hor(arum) XIV s(emis),* | *nox hor(arum) VIIII s(emis).* | *Sol Tauro.* | *Tutel(a) Apollin(is).* | *Seget(es) runcant(ur)* | e. q. s.

CIL VI 2305 = CIL I p. 358 col. V vv. 1—7.
Menologium simile [Vallense] (CIL VI 2306) interiit. Litterae videntur saeculi primi circiter medii esse.

---

980 Originis incertae, tabula marmorea continens nundinale; in museo Neapolitano (1/3).



0,020
0,011

..... *nundinae Aquini, in Vico, Interamn[ae], Mintur[nis], Romae, Capuae Casini, Fabrat(eriae)*
hiemps ex X k(alendas) Nov(embres) | *in XIIII k(alendas) Febrar(ias)* | *die[s* .....

CIL I p. 299 (IN 6747). Litterae videntur esse saeculi primi medii exeuntisve.

---

981 Cumis, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Neapolitano (1/3).

inter a. 4 et 14




0,010

XVI k(alendas) D[e]cembr(es) natalis Ti. Caesaris supplicatio Vestae

CIL I p. 310 = CIL X 3682 = 8375 v. 6.

982 Capuae, in amphitheatro, basis marmorea (vetustior, ut videtur, quam titulus); in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 387



0,020

0,030

Administrante Romano iun(iore) sacerdote | feriale domnorum sic: | III non(as) Ian(uarias) vota e. q. s. . . . . . . *ius-sione domnorum felix votum | sollicita solvit X kal(endas) Decembr(es) | Valentiniano III et Eutropio*


CIL X 3792 vv. 1 et 14.

III

ACTA COLLEGII FRATRVM ARVALIVM

Longe omnium maximi et ambitus et momenti exempla scripturae actuariae urbanae marmori incisae inde ab excessu divi Augusti ad Gordianum acta Arvalium praebent. Itaque ut quam plenissimam horum exemplorum syllogen proponerem operam dedi. Praeter fragmenta actorum antiquissimorum, i. e. aetatis Augustae Tiberianaeque (CIL VI 2023), perierunt acta a. 77 (CIL VI 2055), a. 119 (CIL VI 2079), a. 139 et 145 (CIL VI 2084 2085), a. 164 ad 169 (CIL VI 2092), a. 231 (CIL VI 2108); aliorum fragmenta tantum exigua supersunt, quae omittenda erant (CIL VI 2052 2053 2054 2061—2063 2069 2069*a* 2072 2073 2077 2082 2088—2090 2096—2098 2101 2110 2112 2115—2119); paucorum ectypa aut comparari non potuerunt aut nimis evanida sunt, scilicet a. 33—36 (CIL VI 2025), a. 58/59 (CIL VI 2041), a. 117 (CIL VI 2076), a. 241 (CIL VI 2114). Reliquorum omnium exhibui exempla plus minus quinquaginta numero. Praeclare illa demonstrant, quod quicumque acta diligentius inspexerunt non potuerunt non intellegere, scilicet scripturam actuariam in monumentis hisce sensim ad scripturae cursivae formas deflectere. Etiam ubi praescriptiones aliaque maioribus quam reliqua litteris scripta sunt, plerumque illa a forma actuaria vix recedunt (cf. n. 986 991 995 997 1001 1008 1009 1012), raro monumentali scripturae similiora sunt (ut in n. 990 1002 1007). In textu minoribus litteris exarato iam inde a saeculo primo medio formae cursivae vel paene cursivae observantur, ut ʌ (n. 987) et a saeculo primo exeunte ϛ (n. 995 999); Λ linea transversa carens frequens est inde ab aetate Neroniana (n. 989 992 993 994 998 1003 1005 1012); interdum litterarum pictarum, ut V rotundatae, formae reperiuntur, veluti aetate Domitiani (n. 1003 1005). Maiore in universum cura scripta sunt aetatis Traianae documenta quaedam (n. 1006 1007); sed inde a saeculo fere altero medio quadratariorum neglegentia in dies crescit (vide n. 1013 1016) et ab aetate Commodiana, si quaedam excipiuntur litteris exiguis sed non malis scripta (ut n. 1020), in meram barbariem delabitur (cf. n. 1019 1022 1023 1025), cuius insigne exemplum est carmen celeberrimum insertum actis a. 218 (n. 1024), quod eo minus putavi omittendum esse, quia imago a Ritschelio proposita non usquequaque visa est satisfacere.

983 Romae, acta aetatis Tiberianae (1/3).

a. 27  0,009

cum inscriptio]*ne quae infra est:* | [*pro s*]*alute* | [*Ti. Caesaris divi Aug. f. Augusti pon*]*tificis maximi tribunicia* | [*potestate cos. p. p. et Iuliae August*]*ae matris eius, anni* [*illius* ...]

CIL VI 2024*f* vv. 10—13. Eiusdem fragmenti specimen est apud Henzenum *relazione* tav. I 1.

---

984 Romae, acta aetatis Tiberianae; in museo Neapolitano (1/3).

a. 37  0,009


[*Paullus Fab*]*ius Persicus Cn. Domitius*
a. d. X k. Febr. *in Capitolio*
[*Taurus Stat*]*ilius Corvinus magister fratrum A*[*rvalium*

CIL VI 2027 vv. 6—8.

---

985 Romae, acta aetatis Gai Caesaris (1/3).

(*a*)

a. 38  0,007

Iuno regina quae in verba Iovi o. m. bove aurato vovi esse

(*d*)

 0,007 0,023

adfuerunt .... *M. Fu*]*rius Camillus Appius Iunius Silanus*
Ser. Asinio Celere, -. Non]*io Quinctiliano cos.*

CIL VI 2028*a* v. 7 et *d* vv. 16. 17; specimen dedit Henzen *relazione* tav. I 2.

986 Romae, acta aetatis Gaii Caesaris; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 39



0,018
0,015


C. Caesare Aug(usto) [Germ]anico II | *L. Apronio Ca[esia]no co(n)s(ulibus)* | *Appius Iunius Silanus mag(ister) fratr(um) Arval(ium)*

CIL VI 2029*ab* vv. 2. 3.

---

987 Romae, acta aetatis Claudiae; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

c. a. 43-48



0,010

Minervae vacca[m] | .... *divo Augusto bovem [marem]*

CIL VI 2033 vv. 1. 2.

---

988 Romae, acta aetatis Neronianae ($\frac{1}{3}$).

a. 57



0,017
0,014


C. Vipstanus Apronianus magister M. Valerius | *Messalla Corvinus desig(natus) co(n)s(ul) Sulpicius Camerinus*

CIL VI 2039 vv. 1. 2.

---

989 Romae, acta aetatis Neronianae ($\frac{1}{3}$).

a. 58




0,010

[L. Salv]ius Otho Titianus mag(ister) M. Valerius [Messalla Corvinus co(n)s(ul)] ...
[T. Sextiu]s Africanus

CIL VI 2040*f* vv. 26. 27.

990 Romae, acta aetatis Neronianae; partim Romae, partim in museo Neapolitano (¼).

a. 59



0,029 0,012

[*T. Sex*]*tio Africano, M. Ostorio Scapulá co*(*n*)*s*(*ulibus*), | *III idus Septembr*(*es*) | [*L. Piso L. f*(*ilius*) *ma*]*gister collegii fratrum Arvalium nomine immolavit in Capitolio pro* | [*salute et r*]*editu Neronis Claudi Caesaris Aug*(*usti*) *Germanici Iovi bovem marem, Iunoni* | e. q. s.


CIL VI 2042*bc* vv. 33—36; specimen dedit Henzen *relaz.* tab. I 3.

---

991 Romae, acta aetatis Neronianae; in museo Neapolitano (¼).

a. 60

v. 15 0,028 v. 16 0,022 v. 17 0,017 v. 18 0,022




Nerone Claudio divi Claudi f(*ilio*), *Germánici* | *Caesaris n*(*epote*), *Ti. Caesaris Aug*(*usti*) *pro n*(*epote*), *divi Aug*(*usti*) *ab nep*(*ote*) | *Caesari Aug*(*usto*) *Germánico, pont*(*ifici*) *max*(*imo*), *trib*(*unicia*) *pot*(*estate*) *VII, imp*(*eratori*) *VII, co*(*n*)*s*(*uli*) *IV, Cosso Lentulo Cossi filio co*(*n*)*s*(*ulibus*) | *k*(*alendis*) *Ianuár*(*iis*) | *Sulpicius Camerinus magister collegi frátrum Arválium nomine immolavit in Capitolio ob* | *co*(*n*)*s*(*ulatum*) *Neronis Claudi Caesaris Aug*(*usti*) *Germanici Iovi b*(*ovem*) *m*(*arem*) e. q. s.

CIL VI 2042*e* vv. 15—20.

---

992 Romae, acta aetatis Neronianae; in museo Neapolitano (⅓).

c. a. 62




0,012

XIII kal(*endas*) *Iun*(*ias*) *domi* | *in collegio adfuerunt* | *L. Salvius Otho Titianus* | *A. Vitellius, Q. Tillius* | *Sassius*

CIL VI 2046 vv. 6—8.

993 Romae, acta aetatis Neronianae (1/3).

a. 66



0,015
0,009


[T.] *Sextius Africanus, Q.* | [*Tillius Sassius ..... piaculum factum o*]*b arborem, quae ceci*|[*derat in luco deae Diae, per kalatorem et publicos porcam et .... agna*]*m opimam. Isdem co*(*n*)*s*(*ulibus*) | e. q. s.
M. Arruntio [*Aquila, ... co*(*n*)*s*(*ulibus*)] | *reddito sacrifici*[*o, quod ... fratres Arvales voverant ob detecta nefariorum con*]|*silia, magisteri*[*o imperatoris Neronis Claudi Caes*(*aris*) *Aug*(*usti*) *II patris patriae* e. q. s.

CIL VI 2044*c* vv. 20—22; specimen dedit Henzen *relaz.* tab. I 4.

---

994 Romae, acta anni Othoniani; in museo Capitolino (1/3).

a. 69 v. 46 0,013 vv. 47. 48 0,010




Imp(*eratore*) *M. Othone Caesare Aug*(*usto*), *L. Salvio Othone Titiano II co*(*n*)*s*(*ulibus*) | *III k*(*alendas*) *Febr*(*uarias*) *mag*(*istro*) *imp*(*eratore*) *M. Othone Caesare Aug*(*usto*), *promag*(*istro*) | *L. Salvio Othone Titiano, colleg*(*i*) *fratrum Arval*(*ium*) *nomine im*|*molavit in Capitolio ob vota nuncupata* e. q. s.

CIL VI 2051, 7 vv. 46—48.

---

995 Romae, acta aetatis Vespasianae; in museo Capitolino (1/3).

a. 78




0,030
0,018
0,012
0,009

L. Ceionio Commodo | *D. Novio Prisco co*(*n*)*s*(*ulibus*) | *III non*(*as*) *Ian*(*uarias*) | *magisterio C. Matidi Patruini, promagistro L. Veratio Quadrato, col*|*legi fratrum Arvalium nomine vota nuncupaverunt pro salute* | *imp*(*eratoris*) *Vespasiani Caesaris Aug*(*usti*) cet.

CIL VI 2056 vv. 1—4.

996 Romae, acta aetatis Titi; in museo Capitolino (⅓).

a. 80. 81



0,010 · 0,015 · 0,010


Loca adsignata in amphitheatro | L. Aelio Plautio Lamia, Q. Pactumeio Fr[o]ntone co(n)s(ulibus) | acceptum ab Laberio Maximo procuratore praef(ecto) annonae, | L. Vennuleio Aproniano mag(istro), curatore Thyrso l(iberto), | fratribus Arvalibus maeniano I cun(eo) XII gradib(us) marm(oreis) VIII gradu I p(edes) V, | gradu VIII p(edes) V (quadrans semuncia sicilicus): f(iunt) pe(des) XXXXII s(emis), gradu I uno ped(es) XXII s(emis) et m[a]eniano | summo II cuneo e. q. s. .... *gradu | XI ped(es) V (deunx sicilicus): f(iunt) ped(es) LXIII (deunx semuncia). | Summa ped(es) CXXVIIII (deunx semuncia)*

CIL VI 2059 vv. 25—30 et 33. 34 omissis aliquot vocabulis in dextro margine, quae ectypum meum non satis clare exhibuit.

---

997 Romae, acta aetatis Titi; in museo Capitolino (⅓).

a. 81



0,027 · 0,012 · 0,007


L. Flavio Silva Nonio Basso, | Asinio Pollione Verrucoso co(n)s(ulibus) | III nonas Ian(uarias) | magister C. Iúnius Tadius Mefitánus collegi fratrum Arvalium nómine vota nuncupavit | pró salute imp(eratoris) Titi Caésaris e. q. s.

CIL VI 2059 vv. 36—38.

---

998 Romae, acta aetatis Titi (⅓).

a. 81




0,007

L. Pompeio Vopisco, C. Arruntio Catellio Celere in diem XVI k(alendas) Iun(ias) domi, XIV k(alendas) | Iun(ias) in luco et domi, XIII k(alendas) Iuniás domi; in collegio adfuerunt C. Iunius | Tadius Mefitanus e. q. s.

CIL VI 2060 vv. 1. 2.


999 Romae, acta aetatis Domitiani (1/3).

a. 86  0,007

Ser. Cornelio Dolabella, C. Secio Campano co(n)s(ulibus) XI k(alendas) Febr(uarias) magisterio imp(eratoris) Caesaris | Domitiani Aug(usti) Germanici, promag(istro) L. Veratio Quadrato collegi fratrum | Arvalium, vota nuncupaverunt pro salute imp(eratoris) Caesaris Domitiani Aug(usti) Ger(manici): | Iuppiter o(ptime) m(axime) Capitoline si imp(erator) Caesar divi Vespasiani f(ilius) Domitianus Aug(ustus) Germanic(us) | ...... vivat e. q. s.

CIL VI 2064 v. 38.


1000 Romae, acta aetatis Domitiani (1/3).

a. 87  0,007

L. Volusio Saturnino, C. Calpurnio .... co(n)s(ulibus) e. q. s.
Isdem co(n)s(ulibus) XI k(alendas) Febr(uarias) in Capitolio ad vota redd[enda et nuncupanda pro | salute et incolumitate imp(eratoris) Caes(aris) Domitiani Aug(usti) Germanici cet.

CIL VI 2065 v. 70.

1001 Romae, acta aetatis Domitiani (1/3).

a. 89 

0,020 0,010 0,022 0,009


Isdem co(n)s(ulibus) VIII [kalendas Febr(uarias)] | in Capitolio ob laetitiam publicam in te[mplo Iovis o(ptimi) m(aximi) fratres Arvales | Iovi o(ptimo) m(aximo) bovem marem immolarunt cet.
Isdem co(n)s(ulibus) IIII k(alendas) Februarias) | in Capitolio ad vota solvenda et nuncupanda pro salute et re[ditu] | imp(eratoris) Caesaris Domitiani Aug(usti) Germanici fratres Arvales conven[erunt] e. q. s.

CIL VI 2066 vv. 35. 36. 40. 41.

1002 Romae, acta aetatis Domitiani (⅓).

a. 90

v. 1 0,034 v. 2 0,020 v. 3 0,031 v. 4 0,028 v. 5 0,015 v. 6 0,010




[*Imp(eratore) Caesare Domitia*]*no Aug(usto) Germanico XV*, | [*p(ontifice) m(aximo), tr(ibunicia po*]*test(ate) VIIII, censore perpetuo, p(atre) p(atriae)* | [*M. Cocceio*] *Nerva II co(n)s(ulibus)*, | [*magisterio P. Sal*]*lusti Blaesi II* | [*III non(as)*] *Ianuar(ias)* | [*in Capitolio in pronao Iovis o(ptimi) m(aximi)* ....]*rus frater Arvalis ad collegium fratrum Arvalium rettulit: cum di inmortales* e. q. s.

CIL VI 2067 v. 1—6.

1003 Romae, acta aetatis Domitiani; in sacrario basilicae Vaticanae (⅓).

a. 91




0,010

Praecedebant acta votorum III nonas Ianuarias susceptorum; sequitur carmen, in quo post alia haec sunt:
[*Mi*]*nerva, quae in verba Iovi o(ptimo) m(aximo) bovem auratam vovimus esse futuram*, | *quod hodie vovimus, astu ea ita faxsis, tunc tibi in eadem verba* | *nomine collegi fratrum Arvalium bovem auratam vovemus* | *esse futuram* e. q. s.

CIL VI 2068 v. 15—17.

1004 Romae, acta aetatis Domitiani; in museo Neapolitano (⅓).

a. incerti



0,008

... *vovemus esse futurum* | [....... *b*]*ove aurato vovimus esse futu*[*rum* ...... | *astu ea ita f*]*acxis, tunc tibi in eadem verba* | [.... *bo*]*ve aurata vovimus esse futurum*

CIL VI 2070 vv. 6—8.

1005 Romae, acta aetatis Domitiani; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. incerti 0,009




[Pueri senatorum fili patrimi matrimi praetextati cum cala|toribus et publicis ad] aram retulerunt | *[IIII k(alendas) Iun(ias) sacrum deae Diae in l]ucó eius magisterio Ti. Tutini* | *Severi* e. q. s.
summoto supra car[cares ascendit et] | *signum quadrigis e[t desultoribus misit* e. q. s.

CIL VI 2071 paginarum duarum vv. 1. 2.

1006 Romae, acta aetatis Traiani ($\frac{1}{4}$).

a. 101 0,011 0,010




Q. Servaeo Innocente M. Maecio Celere co(n)s(ulibus) | *VI k(alendas) Mai(as) in luco deae Diae arbores expiatae, quod vetustate vel vi maiori deciderant, porcis et agnis* cet.

CIL VI 2074 vv. 73. 74; specimen dedit Henzen *relaz.* tab. II 10.

1007 Romae, acta aetatis Traiani ($\frac{1}{3}$).

a. 105 v. 1 0,047 v. 2 0,040 v. 3 0,037 v. 4 0,042 v. 5 0,032 v. 6 0,018 v. 7 0,017 v. 5—8 dextr. 0,015




[Ti. I]ulio Can[di]do Mario Celso II, | *[C. A]ntio A. Iulio Quadrato II co(n)s(ulibus),* | *magisterio* | *M. Valeri Tre[bi]ci Decia[ni]* | *III non(as) Ianuar(ias)* | *in Capitólio ad vóta solvenda et nuncup(anda) pro sa[lute]* | *imp(eratoris) Caésaris Nervae Traiani Aug(usti) Germanici* | *Dacici fratrés Arvalés convenerunt*
[In colleg(io)] adfuerunt M. Valerius Trebi[cius Decianus, L. Maecius | *Po]stumus, Ti. Iulius Candidus M[arius Celsus, P. Metilius* | *Sab]inus Nepos, Ti. Iulius Candidus, Q. Fulvius [Gillo Bittius* | *Proculus, Ti. Catius Caesius Fronto, C. Antius A. Iúlius Quadratus, C. Caecilius Strabo*

CIL VI 2075 vv. 1—8; specimina dedit Henzen *relaz.* tab. II 12. 12*a*.

1008 Romae, acta aetatis Hadriani (1/3).

a. 118



0,019
0,007


Isdem co(n)s(ulibus) VII id(us) Ian(uarias) | in pronao aedis Concordiae ad sacrificium deae Diae indi|cendum fratres Arvales convenerunt, ibique M. V[*alerius Trebicius Decianus* e. q. s. . . . *indixit* cet.

CIL VI 2078 I vv. 9—11; specimen dedit Henzen *relaz.* tab. II 13.

1009 Romae, acta aetatis Hadriani (1/4).

a. 120

v. 8 0,022 vv. 9. 10 0,007




L. Catilio Severo II, T. Aurēliō Fulvō co(n)s(ulibus), III no[*n(as) Ian(uarias)*] | *in Capitōliō votorum nuncupandorum causa pro salute imp(eratoris) Caesaris divi Traiani Parthici Hadrian*[*i fili*], *divi Nervāe nepotis, Traiani Hadriāni Aug(usti) fratres Arvāles convēnērunt, C. Vitorius Hosidius Geta* [*magister*] | cet.

CIL VI 2080 vv. 8—10; specimen dedit Henzen *relaz.* tab. II 14.

1010 Romae, acta aetatis Hadriani (1/3).

a. 122



0,010
0,007

[*A. Larcio M*]*acedone,* [. . . . . *Verre co(n)s(ulibus) VI k(alendas) Iun(ias)* | *in domum C. Vitori Hosi*]*di Getae per P. Cor*[*nelium Geminum magistrum fratres Arvales praetextati deae Diae ture* | *vino fecerunt, ibiq*]*ue discumbente*[*s* e. q. s.

CIL VI 2081*a* vv. 8—10.

1011 Romae, acta aetatis Hadriani (1/3).

a. 130




0,014
0,009

Q. Fabio Catull[*ino, M. Flavio Apr*]*o co(n)s(ulibus) VIIII k(alendas) M*[*artias* | *i*]*n luco deae Diae pia*[*culum factum ob ferrum in*]*latum script(urae) et sca*[*lpt(urae)*] cet.

CIL VI 2083*a* vv. 1. 2.

1012 Romae, acta aetatis Pii ($\frac{1}{3}$).

a. 155




0,038 0,008 0,007 0,010 0,013 0,012 0,015 0,021

C. Iulio Severo, [*M. Iunio*] | *Rufino co(n)s(ulibus) III* [*non(as) Ian(uarias)*], | *magisterio Avilli Qua*[*drati*] | *per promag(istrum) M. Fulvium Apronianum* | *in Capitolio votorum nuncupandorum causa pro salute imp(eratoris) Caesaris Titi Aeli* [*Hadriani*] | *Antonini Aug(usti) Pii p(atris) p(atriae) fratres Arvales convenerunt, M.* [*Fulvius*] | *Apronianus pro mag(istro), M. Valerius Homullus L. Claudiu*[*s Modestus*], | *M. Fabius Iulianus Heracl*[*e*]*o Octavianus, M. Val(erius) I*[*unianus*], | *C. Iulius Maximus, Ti. Claudius Agrippinus.* | *Isdem co(n)s(ulibus) VII idus Ian(uarias)* e. q. s. | *Isde*[*m*] *co(n)s(ulibus) X*[*IIII k(alendas) I*]*un*[*(ias)*] | e. q. s.

CIL VI 2086 vv. 1—10. 31.

1013 Romae, acta aetatis Pii ($\frac{1}{3}$).

a. 155




0,011 0,018 0,007

. . *in locum Carpi publici . . . . substitutus est Epictetus Cuspianus publi*]|*cus ex litteris M. Fulvi Aproniani promagistri.* | *A. Avillio Urinatio Quadrato,* | *Straboni Aemiliano co(n)s(ulibus)* | *pridie idus Mart(ias)* | *piaculum factum ob ferrum inlatum scalpturae magisterio Avilli Quadra*|*ti* e. q. s.

CIL VI 2086 vv. 66—70. Appendix actorum praecedentium litteris neglegentioribus scripta.

1014 Romae, acta aetatis Pii; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

c. a. 165




0,008

in Palatio in divorum [fratres Arvales convenerunt ad consummandum] | sacrum deae Diae, ibiq[ue e. q. s.

CIL VI 2087 vv. 3. 4.

1015 Romae, acta aetatis Marci; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 161-169




0,012

Quod bonum faustum [felix cet. *sit imp(eratori) Caes(ari) M. Aurelio Antonino Aug(usto)* | cet. .... *et L.] Aurelio Vero Aug(usto) trib(unicia) potest(ate)* cet.

CIL VI 2091 vv. 1. 2.

1016 Romae, acta aetatis Marci ($\frac{1}{3}$).

a. 169-177




0,009

[I(uppiter) o(ptime) m(axime), si r(es) p(ublica) p(opuli) R(omani) Q(uritium) cet. .... *natione]s, quae sub d[i]cione p(opuli) R(omani) Q(uiritium) sunt, inco[lumes | erunt acta a(nte) d(iem) III non(as) Ian(uarias), quae proximae .... rei pu]blicae p(opuli) R(omani) Quiritibus erunt, et im[peratorem .... servaveris* e. q. s.

CIL VI 2093 vv. 4. 5.

1017 Romae, acta aetatis Marci ($\frac{1}{3}$).

a. inc. post a. 169




0,010

imperium Roma]num, exsercitus, so[cii, nationes | quae sub d]icionem p(opuli) R(omani) Q(uiritium) su[nt e. q. s.

CIL VI 2094 vv. 3. 4.

1018 Romae, acta aetatis Marci; in museo Kircheriano ($\frac{1}{3}$).

a. inc. post a. 169



0,010

[In luco deae D]iae Ti. Iulius Frugi promag(ister) [ad aram in]mola[vit porcas piaculares duas luci | coinquiendi] et operis faciundi, ibique vaccam honorariam albam ad focu[lum deae Diae inmolavit. Deinde | sacerdotes in te]trastylo consederunt [e]t ex sacrificio epulati sunt sumptis[que praetextis cet. .. *lucum* .... *ascenderunt* e. q. s.

CIL VI 2095 vv. 2. 3.

1019 Romae, acta aetatis Commodi; in museo Capitolino (⅓).

a. 183 — 0,009



L. Tutilio Pontiano Gentiano co(n)s(ule) VI id(us) Februarias | in luco deae Diae Q. Licinius Nepos mag(ister) .... immolavit suovetaurilibus maioribus; item ad aedem deae | Diae .... | Marti arietes altilaneos II, Iunoni deae Diae oves II, sive deo sive deae oves II, | Virginibus divis oves II, Famulis divis verbeces duos, Laribus verbeces duos e. q. s.

CIL VI 2099 pag. II vv. 1. 2.

1020 Romae, acta aetatis Commodi. Ex imagine Descemetii (⅓).

a. 186 — 0,006 — 0,009




[I]sdem co(n)s(ulibus) [VII id(us) Ian(uarias) | .... T. Fl(avius) Sulpicianus promag(ister) ....: quod bonum faustum felix fort]unatum salutareq(ue) sit imp(eratori) Caes(ari) M. A[urelio Commodo | cet. ..... *divi Traiani Parthici abnepo]t(i), divi Nervae adnepoti, senatui, p(opulo) R(omano) Q(uiritibus) [fratribusque | Arvalibus, sacrificium] deae Diae hoc anno erit ante diem VI k(alendas) Iu[n(ias) Romae* e. q. s.
.............vo, L. Novio Rufo co(n)s(ulibus) VI k(alendas) Iun(ias) | e. q. s.

CIL VI 2100*a* vv. 9. 10 et 13. Imaginem, sed rudi arte factam, totius fragmenti exhibet Car. Descemet *Mémoire sur les fouilles exécutées à Santa Sabina* (1855—1857) in *Mémoires présentés par divers savants à l'Académie des Inscriptions et Belles-lettres sér. I tom. VI* (Paris 1864 4.) p. 201.

1021 Romae, acta aetatis Pertinacis (⅓).

a. 193 — 0,011




[Adf(uerunt) in collegio Q. Clodius Ru]finus mag(ister), T. Fl(avius) Sul[picianus ....] | *P. Petron(ius) Priscus*

CIL VI 2102 vv. 6. 7.

1022 Romae, acta aetatis Caracallae, in eadem tabula infra acta a. 155 exarata (⅓).

a. 213 — 0,007




[XIIII kal(endas) Iun(ias) in luco deae Diae L. Armenius Peregrinus praet(or) pro mag(istro) ad aram immolavit porcilias piaculares] | *n(umero) II luci coinquiendi et operis faciundi, ibique baccam honorariam immolavit. Sacerdotes in tetrastulo praetextat[i]* | *conseder[u]nt et porcilias piaculares epulati sunt, et postea ad lucum deae Diae adscenderunt et per L. Armenium [Peregrinum .... agnam opimam immolaverunt]* e. q. s.

CIL VI 2086*b* vv. 1—2.

1023 Romae, acta aetatis Caracallae; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 214 0,007




[*In Capitolio ante cellam Iunonis reginae*] *fratres Arvales convenerunt ad* | [*vota solvenda et nuncupanda, quod domi*]*nus n*(*oster*) *imp*(*erator*) *Caes*(*ar*) *M. Aurellius Antoninus Pius Felix Aug*(*ustus*) e. q. s. *salv*[*us atque incolumis pro securitate provin*]*ciar*(*um*) *felicissime ad* [*h*]*iberna Nicomediae ing*[*r*|*essus sit, et immolavit C. Sulpicius Polli*]*o promag*(*ister*) *vice M. Iuli Gessi Bassiani mag*(*istri*) | e. q. s.

CIL VI 2103*b* vv. 5. 6.

1024 Romae, acta aetatis Elagabali; in sacrario basilicae Vaticanae ($\frac{1}{3}$)

a. 218 0,009




Ibi sacerdotes clusi, succincti, libellis acceptis, carmen descindentes tripodaverunt in verba haec: enos Lases iuvate, | [*e*]*nos Lases iuvate, enos Lases iuvate; neve luaerve Marma sins incurrere in pleores, neve luerve Marmar* | [*si*]*ns incurrere in pleoris, neve luerve Marmar sers incurrere in plèoris; satur furere Mars limen* | [*sa*]*li sta berber, satur fufere Mars limen sali sta berber, satur fufere Mars limen sali sta berber;* | [*sem*]*unis alternei advocapit conctos, semunis alternei advocapit conctos, simunis alternie advocapit* | [*conct*]*os; enos Marmor iuvato, enos Marmor iuvato, enos Mamor iuvato; triumpe triumpe triumpe trium*|[*pe*] *triumpe*

CIL I 28; PLME tab. XXXVI *A* = CIL VI 2104 vv. 33—37.
V. 36 ex. ALTERNIE est pro ALTERNEI, nam E et I saepe non distinguuntur. V. 37 med. MAMOR pro MARMOR quantum video lapis, certe ectypum.

1025 Romae, acta aetatis Elagabali in eadem tabula, quae acta continet a. 90 (supra n. 1002), postea adiecta ($\frac{1}{3}$).

a. 219 0,009




XIII k(*alendas*) *Iun*(*ias*) | *in domum P. Aeli Secundini mag*(*istri*) *fratr*(*es*) *Arval*(*es*) *ad consumm*(*andum*) *sacrific*(*ium*) *deae Diae convenerunt* | *et epulati sunt et ture et vino fecerunt ministrantib*(*us*) *puer*(*is*) *patrim*(*is*) *et matrim*(*is*) *senator*(*um*) | *filis, qui supra. Fruges livatae sunt. Per calatoribus ministrantibus et per pueros praetex*|*tatos cum publicis ad aram retulerunt, deinde lampadibus incensis pariter tusc*[*anic*]*as* [*contigerunt* cet. ......

CIL VI 2067*b* vv. 16. 17. Specimina sunt apud Henzenum *relaz.* tab. I 9*b*.

1026 Romae, acta aetatis Elagabali; in sacrario basilicae Vaticanae ($\frac{1}{3}$).

a. 220




0,011

Grato et Seleuco co(n)s(ulibus) VII id(us) Mai(as) | *piaculum factum mag(isteri) II Fl(avi) Archelai* | *in luco deae Diae ob ferri inlatione scripturae et scalpturae marmoris* e. q. s.

CIL VI 2105 vv. 6. 7. V. 7 MAG · II lapis.

1027 Romae, acta aetatis Elagabali ($\frac{1}{3}$).

a. 221




0,009

[Imp(eratore) Caes(are) M. Aur(ellio) Antonino Aug(usto) IIII, M. Aur(ellio) Severo Alexandro Caesar]e Aug(usto) co(n)-s(ulibus) XVI kal(endas) Maias piac[ulum factu]m mag(isteri) [Aeli Secundini II, | *in luco deae Diae ferru]m inferendi scripturae et sca[l]ptur[ae mar]m(oris) per Ael[ium Secundinum? c(larissimum) v(irum)* e. q. s.

CIL VI 2106*b* vv. 4. 5. Versuum divisio incerta.

1028 Romae, acta aetatis Severi Alexandri; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 224




0,010

IIII id(us) Dec(embres) fratres Arval(es) deae Diae via Campana cet. ...|... *immolav(erunt)* .... | *(quod) in eo luco sacro aliae sint repositae et arae temporal(es) refectae, ferri* | *[effer(endi) huius oper(is) perfe]cti causa lustrum missum suovetaurilib(us) maioribus* | *et cetera q(uae) s(upra)*

CIL VI 2107*b* vv. 17. 18.

1029 Romae, acta aetatis Severi Alexandri ($\frac{1}{3}$).

a. inc. post a. 231




0,007

... *coniunct lacte iocin fa* ...|.. *anis super caespite fecer(unt). Ite[m* ...

CIL VI 2109 vv. 2. 3. Supplementa certa non suppetunt.

1030 Romae, acta aetatis Severi Alexandri; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. inc. post a. 231




0,011

[VII id(us) Ianuar(ias) | cet. ... *quod bonum faustum* | cet. *sit imp(eratori) Caes(ari) M. Aur(ellio) Seve]ro Alexandro [....., divi Magni Ant]onini P(ii) f(ilio), divi S[everi nepoti et Iuliae Mammaeae Aug(ustae) m]atr(i) Aug(usti) n(ostri) et cas]trorum* e. q. s.

CIL VI 2111 vv. 3. 4.

1031 Romae, acta aetatis Severi Alexandri ($\frac{1}{3}$).

a. inc. post a. 231




0,009

In dies singul(os) [denarios | ex] litteris

CIL VI 2112 vv. 1. 2.

1032 Romae, acta aetatis Gordiani; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 238



0,007

VI idu[s Iun(ias) ... in Capitolio an]|te cellam Iunonis r[eginae vota annua suscepta] | in III non(as) Ian(uarias) quae [proximae p(opulo) R(omano) Q(uiritibus) ... erunt e. q. s.

CIL VI 2113 vv. 1—3.

CAPVT TERTIVM

ACTA MONVMENTIS ADSCRIPTA

Composuimus capite huius partis secundo exempla actorum maioris ambitus lapidibus inscriptorum. Extant vero praeterea non pauca alius generis acta, quae et ipsa sive integra sive ex parte lapidibus inscripta sunt occasionibus variis. Vetusta enim actorum in aere incidendorum consuetudo postquam neglegi coepta est, ut vidimus, in fastis calendariis actisque collegiorum lapidi inscriptis, minus etiam servata est tum, cum varias ob causas singula tantum acta una cum monumentis inscribere placuit. In aedibus sacris acta ad rem divinam pertinentia, in monumentis honorariis senatus consulta sive decreta referenda ad honores eorum, quorum memoriae illa dedicata erant, in sepulcralibus orationes funebres, testamenta aliaque instrumenta inde ab Augusti aetate frequentius in dies inscribi solebant. In universum acta haec monumentis adscripta eo potissimum differunt a monumentorum ipsorum titulis, quod litteris utuntur necessario multo quam illa minoribus; inde quasi sponte effectum est, ut actorum voluminumque scripturae similiora evaserint. Raro scripturam exhibent proprie monumentalem; videlicet ibi tantum, ubi in operibus magnis tectonicis, in templis arcubus porticibus, inscripta sunt. Tamen haec ab illis non segregavimus; quidquid actorum lapidi inscriptorum congerere potuimus una exhibere utilius visum est. Neque secundum argumentorum genera ea distribuimus, ut fecimus capitibus duobus praecedentibus; non enim rerum inscriptarum, sed monumentorum, quibus inscribendae erant, indoles materia ambitus scripturae varietatem producebant. Placuit igitur hoc capite, ut in parte prima fecimus, cum temporum ordine in singulis paragraphis observato coniungere locorum distinctionem ita, ut praecederent exempla inscriptionum eius generis urbanarum, sequerentur eadem qua antea serie Italiae provinciarumque. Quanquam enim discrimina scripturae locis singulis adhibitae non admodum magna sunt, tamen ne omnia miscerentur hoc locorum discrimen aptissimum visum est, quod sequeremur. Unum praeterea inscriptionum genus excepimus atque in fine collocavimus locorum, unde provenissent, diversitate neglecta: carmina; quod quibus ex causis fecimus, infra explicatum est. Ultimo denique loco addidimus item extra ordinem monumenta quaedam scriptura unciali scripta: uncialis enim scriptura cum monumentali coniungi nequit, sed origine ad acta pertinet.

I

ACTA MONVMENTIS VRBANIS ADSCRIPTA

Quae hic componere licuit exempla actorum monumentis adscriptorum e maximo sine dubio eiusdem generis numero reliquias exiguas esse non inutile erit hoc loco in memoriam revocare. *Senatus consulti* unius tantum *de ludis saecularibus* a. 47, ut videtur, fragmentum superest (n. 1037), scriptum litteris plane actuariis, quas Accursius 'graphice sculptas' dixisset; ita enim ille testatur de alio aliquo senatus consulto in honorem *Gai Caesaris Augusti filii*, ut videtur, lapidi inscripto, quod periit (CIL VI 894). Reliqua eiusdem generis, quae olim reperta sunt, itemque *lex arae Volcani* a Domitiano publice proposita (CIL VI 826) perierunt. Actorum publicorum vel paene publicorum praeterea exhiberi potuerunt exempla haec: *decreti pontificum* ad sepulcrum spectantis a. 155 (n. 1047), *epistularum ad Adrastum Augustorum libertum* de canaba ad columnam divi Marci aedificanda a. 193 (n. 1051), *interlocutionum praefectorum vigilum* arae Herculi inscriptarum a. 244 (n. 1055), *canonis vinarii*, qui saeculo tertio exeunti tribuitur probabiliter (n. 1057). Vidi praeterea fragmentum rescriptorum duorum imperatoris alicuius *ad Ianuarium libertum* datorum et in sepulcro eius inscriptorum (CIL VI 8619); sed nolui exhibere. Rescriptum bilingue *Severi* ad collegium paeanistarum datum (CIL VI 3770), alterumque *Gallieni* fortasse arae Mithriacae inscriptum (CIL VI 1222), edictum *Tarracii Bassi* praefecti urbi a. 368 (CIL VI 1766), fragmentum alterum (cf. n. 1057) ad *canonem vinarium* pertinens (CIL VI 1784) non vidi; illorum autem omnium fragmenta tantum exigua supersunt. Actuaria deinde scriptura bases aliquot inscriptae sunt,

veluti *Fortunae* a magistris vici alicuius posita a. 753 (n. 1034), a *vicomagistris Hadriano* dedicata a. 136 (n. 1042), a magistratibus et a militibus variorum ordinum imperatoribus positae variae (v. supra n. 476 506).

Cum eis, quae hic proposuimus, scripturae actuariae exemplis praeterea comparanda sunt, quae supra in monumentis urbanis hic illic admixta esse vidimus scripturae reliquae monumentali. Consulum potissimum nomina observavimus ita solita esse adscribi litteris plerumque minoribus ideoque aut plane actuariis aut actuariorum admodum similibus (v. supra p. 329). Sed integra praeterea monumenta iam inde ab Augusti aetate, siquidem maioris ambitus erant lapidique non magno inscribenda, scripturam sequuntur actuariam. Inter antiquissima eius generis quae supra exhibere potuimus monumenta numeranda sunt basis ad *C. Cestii* sepulcrum pertinens (supra n. 46) et tabula ad *murum Iunonis Lucinae* spectans (n. 47). Scriptura monumentorum eorum inter pictam et actuariam quasi medium locum obtinet; etiam in titulo sepulcrali aetatis Augustae (n. 68) similis litteratura observatur. Sed rara haec sunt. Saeculo autem primo versus finem vergente aliquanto saepius in monumentis observatur scriptura actuaria neglegens et paene vulgaris, ut in titulo sepulcrali negotiatoris vinarii a. c. 68 (n. 90), in basi exigua Fortunae Primigeniae a Neronis liberto aliquo posita (n. 95), in titulo sepulcrali aetatis Claudiae (n. 98).

E titulis saeculi alterius actuariam scripturam elegantem pictaeque similem habent basis Hadriani (n. 268) litteris scripta non magnis (0,036), arae votivae aliquot parvae (n. 277 278), protome M. Aurelii iuvenis (n. 281), cippus a. 150 (n. 288), tabellae ad aediculam Genii centuriae alicuius vigilum pertinentes, dedicatae a. 156 (n. 290) et a. 181 (n. 302 303) araeque similis argumenti a. 174 (n. 299), Iovis Dolicheni a. 191 (n. 488), Silvani (n. 491). Saeculo altero ad finem vergente frequentiores fiunt dedicationes illae exiguae militares scriptae litteris parvis actuariis (ut n. 302 303) titulique sepulcrales similes (ut n. 306 310 492).

Consentaneum est in laterculis matriculisque lapidi incisis actuariam scripturam in usu fuisse: exhibuimus eius generis exemplum unum ex basi Vespasiani a. 70 (n. 238), alterum a. 113 (n. 266), in quo munera militum nominibus eorum adscripta sunt litteris minimis planeque actuariis. Eiusdem generis latercula habent praeterea bases duae notissimae a *cohorte V vigilum* positae a. 210, servatae in villa Matthaeorum (CIL VI 1057 1058), quorum supra iam mentionem fecimus (p. 159), atque basis a. 212 partim Florentiae partim Veronae extans (CIL VI 1063) alteraque Florentina ei simillima (CIL VI 1064). Exhibui scripturam *laterculi unius* ex numero illo, quod pertinet ad a. 205 (n. 1054).

E numero laterculorum reliquorum sive militarium sive collegiorum, quae extant, non exiguo selegi exempla aliquot potissimum e laterculis militum praetorianorum petita et ad annos 144 156 198 spectantia (n. 1043 1048 1052). Alia quae cum fastorum maxime scriptura componenda sunt, omisi; veluti ad *collegium* aliquod pertinentia *coniunctum cum aerario Saturni* annorum 15 ad 81 (CIL VI 1495 1496), *calatorum pontificum* a. 101 et 102 (CIL VI 2184 2185); item militaria a. 114 ad 119 (CIL VI 2375), a. 137—142 (Ephem. epigr. IV p. 305 n. 886 887), a. 150 (CIL VI 2381*a*), a. 168 (CIL VI 3559), a. 183/84 (Ephem. epigr. IV p. 310 n. 891), a. 197/98 CIL VI 2384 et 3884), a. 227 (CIL VI 2799), aliaque annorum incertorum (Ephem. epigr. IV p. 329ss. n. 896 897). Eius generis acta olim, ut facile credideris, in cera scribi solita esse videtur docere titulus urbanus quondam nunc Panhormitanus, in quo *cera Candidiana* memoratur, i. e. matricula turmae equitum singularium (Ephem. epigr. IV p. 264 n. 739); unde scriptura eorum actuaria aliqua ratione explicatur.

Etiam quae in monumentis sepulcralibus servata sunt latercula, veluti *collegii* alicuius *funeraticii* saeculo, ut videtur, primo exeunti ineuntive alteri tribuendum (n. 1046), item *collegii Silvani Aureliani* cum titulo restitutionis a. 177 (n. 1049), denique a *paedagogis puerorum a capite Africae* a. 198 positum, quod supra exhibui (n. 471), aliaque eius generis scripta sunt similiter. Interdum scriptura paene cursiva utuntur, veluti musei Kircheriani unum nondum in CIL VI editum (in catalogo n. 185 insignitum). Cum affectata quadam elegantia scriptum est *laterculum legionum* (n. 1056) aetatis Severianae, ut videtur, nisi forte etiam recentius est. Recentissimum omnium, quod adhuc innotuit, *corporis tabernariorum* inter a. 402 et 408 incisum (CIL VI 9920) non vidi.

Quae monumentis sepulcralibus inscripta reperiuntur acta varie scripta sunt, ut dixi, secundum monumentorum ipsorum indolem magnitudinem aetatem. Antiquissimum eius generis monumentum, cuius exemplum proferre licuit, *laudatio Turiae* (n. 1033) paullo ante Chr. n. scripta, litteras habet actuarias optimas. Neque multo deteriores exhibet *decretum collegii alicuius funeraticii* a. 5 insculptum (n. 1035); conferantur cum eo tabella columbarii a. 12 *Titiae T. l(ibertae) Phoebenis* (Orell. 4717) multaeque aliae eiusdem generis. Litteraturam praeterea similem, quamvis paullo recentiorem, sed tamen saeculi omnino primi, titulus habet *Erotis Aug(usti) l(iberti)* alicuius (CIL VI 10250). Paullo aliter, sed et ipsa accurate scripta sunt monumenta saeculo fere recentiora, quae sequuntur: *testamentum Dasumii* a. 108 (n. 1039) et *stipulatio* quaedam a. 111 (n. 1041); minus eleganter defuncti alicuius *adlocutio ad contribules* a. circiter 60 (n. 1038) et *monumentum sepulcrale* a. 110 (n. 1040).

A saeculo inde altero medio etiam scriptura actuaria minuta, similiter atque maior monumentalis, gracilior fit cornibusque rotundis ornatur; ut docent *lex collegii Aesculapii et Hygiae* a. 153 (n. 1044), *donatio Iuliae Monimes* fere coaeva, ut videtur (n. 1045); neque multum differunt saeculi secundi exeuntis tertiique documenta, quae supra iam memoravi (n. 1049 1055). Contra *dedicatio Castorum* mensoribus frumenti publici facta a M. Aelio Rustico rectore a. 198 (n. 1053) eadem fere neglegentia scripta est, qua adlocutio a. 60 (n. 1038). Aliquanto melius, sed tamen ita, ut scriptura actuaria ad cursivam interdum delaberetur, id quod supra in actis Arvalium saepius observavimus (p. 343), scripti sunt tituli sepulcrales aetatis minus certae, sed saeculi omnino secundi exeuntis tertiive *N. Fadii Hermetis* (n. 1059) et *Aelii Polycronii* (n. 1060). Quibuscum conferantur tituli a. 149 similes (supra n. 285 286 287 CIL VI 8821).

Eadem denique scriptura parva actuaria scripti sunt *tituli votivi et sepulcrales* minoris ambitus innumeri, quorum supra aliquot exhibuimus exempla (n. 321 Ostiis, urbana n. 501 504 506). Bases parvae vel tabellae votivae potissimum et sepulcrales multae eius generis extant, ut e. c. *aedicula Iovis* aliorumque deorum a. 139 inscripta (CIL VI 401), parva basis *Gordiani* (CIL VI 1094), aliae. Unum eius generis hic addidi *fulguris titulum*, quales per totam Italiam non raro inventi sunt, musei Florentini (n. 1061): scripturam enim actuariam puram illustrat. In *tabellis columbariorum* urbanis saeculi primi et alterius ineuntis actuaria scriptura sollemnis est, ita ut illae paene nullatenus differant ab actorum ipsorum aeri lapidive incisorum exemplis optimis. Non opus est exempla proferre e turba paene innumera-


bili; pauca tantum memoro, quae etsi scriptura actuaria, neglegentius tamen scripta sunt, ita ut paene ad vulgarem cursivamque scripturam vergant (CIL VI 8456 8705 9841 10241). Similiter interdum postea adiecta in titulis litteris minoribus scripta sunt scripturaque plane actuaria, saepe neglegenti, ut illud *Marcio semper ebria* in noto villae Albaniae titulo (CIL VI 9501; cf. etiam infra n. 1040).

Ad scripturam eam melius diiudicandam hic pauca tantum apposui exempla: scilicet protomarum duarum in urbe repertarum subscriptiones *Q. Hortensii* oratoris clari alteram (n. 1036), de qua H. Iordan dixit (in annalibus instit. archaeol. LIV a. 1882 p. 61 ss.), alteram *Cethegi* alicuius viri saeculo quarto exeunte florentis (n. 1058), quarum illa quamvis non aequaliter, sed tamen elegantia quadam scripta est vel Graeca vel graecissante in cornibus litterarum, nisi fallor, conspicua; haec ingruentem iam barbariem non dissimulat.

Ab aetate Diocletiani Constantinique *elogia virorum clarorum* ut verbosiora fiebant in dies, ita etiam minoribus semper scripta sunt litteris atque omnino speciem prae se ferunt paginarum calamo exaratarum atque ex codice aliquo in lapides translatarum modulo fere duplici. Statuarum bases non raro acta habent inscripta integra; ut *Symmachi* illa a. 377, quam *imperatores constitui adposita oratione iusserunt, quae meritorum eius ordinem ac seriem contineret* (CIL VI 1698). Exempla eius generis exhibuimus supra p. 248 ss. (n. 730—751); varia in illis scripturae actuariae genera magis minusve pulchra distinguuntur.

1033 Romae, fragmenta tabularum marmorearum; in villa Albania (c. ⅔).

inter a. u. 746 et 752




0,014
0,020

Quid ego nunc interiora [*no*]*stra et recondita consilia s*[*ecreto pectoris*] | *eruam, ut repentinis nu*[*n*]*tiis ad praesentia et imminen*[*tia vitanda excita*]|*tus tuis consiliis cons*[*er*]*vatus sim?* e. q. s.

CIL VI 1527*d* vv. 4. 5. Laudatio Turiae defunctae inter annos s. s., pronuntiata a Q. Lucretio Vespillone marito cos. a. 735.

1034 Romae, ara magna marmorea anaglyphis Larum et sacrificantium ornata; in museo Florentino (½).

a. 752




0,012
0,007

In antica inter anaglypha: *Imp(eratore) Caesare Augusto XIII M. Plautio Silvan(o) co(n)s(ulibus)* | *D. Oppius Ɔ (mulieris) l(ibertus) Iasó, D. Lucilius D. l(ibertus) Salvius, L. Brinnius Ɔ (mulieris) l(ibertus) Princeps, L. Fúrius L. l(ibertus) Salvius* | *mag(istri) vici sandaliári*
In latere dextro: *Laribus Augustis*

CIL VI 443 vv. 1 et 3. V. 3 SANDILIÁRI Smetius et ectypum meum, ut sero vidi; omisit Henzenus.
Basis Statae Fortunae Aug(ustae) posita a magistris vici eiusdem a. 12 (CIL VI 761) periit.

1035 Romae, tabella marmorea; in museo Neapolitano (c. $\frac{1}{3}$).

a. 5



0,017


0,012

0,010

Cn. Cinna Magno | L. Valerio Voleso | co(n)s(ulibus) | a(nte) d(iem) XIII k(alendas) Apriles | ad monumentum sociorum | in conventu habendo curatore | C. Petronio C. f(ilio) Fal(erna) Varia [sic] *actum est | et ita decreverunt, locum L. Semproni | Ɔ (mulieris) l(iberti) Hilari et ollas V dari adsignari | C. Petronio C. f(ilio) Fal(erna) Variae curatori | ob eius officium industriam erga socios | eius monumenti et sociumq(ue) eum adsciver(unt)*

CIL VI 10294 vv. 1—8 pars sinistra. Consules sunt anni s. s.

1036 Romae, in herma oratoris clari villae Albaniae ($\frac{1}{2}$).



0,013


Quintus Hortensius

CIL VI 1309 (CIL I p. 281 elog. XVIII) integra.

Henzenus de antiquitate dubitat (QVINIVS HORTINSIVS dedit, sed T et E perspiciuntur), ego genuinam puto et aetate oratori supparem. Praenomen perscriptum est more Graeco.

1037 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano ($\frac{1}{2}$).

a. 47?



0,010


Ludos saecularis | tribunic(ia) potestate

CIL VI 877*b* vv. 2. 3. Punctum in ectypis duobus optimis deest.

Fragmenta senatus consultorum duorum, quae ad ludos saeculares pertinent a. 737 ab Augusto institutos. Fragmenti quod extat verba ad Augusti aetatem certo referenda sunt, lapidi autem potest incisum esse una cum altero, quod est aetatis Claudiae. Hoc cum perierit, num eiusdem fuerit litteraturae certo quidem statui nequit; sed est probabile et forma litterarum videtur indicari.

1038 Romae, fragmentum tabellae marmoreae; Neapoli in museo (⅓).

c. a. 60



0,018 0,021 0,019


... me iuvene | t]unc, quoniam n[unc sum | a]nnorum LX, Seiani sce[lerati | inc]itatio et inprobae c[omitiae | ill]ae fuerunt in Aven[tino, ubi | Sei]anus co(n)s(ul) factus est, [et ego | igno]bilis inutilis baculi [comes | u]t supplex fierem omni [nunc] | vos rogo, boni [contri|bu]les, si semper a[pparui vobis bonus et utilis tri|bul]is, si nunquam offic[ii mei | immemor f]ui nec rei ....|.....m co........|.... rif.......

CIL VI 10213 (cum supplementis ibi adscriptis) vv. 3—9 pars maior sinistra.

V. 4 in. BILIS, non SILIS in lapide est, casu B litterae pars inferior S similis evasit. Aetas narratione de Seiano definitur.

1039 Romae, fragmenta stelae marmoreae; servantur apud institutum archaeologicum Germanicum (½).

a. 108




0,012

Test]amentu[m L. Dasumi Tusci?] | post heredum institutionem sequuntur haec: | *amicis] infra scriptis qu[isquis mihi heres erit | dare damnas esto singul]is auri p(ondo) libras: Iuli[o ....|...]no, Volusio Iuliano, [....., | Plinio] Secundo, Cornelio [Tacito, | ...... A]uspicato; singulis [argenti pondo | Mi]nicio Iusto Fabul[lo ...... | I]unio Avito, Pontio Laeliano [... | Sem]pronio Crescenti Ianuari[o ..., | ....o] Nepoti, Tullio Varroni, Sat[.... | ...... A]nniano, Appuleio Nepoti, Re.....* | e. q. s.

CIL VI 10229 vv. 21—23.

1040 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. ⅓).

a. 110



0,039 0,023 0,009 0,015


a. 751 *Lentulo et Corvino Messala co(n)s(ulibus) | qui hoc monumentum aedificaverunt cum ustrina, | L. Maelius Papia et Maelia Hilara et Rocius Surus et M. Caesennius et Furius | Bucconius, hoc monimentum libertis libertabus ut de nomine non exeat, | ita qui testamento scripti fuerint*

a. 110 *Ser. Salvidieno Orfito, M. Peducaeo Priscino co(n)s(ulibus) | i(nfra) s(cripti) liberti libertorum, ad quos ea res pertinebat, hoc monimentum neglegenti[a] | curatum post multis annis restituerunt* sequuntur nomina decem
Lollia Aprilis emit de L. Cornelio | Hermete por[ti]one eius; | lictor decu|rialis | M. Lollius Esy|chus emit de | L. Maelio Successo portione eius
a. 81 *L. Flavio Silvano Pollione Verucoso co(n)s(ule) aria empta de L. Octavio | Spendonte* e. q. s.

CIL VI 10243 vv. 1. 7. 13. 14. 17 particulae.
Marinius Arv. p. 114 s. tres tituli partes eis qui indicantur annis diversis incisas esse iudicavit. Sed litteraturae aequabilitas totum anno s. s. sculptum esse videtur demonstrare, praeterquam quod quae ad Lollios spectant addita sunt aliquanto post, fortasse saeculo altero medio exeunte.
Puncta in scriptura minore pleraque omissa sunt.

1041 Romae, fragmentum tabellae marmoreae; in museo Kircheriano (⅔).

a. 111




0,006

...... *eadem facere liceat. Q[uod si factum] | non erit, tum quanti e[a res erit vel] ea res iusve eius loci q(uanti)* [.....] | *inter erit, t(antam) p(ecuniam) d(ari) d(olum)q(ue) m(alum) [abesse afuturumque esse a te,] | T. Pinni Hilare, et a te, P. D[ecimi Epagathe,] | heredibusque vestris* e. q. s. *Act(um) VI idus M*[.....] | *L. Iulio Urso Servia[no II] | L. Fabio Iusto c[o(n)s(ulibus)]*


CIL VI 10244 vv. 4. 5. Fragmentum stipulationis; in aversa tabellae leguntur initia versuum dactylicorum septem, fortasse vetustiorum. Consules sunt anni s. s.

1042 Romae, basis magna marmorea; in museo Capitolino (*a* ⅓; *b* ½).

a. 136 *a* 0,025



b



0,008


In antica: *Imp(eratori) Caesari Divi | Traiani Parthici fil(io), | divi Nervae nepoti, | Traiano Hadriano | Aug(usto), pontif(ici) maximo, | tribunic(ia) potestat(e) XX, | imp(eratori) II, co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae), magistri vicorum urbis | regionum XIIII*

In latere dextro: *L. Ceionio Commodo Sex. Vetuleno Civica Pompeiano co(n)s(ulibus)* | .... | *vico curiarum | M. Carvilius M. l(ibertus) Crescens* | e. q. s.

CIL VI 975 lateris sinistri v. 1 et particula v. 2. Est basis notissima a vicomagistris regionum urbis XIV posita Hadriano anno s. s.

1043 Romae, tabula magna marmorea; in museo Vaticano ($\frac{2}{3}$).

a. 144



0,008

Torquato et Attico co(n)s(ulibus)

CIL VI 2379*a*. Est pars laterculi militum praetorianorum ad annos 143 et 144 pertinentis; a. 144 sunt consules supra scripti.

1044 Romae, tabula marmorea magna; in aedibus Barberinis ($\frac{1}{4}$).

a. 153



0,020
0,012

Lex collegi Aesculapi et Hygiae | *Salvia C. f(ilia) Marcellina ob memoriam Fl(avii) Apolloni proc(uratoris) Aug(usti), qui fuit a pinacothecis, et Capitonis Aug(usti) l(iberti) adiutoris* | *eius, mariti sui optimi piissimi, donum dedit collegio Aesculapi et Hygiae locum aediculae cum pergula et signum Aesculapi et solarium tectum iunctum* e. q. s. . . . . | *Hoc decretum ordini n(ostro) placuit in convento pleno, quod gestum est in templo divorum in aede divi Titi V id(us) Mart(ias) C. Bruttio Prae*|*sente A. Iunio Rufino co(n)s(ulibus)* . . . . . .

CIL VI 10234 vv. 2. 3 initia. Consules sunt anni s. s.

1045 Romae, cippus marmoreus cum anaglypho pueri; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).




0,032
0,018

Locus (scr. *locum*) *sive is ager* | *est, qui est via Appia inter* | *miliarium secundum et III,* | *euntibus ab Roma e parte dexteriori,* | *in agro Curtiano Talarchiano in* | *praedis Iuliaes Monimes et sociorum,* | *locus* (om.), *in quo aedificata est schola sub por(ticu)* | *consecrata Silvano et collegio eius sodalici(i),* | *mancipio acceperunt immunes et curator* | *et pleps universa collegi eius de Iulia Monime* e. q. s.

CIL VI 10231 vv. 1 et 6.

1046 Romae, tabula marmorea ex columbariis vineae Amendolae; in museo Lateranensi ($\frac{1}{3}$).




0,019
0,013

In pagina prima: nomina duodeviginti sociorum collegii funeraticii
In pagina altera: nomina quindecim et in fine: *i(i) q(ui) i(nfra) s(cripti) s(unt) h(oc) m(onumentum) perfecerunt*
In pagina tertia: *M. Rutilius Sp. f(ilius) Col(lina) Niger* | *emptor adiectis partibus* | *iūris Q. Appulei Eutychi,* | *C. Appuleius Ɔ (mulieris) l(ibertus) Dolicus in parte* | *iūris P. Appulei Felicis,* | *M. Castricius Mysticus*

CIL VI 7459 pag. III vv. 1 et 6. Litterae videntur esse saeculi primi exeuntis secundive ineuntis. Quod P clausa est, casui tribuendum.

1047 Romae, tabella marmorea litteris minutis; in museo Kircheriano ($\frac{2}{3}$).

a. 155




0,008

Velius Fidus Iubentio Celso col|legae suo salutem. Desideri(um), fra|ter, Arri Alphii, Arriae Fadillae domi|ni n(ostri) imp(eratoris) Antonini Aug(usti) matris liberti, | *libellum tibi misi* e. q. s. ..... *Exemplum libelli dati* quod sequitur .... | *[D]ecretum: fieri placet. Iubentius Celsus* | *promagister subscripsi III nonas No(v)emb(res)* | *Antio Pol(l)ione et Opimiano ko(n)s(ulibus) ordina[ri]is,* | *[S]evero et Sabiniano co(n)s(ulibus)*

CIL VI 2120 vv. 1. 2. Consules sunt anni s. s.

1048 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano ($\frac{2}{3}$).

a. 156



0,012

7 (centuria) Proculi | *[Sever]o et Sabiniano co(n)s(ulibus)*

CIL VI 2381*b* col. I vv. 11. 12. Est particula laterculorum militum praetorianorum anni s. s.

1049 Romae, tabella marmorea litteris minutis; in villa Albania ($\frac{2}{3}$).

a. 177



0,008

Imp(eratore) Caes(are) L. Aurelio Commodo M. Plautio Quintillo co(n)s(ulibus) | *initiales collegi Silvani Aureliani* | *curatores M. Aurelius Aug(usti) lib(ertus) Hilarus et Coelius Magnus cryptarius* | sequuntur nomina decuriis IV disposita triginta duo (litteris altis 0,004)

CIL VI 631 v. 1 pars sinistra; Piranesi vol. IV tab. LVII satis accurate. Consules sunt anni s. s.

1050 Romae, tabella marmorea; in villa Albania ($\frac{1}{4}$).

a. 177




0,019

Felici imperatori omnia felicia, salvo Commodo felix familia. | *Silvanum Augustum familia restituit dedicante* | *Severiano Maximo, procurante feliciter ordini* | *potestatium et cultis doctoribus,* | *curante Marco Aurelio Augusti liberto Euporan* [sic]; | *Maxime Commodiane, abias propitium Caesarem!*

CIL VI 632 v. 1.

1051 Romae, cippus marmoreus litteris minutis, rep. una cum fragmento CIL VI 1585*a* ad columnam divi Marci; in museo Vaticano ($\frac{1}{2}$).

a. 193



0,014


a .... *libellus L.* [*Septimi Aug(ustorum) l(iberti) Adrasti ex officio*] | *operum publ*[*icorum in verba haec*] | *scripta Severo* [*Augusto*]*:* sequitur epistula

b *Exemplaria litte|rarum rationali|um dominorum n(ostrorum)* | *scriptarum pertinen|tes* [sic] *ad Adrastum* | *Aug(ustorum) n(ostrorum) lib(ertum), quibus aei* [sic] | *permissum sit aedifi|care loco cannabae* | *a solo iuris sui pecunia* | *sua praestaturus solari|um sicut caeteri* | sequuntur epistulae ...... in fine alterius: *litterae datae* | *XIII kal(endas) Sept(embres) Romae Falcone et Claro co(n)s(ulibus)* | ...... et in fine tertiae: *VII idus Sept(embres) Romae, red|ditae IIII idus Sept(embres) Romae* | *isdem co(n)s(ulibus)*

CIL VI 1585*a* et *b* vv. 54—56. Consules sunt anni s. s.

1052 Romae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Vaticano ($\frac{2}{3}$).

a. 198



0,009


tess(erarius) Q. Aemilius Q. f(ilius) Pal(atina) Datus

CIL VI 2384 col. II v. 10 particula. Est pars laterculorum militum praetorianorum anni s. s.

1053 Romae, bases rotundae duae; in museo Vaticano ($\frac{1}{2}$).


a. 198

a



0,014

b




0,016

M. Ael(ius) M. f(ilius) Rusticus rect(or) | *imm(unis) II hon(oratus) III* | *in diem vitae suae mesorib(us) mach(inariis) f(rumenti) p(ublici),* | *quib(us) ex s(enatus) c(onsulto) coire licet* | *Castores d(onum) d(edit)* | *et ob dedicatione(m)* | *dedit sing(ulis)* X̶ *(denarios) II, L. Faenio Fidele q(uin)q(uennale) II,* | *dedic(ata) XV kal(endas) Iun(ias)* | *Saturnino et Gallo có(n)s(ulibus)*

CIL VI 85*ab* vv. 5. 6. Bases inscriptae sunt titulis eisdem; variant tantum in scripturae compendiis et in litterarum forma. Consules sunt anni s. s.

1054 Romae, basis magna marmorea, reperta una cum gemella paullo recentiore; in aedibus Barberinis (c. 1/3).

a. 205



0,013

In antica: *Imp(eratori) Caes(ari) M. Aurelio* | *Antonino Aug(usto), Severi* | *Aug(usti) n(ostri) filio Parth(ico) max(imo)* | *trib(unicia) pot(estate) VIII, co(n)s(uli) II,* | *coh(ors) V vig(ilum) Antoniniana I* | sequuntur nomina *praef(ecti) trib(uni), 7 (centurionum) VII,* qui basim dedicaverunt *cum commanuculis suis*

In latere sinistro: *dedic(ata) kal(endis) .....* | *imp(eratore) Antonino Aug(usto) II et Get[a co(n)s(ulibus)]* sequitur matricula centuriarum II, in quibus est *7 (centuria) Victoris*


In latere dextro: matricula centuriarum II

CIL VI 1056 lateris sinistri col. II centuriae II v. 1.

Est basis Caracallae posita anno s. s. a cohorte V vigilum; in lateribus inscripta sunt nomina militum ex centuriis eius quattuor. Nomina militum scripta sunt litteris minutis, altis 0,009.

1055 Romae, basis marmorea; in museo Capitolino (1/4).

a. 244



0,021

0,013


In antica: *Herculi sacrum posuit* | *P. Clodius Fortunatus q(uin)q(uennalis) perpetuus huius loci.* *Interlocutiones* | *Aeli Floriani Herenni Modestini et Faltoni* | *Restitutiani praef(ectorum) vigil(um) p(erfectissimorum) v(irorum).* | *Florianus d(ixit)* sequuntur sententiae continuatae in latus dextrum

In latere dextro extremo: *ex Alexandro Aug(usto) II et Marcello II co(n)s(ulibus)* | *litigatum est in* | *Peregrino et Aemiliano co(n)s(ulibus)* | *dies ...*

CIL VI 266 vv. 3. 4. Consules in fine nominati sunt anni s. s.

1056 Romae, columella marmorea; in museo Vaticano (1/5).

c. a. 210




0,030

0,025

Nomina leg(ionum) | *II Aug(usta)* | sequuntur nomina legionum X | *II adiut(rix)* | sequuntur nomina legionum X | *IIII Scyth(ica)* | sequuntur nomina legionum X

CIL VI 3492 vv. 1. 2. Laterculum legionum XXXIII descriptum esse creditur aetate fere Septimii Severi ex documento quodam confecto inter aetatem Hadriani et posteriores M. Aurelii annos; litteratura ad aetatem paullo magis recentem videtur ducere.

1057 Romae, fragmenta tabulae marmoreae; in museis Vaticano et Neapolitano (1/2).




0,023

Austoribus in cupa una num(mos) XXX, | *tabulariis in singulis apocis num(mos) XX,* | *exasciatori in cupa una num(mos) X,* | *falancariis qui de ciconiis ad templum cupas* | *referre consueverunt num(mos) ....,* | *custodibus cuparum* | *de ampullis placuit ut post degustatio[nem]* | *possessori reddantur* e. q. s.

CIL VI 1785 vv. 6. 7. Pars canonis vinarii; litterae videntur saeculi tertii esse versus finem vergentis.

1058 Romae, litteris minutis in tabella infra protomen marmoream musei Capitolini (c. 1/1).

c. a. 383




0,007

Cethego v(iro) c(larissimo) patri | *F(urius) Maechius* | *Gracchus v(ir) c(larissimus)*

CIL VI 1709 (non ad archetypum) integra. Gracchus est praefectus urbi a. 383. Litterae paullo maiores quam huius exempli, quae sunt altae 0,005. E pro F et MAECHIVS ita clare scripta.

1059 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. 1/2).

0,010




D(is) M(anibus) s(acrum). | *N. Fadius Hermes et Fervenia Restituta cum Fadis fil(iis)* | *suis Iambo Festo Fructo et Conflonia Fortunata* | *fecerunt sibi et suis lib(ertis) libertabusq(ue) posterisq(ue) eor(um); ad has haediculas et ollas itum aditum ambit(um) et* | *haustum praestari debetur; in fronte comprehensis* | *aediculis tribus ped(es) octo, introrsus ped(es) duo,* | *in quibus aed(iculis) et columb(aris) et cineraris ollae sunt n(umero) XXIII*

CIL VI 17653 v. 2. In 'haustum' vocabulo *h* littera est formae huius H. Verba *et cineraris* in fine addita sunt loco non suo. In adversa eiusdem tabulae titulus scriptus est vetustior litteris magnis CIL VI 17652.

1060 Romae, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).


0,019



Somno aeterno sacru(m). | *Aelia Arsinoe et Aelius Hilarus et Ae*|*lius Timotheus iunior et P. Antonius* | *Arsinous et P. Antonius Marinus se* | *vibi fecerunt sibi et suis libertis liber*|*tabusque eorum ne de nomine exiat; locus* | *concessus T. Aelio Timotheo patri soleum I;* | *item P. Antonio Zmaracdo nutritori soleum I;* | *et Aelio Polycronio soleum I; item quitquit* | *huic monimento sive sepulcro atplicitum* | *instructum aedificatum est* e. q. s.

CIL VI 10848 vv. 9. 10. T I L vix distinguuntur.

1061 Originis mihi ignotae; Florentiae in museo ($\frac{1}{3}$).



0,030

fulgur | *dium*

Nescio ubi edita sit. Conferantur similia urbana CIL VI 205 206 multaque alia.

II

ACTA MONVMENTIS ITALICIS ADSCRIPTA

Cum institutionibus moribusque urbanis etiam scribarum officia consuetudinesque scribendi inde ab Augusti aetate per totam fere Italiam aequabiliter sparsa esse consentaneum est; unde quae acta ex illorum scriniis desumpta monumentis inscribebantur in universum aequabiliter scripta sunt nec multum differunt a monumentis eiusdem generis urbanis. Nolui igitur hic, ut in monumentis feci, singularum Italiae regionum inscriptiones seorsum exhibere; temporum tantum ordine observato coniunxi actorum in monumentis totius Italiae inscriptorum exempla.

Itaque praecedit exemplum *edicti* eius, quo *Augustus* Venafranis aquae ducendae ius dedit (n. 1062), quatenus eius scriptura evanida de exemplis gypseo et photographo delineari potuit. Edicta praeterea pauca sive extant sive delineari poterant: *sententiae Helvidii Prisci* Bucae repertae saeculi primi exeuntis (CIL IX 2827), *epistularum Bassaei Rufi et Macrinii Vindicis praefectorum praetorio* c. a. 168 ad Saepinates datarum (CIL IX 2438), *epistulae Iulii Paterni* ad Catinenses (CIL X 7024) exempla praesto non erant, cum illa maiore ex parte locis deviis extarent; *sententia Alfeni Senecionis* Misenensis (CIL X 3334) periit.

Sequuntur decreta municipalia varii argumenti variaeque et magnitudinis et scripturae; non raro enim, ut est in decreto Tergestino (n. 1079), *decurionum consensio atque decretum in basi* eius statuae *inscribebatur*, quae hominibus a civitate honoratis erigi solebat. Exempla exhibere licuit decretorum eius generis in lapide sculptorum quindecim, Pisanorum duorum a. 3 et 4 (n. 1063 1064), Cumani a. ut videtur 7 (n. 1065), Campani aetatis Augustae (n. 1066), Veientis a. 26 (n. 1067), musei Capitolini a. 31 (n. 1068), legis notissimae Puteolanae, quam aetate Traiani Hadrianive incisam esse probabile est (n. 1072), decreti Sorani a. 107, quod ex tabula aenea se repetitum esse testatur (n. 1073), Caeritum a. 114 (n. 1074), Polensis (n. 1075), Lanuvini *cultorum Dianae et Antinoi* a. 136 (n. 1076), Gabini a. 140 (n. 1077), Tergestini (n. 1079), Caleni (n. 1083), Puteolani (n. 1084), Polensis alterius (n. 1088), quae saeculi alterius medii exeuntisve sunt omnia, Puteolani a. 187 (n. 1086), Cumani a. 289 (n. 1089). Rescriptum *Constantini* Patavinum a. 314 (CIL V 2781) scriptum est litteris uncialibus, quas inde ab illa aetate etiam in lapide interdum adhibitas esse exposuimus in prologomenis. Praescripta decretorum interdum, ut observavimus in actis Arvalium, litteris utuntur maioribus monumentorumque scripturae similioribus (ut n. 1074 1077); in universum autem omnia monumenta illa scripturae actuariae aequabilitatem progressum mutationes egregie demonstrant. Unde careri posse putavi monumentis aliquot similibus, quorum exempla aut minus commode procurari potuerunt, ut *collegii Silvani* a. circiter 80 loco aliquo in valle Silari extantis (CIL X 444), Corfiniensis (CIL IX 3160), Opitergini (CIL V 1978), aut novi non multum visa sunt docere, ut Aquileiense a. 105 inscriptum olim in latere tituli *C. Minicii Itali*, cuius exemplum supra exhibui (n. 364) — supersunt autem eius fragmenta tantum exigua —, atque Patavinum lectu difficile (CIL V 2856). Alia quaedam, veluti Herculanense (CIL X 1453), Neapolitanum a. 71 (CIL X 1489), Aquileiense (CIL V 961), Veronense (CIL V 3448), interierunt.

Aliquanto rarius quam in urbe, si Ostiam exceperis, latercula vel matriculae servatae sunt in municipiis Italicis. Exhibui exempla *albi* Herculanensis (n. 1071), *collegii alicuius* Eporediensis (n. 1085), *albi lenunculariorum* Ostiensium a. 152 et 192 (n. 1081 1087). Ostiensia, ut modo dixi, frequentia sunt; saeculi tertii scripturam actuariam aliunde satis notam, quamvis paullo immutatam pro oppidi eius consuetudine peculiari atque aliunde nota exhibent pleraque (ut v. c. CIL XIV 252, cuius ectypum habui). Monumentum simile Aquileiense a. 165 supra exhibitum est (n. 366). Neque aegre tuli, quod ectypis aliorum aliquot eiusdem generis monumentorum carui, veluti *matriculae gladiatorum* Venusinae (CIL IX 465 466), laterculi a. 323 Volceiani (CIL X 407), Anxanensis item saeculi quarti (CIL IX 2998); *matricula dendrophorum* a. 251 Cumana (CIL X 3699) periit.

Non acta proprie, sed actis simillima monumenta aliquot sunt, quorum scriptura parva et ipsa plane actuaria dicenda est; ut tituli Pompeiani a. c. 47 (supra n. 135), Puteolanorum a. 133 144 165 (n. 340 342 343), Anagnini (n. 346). Antiquissimum fortasse eius scribendi generis exemplum, quod ex picto exemplo proficisci supra saepius observavimus (veluti ad Hadriani basim Atticam n. 365), *tabella votiva* Lunensis *Neroni et Poppaeae* sacra a. 65/66 est (n. 1070). Elogii amplitudinem habet titulus statuae *P. Lucilii Gamalae* Ostiensis inscriptus, insignis ille propter scripturae summam neglegentiam, quae actorum aliquot Arvalium et diplomatum militarium incuriosam obscuritatem aequat (n. 1082).

Denique etiam in monumentis quibusdam privatis acta inscripta habemus, veluti testamentum Petelinum (n. 1080); *exemplum codicillorum*, quod est in titulo sepulcrali Cephaloedii in Sicilia a. 175 posito, scriptum illud 'litteris magnis', non vidi (CIL X 7457). Unum praeterea exhibere potui eius generis scripturae exemplum ex *donatione* aliqua Pollentina aetate Pii facta (n. 1078) desumptum.

Inter monumenta Italica supra in parte huius voluminis prima exhibita ad actuariam scripturam proxime accedunt bases parvae Pompeianae annorum 4 et 26 (supra n. 126 128), item Herculanensis a. 26 (n. 144); etiam Veronensis saeculi fere primi medii semibarbara (n. 160) huc pertinet. Saeculo altero eiusdem generis monumenta scripta sunt litteris paene actuariis haec: parva basis Ostiensis a. 142 (n. 321) et dedicatio indidem pro-

veniens a. 195 (n. 530), titulus sarcophagi Pisani a. c. 87 (n. 329), tabulae supra iam dictae Veneri sacrae Puteolanae a. 133 et 163 (n. 340 343); similis a. 144 (n. 342) ad pictam scripturam magis vergit. Male scripturam actuariam imitatur basis suburbana saeculi tertii (n. 542).

Etiam extra urbem actuaria scriptura in monumentis minoribus saepe obtinuit. Testes profero *aras* parvas *Nympharum* Vicetinam (CIL V 3106), Brixianam dei *Bergimi* (CIL V 4200). In cippo sepulcrali Mediolaniensi Magi Germani statoris Marsiani scripto litteris monumentalibus bonis saeculi secundi (altis 0,034—0,026) supra et in fine acclamationes adiectae sunt aetate puto eadem atque reliqua, sed litteris actuariis parvis (altis 0,022), hae *Innocenti cum Encratio vivas* et *Innocenti qui sic agis bene vivas* (CIL V 5869). In monumentis quibusdam Ostiensibus saeculi alterius et tertii litterae aliquot initiales prominent supra reliquas (vide supra n. 321 534 1087); idem observatur in Lugudunensi aliquo saeculi secundi, ut videtur, titulo (n. 393): hic quoque usus ad exemplum scripturae actuariae videtur referendus esse.

Saeculis quarto quintoque in municipiis Italicis bases honorariae magnae virorum altioris dignitatis eadem scriptura actuaria parva inscribi solebant atque urbanae; ut docent exempla supra proposita Ocriculanum (n. 754), Praenestinum (n. 755), quaeque praeterea ibi memoravi (p. 258).

1062 Venafri, tabula marmorea; servatur ibi in aedibus privatis. Ex ectypo gypseo servato Romae in instituto archaeologico Germanico et e tabula photographa Henzeni (c. $\frac{1}{4}$).



c. 0,020


[*Ed*]*ict*[*um im*]*p*(*eratoris*) *Ca*[*esaris Augusti*] .... | sequuntur versus septem. | *Qui rivi specus saepta* cet. sequuntur versus viginti septem. *Quaeque aqua in oppidum Venafranorum it fluit ducitur, eam aquam* | *distribuere discribere vendundi causa aut ei rei vectigal inponere consti*|*tuere IIviro IIviris praefect*(*o*) *praefectis eius coloniae ex maioris partis decuri*|*onum decreto* e. q. s. *ius po*|*testatem*[*q*]*ue esse placet* sequuntur versus viginti sex

CIL X 4842 vv. 37—39.

Decretum integrum versuum undeseptuaginta fuit. Aetatis Augustae esse, ut edictum ipsum indicat, comprobat litteratura quamvis ex parte evanida; selegi versus optime servatos.

1063 Pisis, tabula magna marmorea; ibi in campo sancto ($\frac{1}{4}$).

a. 3 v. 1 0,025-0,030 vv. 3. 4 0,020




[*A*(*nte*)] *d*(*iem*) ...... *XIII k*(*alendas*) *Octobr*(*es*) *Pisis in foro in Augusteo scrib*(*endo*) *ad fuer*(*unt*) | *Q. Petillius Q. f*(*ilius*) sequuntur nomina quinque | *quod C. Canius C. f*(*ilius*) *Saturninus IIvir v*(*erba*) *f*(*ecit*) *de augendis honoribus* | *L. Caesaris, Augusti Caesaris patris patriae, pontificis maxumi,* | *tribuniciae potestatis XXV fili, auguris, consulis designati, princi*[*pis*] | *iuventutis, patroni coloniae nostrae, q*(*uid*) *d*(*e*) *e*(*a*) *r*(*e*) *f*(*ieri*) *p*(*laceret*) *d*(*e*) *e*(*a*) *r*(*e*) *i*(*ta*) *c*(*ensuerunt*) sequuntur decreti verba

CIL XI 1420 vv. 1. 3. 4.

1064 Pisis, tabula magna marmorea; ibi in campo sancto (¼).

a. 4 v. 50 0,018 v. 51 0,020




Praecedunt formulae solitae et nomina eorum qui scribendo adfuerunt duodecim | *quod [v(erba) f(acta)] sunt cum in colonia nostra propter contentiones candidato|rum magistratuus non essent et ea acta essent quae infra scripta sunt* | sequuntur acta verbosa de honoribus C. Caesari defuncto habendis | *placere conscriptis, quae a(nte) d(iem) IIII nonas Apriles* | *qu[ae Sex.] Aelio Cato C. Sentio Saturnino co(n)s(ulibus) fuerunt, facta acta con|st[ituta] sunt per consensum omnium ordinum, ea omnia ita fieri agi ha|beri opservariq(ue)* e. q. s. *utiq(ue)* .....|..... *IIviri ea omnia quae supra scripta sunt ex decreto* | *nostro coram pro quaestoribus primo quoque tempore per scribam pu|blicum in tabulas publicas referenda curent. Censuere*

CIL XI 1421 vv. 50. 51. Consules sunt anni s. s.

1065 Cumis, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Neapolitano (½).

a. 7? 0,010




Q. Caecilio ...... | *M. Bennio S*..... | *[a(nte)] d(iem) VI eid(us) August(as) in cha[lcidico* ....*]* | *quod Cn. Lucceius filius v(erba) f(ecit) i*........ | *quid de ea re fieri placeret [de ea re ita censuerunt]: cum Lucceia Cn. f(ilia) vel moribus* e. q. s.

CIL X 3697 vv. 4—6. Litterarum formas cum anno, cui decretum adscribitur probabiliter, prorsus convenire apparet. Versuum 1. 2 litterae monumentales altae sunt 0,035, v. 3 actuariae 0,012.

1066 Capuae, fragmenta tabulae marmoreae; in museo Neapolitano (⅓).

0,018




[....... Quod duoviri] verba fe[cerunt] .... *quid de ea r[e]* | *fier[i placeret de ea re haec auct]oritas facta e[st.* | *C]um L. An[tistius Campanus* .... *per gravissima et periculosi]ssima bella* | *iudicia dei C[aesaris et divi Augusti* .... *deductusque a]b hoc in coloniam* .... *nostram adeo [p]rivatim publi|céque munificentiam exercuerit, ut et patrimonium suum quodam modo partirétur cum ré p[ubl]icá variis et* | *plúrimis in[pendis in se receptis et] laetior sempe[r erogasse videretur quod in unive]rsos inpendis[set] quam quod* | *sibi ac suis i[nserviret* e. q. s.

CIL X 3903 vv. 4—7 pars extrema. Versus superiores litteris paullo maioribus (0,030 et 0,022) scripti sunt. Aetatis fere Tiberianae esse decretum ipsum indicat. Cf. laudatio Turiae (n. 1033).

1067 Veiis, tabula marmorea; extat Romae in museo Capitolino (1/4).

a. 26




0,020 · 0,018 · 0,016 · 0,018

Centum viri múnicipii Augusti Veientis | *Rómae in aedem Veneris genetricis cum convenis|sent, placuit úniversis, dum decrétum conscriberétur,* | *interim ex auctoritate omnium permitti* | *C. Iulio divi Augusti l(iberto) Gelóti* e. q. s. *honórem ei iústissimum decerni ut* | *Augustalium número habeátur* e. q. s. | *Adfuérunt* | sequuntur nomina duumvirum quaestorum duorum decurionum novem | *áctum* | *Gaetulico et Calvisio Sabino co(n)s(ulibus)*

Orell. 4046 vv. 1—3 et 16. V. 3 in *conscriberetur* B littera R casu similis evasit; apex in altera E, quem Fabrettius habet, deest in ectypo. Consules sunt anni s. s.

1068 Marini, tabula magna marmorea; Romae in museo Capitolino (1/3).

a. 31




0,020

Fausto [*Cornelio Sulla*] | *Sex.* [*Teidio Catullino co(n)s(ulibus)*] | *L. Cornelius A. f(ilius) Fal(erna)* [*Ruf*]*illus* | *v(erba) f(ecit): cum M. Iunius* | *Silani l(ibertus) Monimus ex* | *ordine sit nostro et* | *utilis rei publicae* | *et amator municipi* | *muneraque eius* | *municipio conspiciamus,* | *censeo locum, qui est extra* | *portam Medianam ab* | *eo loco, in quo schola* | *fuit, long(um) p(edes) LXVII ad* | *rivom aquae Albanae et* | *a via introsus ..... Monimo posterisq(ue) eius dari* e. q. s.

Orell. 4034 vv. 10—13. Pars dextra marmoris detrita est; selegi versiculos integros. Scriptura est actuaria grandis et splendida, per cola disposita; puncta desunt plerumque, ut in voluminibus. Consules sunt anni s. s.

1069 Pompeiis, 'basis in cuius superficie cavum est forma pedis humani et utrimque cavum rotundum'; in museo Neapolitano (1/3).

a. 45




0,030 · 0,025 · 0,013 · 0,011

Tauro Statilio | *Ti. Platilio* [sic] *Aelian*[*o*] *co(n)s(ulibus)* | *L. Statius Faustus pro* | *signo quod e lege Fortunae* | *Augustae ministorum* [sic] *ponere* | *debebat referente Q. Pompeio Amethysto* | *quaestore basis duas marmorias* [sic] *decreverunt* | *pro signo poneret*

CIL X 825 vv. 1. 2 et 7. 8. Consules sunt anni s. s.

1070 Prope Lunam, tabella marmorea; Florentiae in museo (½).


a. 66 — v. 1 0,026 v. 2 0,022 v. 3 0,011 v. 4 0,010



Imp(eratori) Neroni Claudio divi Claudi f(ilio), Germ(anici) Caesaris n(epoti), Ti. Caesaris Aug(usti) pro n(epoti), divi Aug(usti) ab n(epoti) | Caesari Aug(usto) Germ(anico), p(ontifici) m(aximo), tr(ibunicia) pot(e-state) XIII, imp(eratori) XI, co(n)s(uli) IIII | L. Titinius L. f(ilius) Gai(us) Glaucus Lucretianus, flam(en) Romae et Aug(usti), IIvir, | cet. *ex voto suscepto pro salute imp(eratoris)* | *Neronis quod Baliaribus voverat anno A. Licinio Nerva co(n)s(ule) ...... voto compos posit Iovi Iuno[ni]* | *Minervae Felicitati Romae divo Augusto*

CIL XI 1331 vv. 1—4. A dextra in eadem tabella inscriptio similis *divae Poppaeae Augustae* sacra a. 65 sculpta est. V. 1 vel casu vel neglegentia A litterae in CLAVDIO linea transversalis deest.

1071 Herculanei ad murum theatri, fragmenta tabulae marmoreae sex; in museo Neapolitano (⅔).




0,012

Cn. Octavius Ↄ (mulieris) l(ibertus) Onomastus | *Ti. Iulius Ti. l(ibertus) Eutychus*

CIL X 1403*g* I vv. 14. 15. Album collegii ignoti in 7 (centurias) divisi, quarum una *Veneria* erat. Litterae videntur saeculi primi esse.

1072 Puteolis, marmor album; in museo Neapolitano (⅓).

[a. 649]




0,020 — 0,018 — 0,015

Ab colonia deducta anno XC, | *N. Fufidio N. f(ilio) M. Pullio duovir(eis),* | *P. Rutilio Cn. Mallio co(n)-s(ulibus),* | *operum lex II*
Lex parieti faciendo in area, quae est ante | *aedem Serapi trans viam* e. q. s. *Ex eo pariete antas duas ad mare versum proicito* | *longas p(edes) II crassas p(edem) I ⁖ (quadrantem); insuper id limen* | *robustum* cet. .... *inponito* e. q. s.

CIL I 577 = CIL X 1781; PLME tab. LXVI pag. I vv. 1—5 et 13. Aetate videtur Traiana Hadrianave sculptum esse.

1073 *Rocca d'Arce* prope Frusinonem, tabula marmorea decretum Soranum continens; extat in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).

a. 106




0,008

Post alia quae interierunt maximam partem M. Vibius Auctor decretae sibi statuae *honore contentus sumptum* remisisse dicitur, [*cum pu*]*blice decerneretur in e*(*a*) *v*(*erba*) *q*(*uae*) *i*(*nfra*) [*s*(*cripta*) *s*(*un*)*t:*]
Q. Licinio Graniano L. Minicio Nata[*le co*(*n*)*s*(*ulibus*) *a*(*nte*) *d*(*iem*) ....] | *Sorae in basilica Caes*(*aris*) *scri-b*(*endo*) *adf*(*uerunt*) *M. Vibi*[*us Au*]|*ctor* sequuntur nomina quattuor et decreti verba

CIL X 5670 II vv. 4. 5. Consules sunt anni s. s.

1074 Caere, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).

a. 114




0,038 0,030 0,024 0,010

Vesbinus Aug(*usti*) *l*(*ibertus*) *phetrium Augustalibus* | *municipi Caeritum loco accepto a re p*(*ublica*) | *sua inpensa omni exornatum donum dedit.* | *Descriptum et recognitum factum in pronao aedis Martis* | *ex commentario quem iussit proferri Cuperius Hostilianus per T. Rustium Lysiponum* | *scribam, in quo scriptum erat it quod infra scriptum est:* | *L. Publilio Celso II C. Clodio Crispino co*(*n*)*s*(*ulibus*) *idibus Aprilib*(*us*) | *M. Pontio Celso dictatore, C. Suetonio Claudiano aedile iuri dicundo praef*(*ecto*) *aerari commentarium cottidianum municipi* | *Caeritum inde pagina XXVII kapite VI:* | *M. Pontius Celsus dictator et C. Suetonius Claudianus decuriones in templo divor*(*um*) *corrogaverunt* e. q. s.
Act(*um*) *idib*(*us*) *Iunis Q. Ninnio Hasta P. Manilio Vopisco co*(*n*)*s*(*ulibus*) | *dedicatum k*(*alendis*) *Aug*(*ustis*) *isdem co*(*n*)*s*(*ulibus*)

IN 6828 vv. 1—3 et 10 pars sinistra. Consules sunt anni s. s.

1075 Polae in Histria, basis marmorea; ibi in museo ($\frac{1}{4}$).




0,028 0,025 0,015

In colonia Iulia Po|*la Pollentia Herculanea* | *referentibus P. Muttieno Pris*|*co et C. Marcio Histro IIvir*(*is*) | *non*(*is*) *Sept*(*embribus*) | *quo*[*d v*]*erba facta sunt Vettidium Abas*[*ca*]*ntum* e. q. s.

CIL V 8129 vv. 1—5. Scriptura videtur esse saeculi alterius ineuntis mediive; pictum exemplum lapicidae propositum erat.

1076 Lanuvii, tabula marmorea magna; servatur ibi in aedibus privatis ($\frac{1}{3}$).

a. 136 v. 1 praescriptionis 0,033 col. I v. 1 0,023 v. 2 0,019




L. [Ceionio] Commodo Sex. Vetuleno Civica Pompeiano co(n)s(ule) a(nte) d(iem) V idus Iún(ias) [Lanuvii in municipio in] templo Antinoi, in quo L. Caesennius Rúfus | [dict(ator) III et patronu]s municipi conventum haberi iusserat per L. Pompeium | .....um q(uin)q(uennalem) cultorum Dianae et Antinoi, pollicitus est se | [in annum d]aturum eis ex liberalitate sua HS (sestertium) XV m(ilia) n(ummum) e. q. s. *et praecepit legem ab ipsis constitutam sub tetra|[stylo A]ntinoi parte interiori perscribi in verba infra scripta:* sequitur lex collegii

Henzen 6086 v. 1 praescriptionis pars sinistra et col. I vv. 1. 2. Consules sunt anni s. s.

1077 Gabiis, epistylium marmoreum; in museo Parisino ($\frac{1}{5}$).

a. 140 0,058




0,023

In honorem memoriae domus Domitiae Augustae Cn. Domiti Corbulonis | fil(iae) Domitii Polycarpus et Europe loc(o) dat(o) decreto ordinis decur(ionum) aedem | fecerunt et exornaverunt statuis et reliquis rebus pecunia sua eiusdem|que tutelam in perpetuum rei publicae dederunt sub inscriptione infra scripta: | imp(eratore) Caes(are) T. Aelio Hadriano Antonino Aug(usto) Pio III M. Aelio Aurelio Caes(are) co(n)s(ulibus) VIIII k(alendas) Maias in municipio in curia Aelia Augusta scribundo atfuit universus ordo | decurionum referentibus L. Vipstano L. f(ilio) Cl(audia) Publicola Messalla L. Setrio L. f(ilio) Pal(atina) Prisco IIIIvir(is) q(uin)q(uennalibus) e. q. s.

Orell. 775 vv. 1. 2 et 5 pars sinistra.

1078 In agro Saluzzensi prope Pollentiam Liguriae, fragmentum tabulae marmoreae; in museo Taurinensi ($\frac{1}{6}$).

inter a. 138 et 161 0,028




.... *[eosque iubeo pecuniam post eas] | divisiones reliquam consentiente | pleb(e) | in munus gladiatorium [e]t saepta lignea | inpendere ita, ut dedicatione statuae | imp(eratoris) Antonini Aug(usti) Pii p(atris) p(atriae) edi[t]io inchoetur | et eodem die omnibus annis celebretur, | dum ea quae legibus plebisve scitis | senatusque consultis cauta compre|hensaque sunt serventur*

CIL V 7637 vv. 6. 7 pars sinistra.

1079 Tergeste, basis ingens oblonga; ibi in museo (⅓).

inter a. 138 et 161 v. 4 0,025 v. 8 0,017 v. 12 0,015 v. 13 0,013




In parte antica angustiore: *L. Fabio L. f(ilio) | Pup(inia) Severo | quaestor(i) | urbano | [de]cu[r(iones) et] plebs | T[ergesti]nor(um)*

In latere dextro columna prima: .... *k(alendas) Novembr(es) | [quod] .....spanius Lentulus et | ......s Nepos IIv[i]r(i) iur(e) dic(undo) v(erba) f(ecerunt) | [L. Fabium S]everum clarissimum vi|[rum m]ulta iam pridem in rem p(ublicam) nos|[tra]m beneficia contulisse, ut qui a pri|[m]a sua statim aetate id ege[r]it, uti in ad|[iuva]nda patria sua et dignitate et el[o]quentia cres|[ce]ret; nam ita multas et magnificas causas publi|[c]as aput optimum principem Antoninum Aug(ustum) Pium | [a]dseruisse egisse vicisse sine ullo quidem aerari nos|[t]ri inpendio, ut quamvis admodum adulescens senili|bus tamen et perfectis operibus ac factis patriam suam nos|que insupe[r] sibi universos obstrinxerit* e. q. s. .... *Censuerunt*

CIL V 532 lateris col. I vv. 4. 8. 12. 13. Titulus alterius lateris scriptus est litteris magnis (versu primo altis 0,110, reliquis 0,080 et 0,065).

1080 Peteliae (*Strongoli*), cippus quadratus tribus lateribus scriptus; extat ibi (¼).



0,024 0,020 0,015

In facie: *M'. Meconio M'. f(ilio) | Cor(nelia) Leoni | aed(ili), IIIIvir(o) leg(e) Cor(nelia), | quaest(ori) pec(uniae) p(ublicae) municipi | Augustales patrono | ob merita eius | l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

In latere dextro: *kaput ex testamento: | hoc amplius rei p(ublicae) Petelinorum dari volo: | HS (sestertium) X (decem milia) n(ummum), item vineam Caedicianam cum | parte fundi Pompeiani ita uti optima maxi|ma(que) sunt* e. q. s., in quibus etiam haec sunt *ceterum autem temporum usura(s) semisse(s) HS (sestertium) X (decem milium) n(ummum) ad instr[u]|mentum Augustalium arbitrio ipsorum esse volo* e. q. s. in latere sinistro continuata


CIL X 114 lateris dextri vv. 1—3 et 21.

Faciei titulus scriptus est litteris saeculi secundi fere medii ad pictarum formas accedentibus (Traiano titulum recentiorem esse aliunde videtur constare) altis 0,050 ad 0,020; minores non absimiles sunt urbani supra n. 271.

V. 4 lapidarius PARTEM quod dederat errore, correxit in PARTE. Praeterea puncta plerumque omissa sunt.

Scriptura actuaria saeculo secundo fere medio videtur convenire.

1081 Ostiae, tabula marmorea; in museo Vaticano (2/3).



0,028

0,020

0,010

P. Lucilio P. [f(ilio)] | P. n(epoti) P. pro n(epoti) Gamala[e], | aed(ili) sacr(is) Volcáni, | eiusdem pr(aetori) tert(io), dec(urioni) | adléctó d(ecurionum) d(ecreto) infanti, | IIvir(o), praéfectó L. Caesar(is) | Aug(usti) f(ilii), cens(ori), q(uaestori) a(erarii), pont(ifici), | tabulár(um) et librorum | curátori primo constitut(o); | hic ludós omnés, quós fécit, | amplificávit impensá sua; | idem munus gladiatorium ded(it); | idem aédem Castoris et Pollucis rest(ituit); | idem curator pecuniae publicae exi|gendae et attribuendae in comi|tiis factus cellam patri Tiberino | restituit; idem thermas, quas divus Pius aedifi|caverat, vi ignis consumptas refecit, porticum reparavit e. q. s.


CIL XIV 376 vv. 1—3 et 10—17.

L. Caesar Augusti filius est L. Aelius Caesar; floruit Gamala ab Hadriani temporibus usque ad M. Aurelium.

Inde a v. 11 scriptura in litura reposita basi iam stante a manu fortasse alius quadratarii in vulgarem transit, sed coaeva est.

1082 Ostiae, tabula marmorea; in museo Capitolino (1/3).


a. 152 v. 1 0,022 vv. 2. 3 0,034 vv. 4—6 0,022 vv. 4—8 0,017



M'. Acilio Glabrione M. Valer(io) Homulo [sic] *co(n)s(ulibus)* | *ordo corporatorum lenuncularior(um)* | *tabulariorum auxiliares Ostiens(es);* | *patroni* | *M. Sedatius C. f(ilius) Severianus* | *T. Prifernius Sex. f(ilius) Paetus Rosianus Geminus* | sequuntur nomina duo | patroni reliqui quinque | quinquennalis perpetuus et ...... quinquennales duo | ..... | *plebs* [hominum CXXV] | ...... *T. Flavius Eleuther* | *M. Cornelius Elainus* | *L. Iulius Iulianus* | *L. Atinius Atinianus* | *C. Vatronius Crescens* | e. q. s.

CIL XIV 250 vv. 1—6. V. 1 GLABRIONI ectypum visum est praebere; GLABRIONE Dessau. Consules sunt anni s. s.

1083 Calibus, basis magna marmorea; in museo Neapolitano (1/4).



0,020


0,022

Calibus in curia Torq(uata) [*V*]*itrasia scrib(endo)* [*adf(uerunt)*] | *Ti. Cl(audius) Felix Ti. Cl(audius) Cal*[*e*]*nus Q. Ser*[*gius*] | *Priscus.* | *Quod recit(ata) epistula L. Vitra(sii) Silvest*[*ris*] | *L. Marcius Vitalio IIIIvir ad ordin*[*em v(erba) f(ecit)*], | *q(uid) d(e) e(a) r(e) f(ieri) p(laceret), d(e) e(a) r(e) i(ta) c(ensuerunt)* sequitur decretum, in quo inter alia haec sunt *scrib(is) liber*[*isq(ue) eo*]|*rum vic(toriatos) n(ummos) II, Aug(ustalibus) vic(toriatos) n(ummos) II, munic*[*ipibus*] | *vic(toriatos) n(ummos) I* e. q. s.

CIL X 4643 vv. 1—4 et 20. Saeculi alterius exeuntis esse aliunde satis constat.

1084 Puteolis, tabula magna marmorea; in museo Neapolitano. Ex imagine Degenkolbii (c. $\frac{1}{5}$).


v. 1—5 0,064 v. 6. 7 0,040



IIII non(as) Septembr(es) in curia templi basilicae Augusti Anniánae scribundo adfuerunt | Q. Granius Atticus, M. Stlaccius Albinus, A. Clodius Maximus, M. Amullius Lupus, M. Fabius Firmus. | Quod T. Aufidius Thrasea Ti. Claudius Quartinus IIviri v(erba) f(ecerunt) dé desiderio Laeli Atimeti optimi civis, q(uid) d(e) e(a) r(e) f(ieri) p(laceret) d(e) e(a) r(e) i(ta) c(ensuerunt): | cum M. Laelius Atimetus vir probissimus et singulis et universis karus petierit in ordine nostro, uti solarium | aedifici, quod extruit in transitorio, remitteretur sibi ea condicióne, ut ad diem vitae eius usus et fructus | potestasque aedifici sui ad sé pertineret, postea autem rei p(ublicae) nostrae esset, placere huic ordini tam gratam voluntatem optimi civis | admitti remittique ei solarium, cum plus ex pietate promissi eius res publica nostra postea consecutura sit. In curia f(uerunt) n(umero) LXXXXII

CIL X 1783 integra; H. Degenkolb *Zeitschrift für Rechtsgeschichte* IV 1865 p. 474 ss. cum tabula lithographa.
Saeculi est sine dubio alterius exeuntis, fortasse Marco imperante incisa. V. 7 extr. F simillima evasit E litterae; sed F dare debuisse quadratarium certum est.

1085 Eporediae, tabula marmorea; servatur ibi in episcopio ($\frac{1}{2}$).



0,012


0,017

.... *Fortunatus* | *P. Vibius Helius* sequuntur nomina septem | *T. Mettius* | *Hermes* | *Servandus* | *Fidus* | *P. Septicius Várus* | *mil(es) benef(iciarius) leg(ati) Aug(usti)* | *provinc(iae) Belgic(ae)* | *P. Atil(ius) Epaphrodit(us)* | ..... *Hermes* | *T. Mettius Eutychus*

CIL V 6785 vv. 11—17. Laterculum fortasse collegii incerti, in quo vv. 15—17 postea additos esse apparet. Litterae videntur esse saeculi secundi exeuntis.

1086 Puteolis, magna basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).

a. 187 0,024




In antica: *Gaviae M. f(iliae)* | *Marcianae* | *honestae et incompara|bilis sectae matron(ae)* e. q. s. | *M. Gavius Puteolanus pater hon(ore)* | *decreti contentus sua pequn(ia)* | *posuit l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

In latere: *L. Bruttio Crispino L. Roscio Aeliano co(n)s(ulibus)* | *V kal(endas) Novembr(es)* | *in templo divi Pii scribundo adfuerunt ...... de decernendo* | *funere publico Gaviae M. f(iliae) Marcianae b(onae) m(emoriae) f(eminae)* e. q. s.

CIL X 1784 lateris vv. 1. 2. Consules sunt anni s. s.

1087 Ostiae, tabula magna marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{4}$).

a. 192 v. 1 0,057 v. 2 0,030 vv. 4—6 0,009




Imperatore Caesare Augusto P. Helvio Pertinace II co(n)s(ule) | *ordo corporatorum lenunculario(um) tabulario(um) auxiliar(iorum) Ostiensium;* | *patr(oni) senat(ores)* | .... | *L. Fabius Cilo Septiminus* | *M. Umbilius Maximinus* | *equit(es) Rom(ani)* | sequuntur nomina sex | quinquennales perpetui et quinquennales octo | *plebs* [hominum CCLVIII] | ...... *P. Cornelius Phoebus* | *A. Mucius Maius* | *A. Herenuleius Philetian(us)* | ..... *Q. Marcius Threptus* | *L. Caltilius Eutychian(us)* | *M. Publicius Ostiensis* | e. q. s.

CIL XIV 251 vv. 1—6.

V. 1 vocabula tria priora in litura reposita sunt erasis Commodi nominibus. V. 3 PLEBS vocabulum supra scriptum columnae alteri in ectypo meo non apparuit. V. 4 nomen patroni senatoris primi erasum est. L · CORNELIVS ectypum mihi videbatur habere; P · CORNELIVS Dessau.

1088 Polae in Histria, basis marmorea, in cuius antica figurae stantis vestigia sunt cum basi ita inscripta *Litasi*; ibi in museo ($\frac{2}{3}$).

inter a. 193 et 211 0,012




...... *[col]legium experirem[u]r* | ...... *invicti Severi* | .... *rvianus filius eius in* | .... *collegium n(ostrum) suscepe|runt* e. q. s.

CIL V 61 vv. 2—4 quae supersunt. Fragmenta decreti collegii alicuius in honorem viri alicuius, cui Litasius agnomen sive signum videtur fuisse.

1089 Cumis, basis marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{2}{3}$).

a. 289



0,014

0,022

M. Macrio Basso L. Ragonio | *Quintiano co(n)s(ulibus) k(alendis) Iunis* | *Cumis in templo divi Vespa*|*siani in ordine decurionum* ...... *scribundo sorte ducti adfuerunt* .... *referentibus pr(aetoribus)* | *de sacerdote faciendo matris* | *deae Baianae* e. q. s. | *XV(viri) sacr(is) fac(iundis) pr(aetoribus)* | *et magistratibus Cuman(is) sal(utem):* | sequitur epistula | *Pontius Gavius Maximus* | *pro magistro suscripsi XVI kal(endas)* | *Septembres M. Umbrio Primo* | *T. Fl(avio) Coeliano co(n)s(ulibus)*

CIL X 3698 vv. 1—3 et 16. Consules sunt anni s. s.

III

ACTA MONVMENTIS ASIAE GRAECIAE ILLYRICI RAETIAE ADSCRIPTA


Graecum, nisi fallimur, acta lapidibus inscribendi usum in Graecis potissimum imperii partibus vestigia reliquisse nemo mirabitur. Itaque ut liberae iam rei publicae temporibus senatus consulta in tabulis marmoreis sculpta publice proponebantur in oppidis Graecis, veluti Thisbaeum a. 583 (Ephem. epigr. I p. 279 ss. II p. 102 ss.) et Adramytenum aetatis Gracchanae (Ephem. epigr. IV p. 213), ita ab Augusti aetate eius consuetudinis documenta non pauca quidem reperta sunt, pauca vero eorum hic exhibere licuit. Praecedit, ut par est, exemplum scripturae monumenti Ancyrani (n. 1090); sequuntur *constitutio Vedii Pollionis* Ephesina (n. 1091), basis Samothracia a. 124 (n. 1092), senatus consultum Cyzicenum c. a. 157 (n. 1093). Reliquorum vero actorum in regionibus illis repertorum, quatenus adhuc extant, utraque lingua scriptorum exempla praesto non fuerunt; sunt autem haec: decretum *Claudii* a. 49 Tegeaticum (Ephem. epigr. V p. 69 n. 187), *Avidii Quieti*, Plutarchi scriptoris amici, *epistulae* ad Aezanites Phrygiae datae imperante Traiano (CIL III 355), *Avidii Nigrini* fratris Quieti decreta Delphica (CIL III 567 cf. add. p. 987), decretum *Q. Gellii Sentii Augurini* Lamiae in Phthiotide repertum aetatis fere Hadrianae (CIL III 586), edictum *Pii* Smyrnaeum (CIL III 411), *eiusdem imperatoris* edictum a. 145 repertum in Galatia admodum lacerum (CIL III 282), *Ovinii Tertulli epistulae* ad Tyranos datae imperantibus Severo et Caracalla (CIL III 781, cuius quae a Mercklino

olim proposita est imago *Archäol. Zeitung* XI 1853 p. 161 ss. veras litterarum formas minime repraesentat), rescriptum *Valeriani et Gallieni* Baetocaece in Syria repertum (CIL III 184; nam Smyrnaeum eorundem imperatorum CIL III 412 periit), fragmenta legum *Constantii et Maximiani* Corcyraea (CIL III 578), rescripta *Constantini* a. 330. 331 ad Orcistenos (CIL III 352), fragmentum decreti Mylasensis a. fortasse 348 (CIL III 448), constitutio *Iuliani* a. 362 Amorgina (CIL III 459). Ea quae ultimo loco memoravi uncialibus litteris scripta sunt; de reliquorum scriptura accuratius relatum non est. Graeci exempli vestigia clara demonstrat senatus consultum Cyzicenum (n. 1093), potissimum in cornibus litterarum L et E inferioribus. Denique ab hac sylloge deesse non potuit *edictum Diocletiani*, cuius exemplum Aegyptiacum solum hic repraesentari potuit (n. 1097); specimina enim litterarum exhibita in corporis volumine tertio (p. 802) omni ex parte sufficere visa non sunt.

Quattuor praeterea actorum exempla adiungere licuit, *laterculorum* Savariensis a. 188 (n. 1094), Moesiaci a. 227 (n. 1095), Reginensis item aetatis Alexandrianae (n. 1096), Salonitani a. 303 (n. 1098). Quae enim eiusdem modi praeterea extant monumenta non pauca, *matriculae militum* Troesmenses a. 134 (CIL III 6178—6180), Solvensis (CIL III 5319), Savariensis a. 188 (CIL III 4150), Carnuntina a. 212 (CIL III 4452; adde fragmentum Vindobonense CIL III 4568), Virunenses eiusdem fere aetatis (CIL III 4778 4784 4785), Napocensis a. 235 (CIL III 870), item album *sodalicii Bacchiorum vernaculorum* a. 227 Moesiacum (CIL III 6150), eorum quanquam partim habui ectypa, tamen non visum est necessarium in hoc opere exempla proferre, cum scripturae genere et collocatione nominum non multum differant ab eius modi monumentis reliquis.

Inter monumenta supra proposita nulla sunt ex regionibus hisce profecta, quae scripturam exhibeant proprie actuariam; sed militum tituli illi Aegyptii et Attici (n. 370 371), qui etiam vulgaris scripturae epigraphicae documenta haberi possunt, deinde tituli illi Syenenses saeculi alterius medii (n. 456), libertate quadam scripti sunt cum scriptura actuaria comparanda.

1090 Ancyrae in pariete Augustei; ex ectypis gysaceis musei Berolinensis ($\frac{2}{3}$).



0,015 0,012 0,009 0,005

Praescriptio: *Rérum gestárum díví Augusti, quibus orbem terra[rum] imperio populi Rom(ani)* | *subiécit, § et inpensarum, quas in rem publicam populumque Ro[ma]num fecit, incisarum* | *in duabus aheneis pilis, quae su[n]t Romae positae, exemplar sub[i]ectum*

Caput I: *Annos undéviginti natus exercitum priváto consilio et privatá impensá* | *comparávi, [§] per quem* e. q. s.

Caput XIX: *Cúriam et continens ei chalcidicum, templumque Apollinis in* | *Palatio cum porticibus* e. q. s. ... *féci*


CIL III p. 778 ss.

Ex commentario Mommseni (iterum edito p. 190) haec subieci, quae ad scripturae formam externam spectant: 'uniuscuiusque capitis littera prima eminet; in fine solet adscribi comma formae ↗, rarius ↘. Eodem signo faber aliquoties (ut I ı VI ı) usus est ne confunderentur paginarum duarum versus iuxta positi solito interstitio deficiente. Similibus virgulis in exemplari Graeco principium tam secundi parietis Latini quam auctarii indicatur. Etiam intra capita quo commodius lectio procederet, faber commata significavit aliquoties signis iisdem, plerumque interposita virgula / vel interstitio solo. Omnino re non differunt pendentque ab arbitrio scribentis notae hae omnes'. De interpunctione haec adnotavit: 'verba in Graecis continuantur, in Latinis separantur punctis interpositis plene et diligenter, scilicet ut praepositiones saepe enclitice substantivis suis adiungantur'; simili ratione punctum deest in praescriptione supra proposita vocabulis ET INPENSARVM.

Addo quadratarium universam materiam ita disposuisse eaque perscripsisse aequabilitate, qualem in papyris membranisve manu exaratis probabile est ea aetate obtinuisse. Litterarum magnitudo omnino aequabilis in paginis IV—VI paullo minor est quam in praecedentibus; item versus singulorum versuum fines litterae paullo fiunt angustiores, ut spatium apte expleant. Scribendi forma praeter praescriptionem, quae, ut solent eius generis etiam in actis Arvalium et in calendariis scribi, monumentalibus litteris similior, in reliquis plane actuaria est, perspicua elegans, sed tamen libera, non anxie curata. Quae si comparabitur cum papyrorum et codicum manu scriptorum vetustissimorum, veluti Herculanensium cet. (Zangemeister et Wattenbach tab. I—III) et palimpsestorum Vaticanorum et Ambrosiani (ibidem tab. IV—VII), quantum ab illis saeculi primi litteratura differat apparebit, etiamsi concedendum est scribas vetustam artem per saecula in universum conservasse satis aequabilem.

1091 Ephesi, in theatro, tabula marmorea; extat Londinii in museo Britannico (¼).

v. 5 0,027 vv. 6 0,030




...... *placet ex constitutione Vedi Pollionis* e. q. s. | *Item servos publicos qui dicuntur infantes exig* .... | *ipsorum alantur. Vicaris suis placet ip*|[*sos* ....] | *Dianae in portione opsoni dicuntur esse div*[........... | *qu*]*antum Vedi Pollionis constitutione con*[.....

CIL III 6066 vv. 5. 6. Saeculi primi nisi fallor. Vedius Pollio quando proconsul Asiae fuerit ignotum.
V. 5 extr. *exig* certissime in ectypo cernitur, non *ex. io.*

1092 Samothracae, marmor convexum repertum prope aedem rotundam reginae Arsinoes; servatur Vindobonae in museo publico (¼).

a. 124



0,042
0,028
0,010


Régibus Iov .... | *iterum, M'.* [*Acilio*] | *Glabrione* [*C. Bellicio*] | *Torquato co(n)s(ulibus), V* ..... | *sacra accépérunt* sequuntur nomina ingenuorum | ..... *lictor C. Fádius Endymión* | ...... sequuntur nomina servorum

Ephem. epigr. IV p. 53 n. 112 vv. 1. 2 pars sinistra, v. 11 pars dextra.

1093 Cyzici, tabula marmorea; servatur Londinii in museo Britannico (⅓).

c. a. 157

0,018



[*S(enatus) c(onsultum) de p*]*ostulatione Kyzicenor(um) ex Asia,* | *qui dicunt, ut corpus quod appellatur Ne*|*on* (νέων) *et habent in civitate sua auctoritate* | [*amplissimi o*]*rdinis, confirmetur; scri*|[*bendo adfue*]*runt M. Aelius imp(eratoris) Titi Aeli* | [*Hadriani An*]*tonini f(ilius) Pap(iria) Aurelius Ve*|[*rus,* ....]*s M. f(ilius) Gal(eria) Verus, M. Hosidius* | *M. f(ilius) A*...*(ensi) Geta, M. Annius M. f(ilius) Gal(eria) Libo, Q.* | *Pompe*[*ius*] *Q. f(ilius) Hor(atia) Bassianus, L. Fl(avius) L. f(ilius)* | *Quir(ina) Iulianus, L. Gellius L. f(ilius) Ter(etina) Severus* | *q(uaestor quaestores) sententia dicta ab Appio Gallo* | *co(n)s(ule) desig(nato) relatione IIII concedente* | *imp(eratore) Caes*[*are Tito A*]*elio Hadriano An*|*to*[*nino Aug(usto) Pio* ....] *IIII relatione sua* | [....... *Kyzicen*]*os ex Asia* | [...... *quos Neos a*]*pellant*

Ephem. epigr. III p. 156 ss. (ubi de tempore dictum est) vv. 9 extr. ad 12.

1094 Savariae (*Stein am Anger*) in Pannonia superiore, tabula lapidea; in museo Pestinensi (¼).

a. 188




0,040
0,038
0,014
0,009

Numinibus | *Rubr(ius) Euporio et Mem(mius) Emeri(tus) iussi* | sequuntur nomina curialium curiarum quinque | *cur(ia) I Caes(ius) Sabinus .....; cur(ia) II Iustus .....; cur(ia) III Domit(ius) Dionysius ....; cur(ia) IIII Quiet(ius) Iustinus ....; cur(ia) V Val(erius) Firmus ....* | *Fusciano et Silano II co(n)s(ulibus), sac(erdote) Romano*

CIL III 4150 vv. 1—4. Consules sunt anni s. s.

1095 *Lidschan* in Moesia inferiore, basis magna; extat ibi (⅕).

a. 227



0,032
0,028
0,022

Q(uod) b(onum) f(elix) f(austum)? | *Albino et Maximo co(n)s(ulibus)* | *nomina Bacchii vernaculorum* | *per prin-c(ipe) c(ollegii) Sentio Verano bul(euta) t... p... h[e]r... e...;* | *sac(erdos) c(ollegii) Val(erius) Valens; fil(ii) Valer(ia) et Valentianus* | e. q. s.

CIL III 6150 vv. 2—4. Album sodalicii Bacchici barbare scriptum. V. 4 BVL·TV2·HR·E, ut editum est, in ectypo non vidi; quid significetur, incertum, ut multa alia. Consules sunt anni s. s.

1096 In Castris Reginis Raetiae, tabula marmorea; ibi in museo (⅙).

inter a. 222 et 235



0,044
0,036


.... *vict]oriae* | .... *[Severi Ale]xandri Aug(usti)* | *curam agentibus?* ....*i Far(....) et Iul(io) Iulian(o) q(uaestoribus?)* sequuntur columnae quattuor matriculae militum | *Iul(ius) Tetricus ...., Ger(manicus) Victor* e. q. s.

CIL III 5944 vv. 2—4.

1097 Edictum Diocletiani et collegarum de pretiis rerum venalium; exemplum Aegyptium nunc Aquis Sextiis in Gallia Narbonensi servatum (1/3).

a. 301

0,017




[*Imp(erator) Caesar C. Aurel(ius) Val(erius) Diocletianus P(ius) F(elix) Inv(ictus) Aug(ustus) po*]|*nt(ifex) max(imus), Germ(anicus) m(aximus) VI, Sarm(aticus) max(imus) IIII, Persic(us) max(imus) II, Britt(annicus) max(imus), Carpic(us) max(imus), Armenic(us) max(imus), Medic(us) max(imus), Adiabenic(us) max(imus),* | *trib(unicia) pot(estate) XVIII, co(n)s(ul) VII, imp(erator) XVIII, p(ater) p(atriae), proco(n)s(ul)* *et imp(erator) Caesar M. Aurel(ius) Val(erius) Maximianus P(ius) F(elix) Inv(ictus) Aug(ustus), pont(ifex) max(imus), Germ(anicus) max(imus) V, Sarm(aticus)* | [*max(imus) IIII, Persic(us) max(imus) II, Britt(annicus) max(imus), Carpic(us) max(imus), Medic(us) max(imus), Adiabenic(us) max(imus), tri*]|*b(unicia) p(otestate) XVII, co(n)s(ul) VI, p(ater) p(atriae), proco(n)s(ul)* *et Fla(vius) Val(erius) Constantius Germ(anicus) max(imus) II, Sarm(aticus) max(imus) II, Persic(us) max(imus)* | *II, Britt(annicus) max(imus),* [*Carpic(us)*] *max(imus), Armenic(us) max(imus), Medic(us) max(imus), Adiabenic(us) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VIIII, co(n)s(ul) III, nobil(issimus) Caes(ar)* *et G. Val(erius) Maximianus Germ(anicus) max(imus) II, Sarm(aticus)* | [*max(imus) II, Persic(us) max(imus) II, Britt(annicus) max(imus), Carpic(us) max(imus), Armenic(us) max(imus), Medic(us) max(imus), Adia*]|*b(enicus) max(imus), trib(unicia) p(otestate) VIIII, co(n)s(ul) III, nobil(issimus) Caes(ar)* *dicunt* e. q. s.

CIL III p. 801 ss.

Reliquorum quae reperta sunt exemplorum Stratonicensis Aezanitici Mylaseni Geronthraei Megarensis Lebadiaci Carystii Thebani Gythiaci (quibus nuper accesserunt edita in Ephem. epigr. IV p. 180 n. 644 et V p. 87 n. 242—246) scriptura dicitur simillima esse.

1098 Salonis, basis quadrata marmorea omnibus lateribus scripta; servatur ibi in museo (1/6).

a. 303



0,026

0,020

[*D(ominis) n(ostris) Dio*]*cletiano VIII* | *et Maximiano* | *VII Aug(ustis) co(n)s(ulibus)* | *Aur(elio) Valen*|*tiniano v(iro) p(erfectissimo)* | *bis prefect*|*o kalendis* | *Febr(uariis) menes*|*travimus at Tritonis* sequuntur nomina ministrorum decem

CIL III 1968 faciei antiquissimae vv. 1—3; in reliquis lateribus acta annorum 319 et 320 inscripta sunt. Consules sunt anni s. s.

IV

ACTA MONVMENTIS GALLIAE ET GERMANIAE ADSCRIPTA

In Gallia Narbonensi prope Augustum (*Aoste*) olim extabat *lex rivi ul*[*terioris*] quaedam brevis lapidi insculpta (CIL XII 2426); alia eius modi monumenta indidem innotuerunt pauca, sed notabilia. Locum inter ea primarium obtinet *lex arae* Narbonensis (n. 1099), de cuius aetate dictum est in adnotatione; versus anticae tres priores scripturam habent monumentalem ornatam, reliqui omnes actuariam elegantem. Sequitur *exemplum* item Narbonense *epistulae Sex. Fadi Pap*(*iria*) *Secundi Musae* a. 149 (n. 1100). Supra iam inter monumenta exhibitum est exemplum Vasiense, quod *caput ex testamento* continet scriptum aetate Flaviorum litteris actuariis elegantibus (n. 382). *Decretum* aliquod *paganorum* in agro Arelatensi repertum, inscriptum illud imperante Pio (CIL XII 594), interiit; quae Arausione repert sunt fragmenta obligationis fundorum marmoribus inscripta (CIL XII 1244), ea exhiberi nec potuerunt nec magnae visa sunt futura esse utilitatis. Memoro praeterea e Galliis nuper prolatam tabellam sepulcralem, repertam illam in *Saint-Puy* (*dép. du Gers*), scriptam litteris minimis (altis 0,002) actuariis ad cursivam accedentibus (*Revue épigr. du midi de la France* II 1882 p. 275). Denique etiam christianae aetatis Gallica multa scriptura utuntur actuaria parva (ut n. 775 776 777).


E Germaniis paene nihil eius generis monumentorum innotuit. Exhibui, cum acta propria lapidi insculpta omnino desint, titulos aliquot matriculas continentes, quae scriptae sunt litteris actuariis, saeculi tertii omnes, veluti Mattiacensis a. 236 (n. 1101). Mogontiaci praeterea prodierunt matriculae non nullae militares aetatis incertae (ut Bramb. 1330). Treverensem saeculi fere tertii et ipsam (Bramb. 825) vidi, sed omisi.

Scriptura parva admodum simili praeterea ut in Italia ita hic quoque utuntur tituli aliquot sacri parvi supparis aetatis, veluti in castello *Niederbieber* repertus a. 246 (n. 1102), Lupodunensis a. circiter 248 (n. 1103). Quibuscum conferantur reliqui similes supra prolati Birtensis a. 223 (n. 628), in vico Aurelio repertus (n. 631), arula Genii (reperta una cum n. 1102 supra n. 633), alii. Similes praeterea non pauci extant, veluti *in h*(*onorem*) *d*(*omus*) *d*(*ivinae*) *Genio centuriae* cet. a C. Rectio Atiliano tesserario posita a. 230, servata in museo Wiesbadensi (ap. Bramb. nondum edita). Etiam tituli sepulcrales Bingiensis (supra n. 207) et Mogontiacensis (n. 408) scripti sunt litteris ab actuariis non multum distantibus. Ex Raeticis supra relatis *aram Bedaii* unam hic quoque licet afferre propter consulum a. 237 nomina litteris actuariis non bonis adscripta (n. 576).

E Britannia nihil eiusmodi quod enotarem habui. Atque etiam ex Hispaniis quae proprie huc pertineant nulla proferre licuit. Decretum enim Tarraconense *L. Novii Rufi ex tilia recitatum* a. 193 (CIL II 4125) aliaque eius generis pauca aut interierunt aut repraesentari non potuerunt. Omnino inter monumenta Hispana ad actorum scripturam prope accedunt pauca; bases parvae Cordubensis Ursonensis Carthaginiensis, aetatis Augustae omnes (supra n. 225 226 227), cum litteris scriptae sint non magnis, aliquo modo scripturae actuariae attribui possunt. Denique bases duae honorariae eidem viro locis diversis positae *C. Vallio Maximiano* saeculo tertio exeunte (supra n. 447 448) scriptae sunt litteris actuariis. Paullo diversa est, sed elegantior, tabula Cordubensis accurate incisa *coloniae Patriciae* ob honorem flaminatus dedicata a flamine provinciae (Ephem. epigr. III p. 37 n. 16); tamen et ipsa formas scripturae actuariae liberiores aliquo modo illustrat.

1099 Narbone, ara marmorea; ibi in museo (⅓).

a. 11




0,045


0,040

0,035


0,025



0,016
0,015



0,016
0,015



0,021
0,013

In antica: *T. Statilio Taur[o] | L. Cassio Longino | co(n)s(ulibus) X k(alendas) Octobr(es) | numini Augusti votum | susceptum á plebe Narbo|nénsium in perpetuom*
Quod bonum faustum felixque sit imp(eratori) Caesari | Divi f(ilio), Aug(usto), p(atri) p(atriae), pontifici maximo, trib(unicia) potest(ate) | XXXIIII, coniugi liberis gentique eius, senatui | populoque Romano et colonis incolisque | c(oloniae) I(uliae) P(aternae) N(arbonis) M(artii), qui sé numini eius in perpetuum | colendo obligáverunt; plébs Narbonen|sium áram Narbone in foro posuit, ad | quam quotannis VIIII k(alendas) Octobr(es), qua die | cum saeculi felicitas orbi terrarum | réctorem édidit, tres equites Romani | á plebe et tres libertini hostias singu|las inmolent, et colónis et incolis ad | supplicandum númini eius thús et vinum | dé suo eá die praestent; et VIII k(alendas) Octobr(es) | thus vinum colonis et incolis item prae|stent; k(alendis) quoque Ianuar(iis) thus et vinum | colonis et incolis praestent; VII quoq(ue) | idus Ianuar(ias), quá die primum imperium | orbis terrarum auspicátus est, thure | vino supplicent et hostias singul(as) in|molent et colonis incolisque thus vi|num eá die praestent;
Et pridie k(alendas) Iunias, quod ea die T. Statilio | Tauro M'. Aemilio Lepido co(n)s(ulibus) iúdicia | plebis decurionibus coniúnxit, hostias | singul(as) inmolent et thus et vinum ad | supplicandum númini eius colonis et | incolis praestent; |
Exque iis tribus equitibus Romanis et tribus | libertinis unus . . . .

In latere: *[Plebs] Narbonensis [aram] | numinis Augusti [dedi]|cavit . . . . | . . . . | . . . . | . . . . | legibus iis, q(uae) i(nfra) s(criptae) s(unt): |*
Numen Caesaris Augusti p(atris) p(atriae), quando tibi | hodie hanc aram dabo dedicabo|que, his legibus hisque regioni|bus dabo dedicaboque, quas hic | hodie palam dixero: uti infimum | solum huiusque arae titulorum|que est, si quis tergere órnare | reficere volet, quod beneficii | causa fiat, ius fasque esto; sive | quis hostia sacrum faxit, qui | magmentum nec protollat, id|circo tamen probe factum esto; si|quis huic arae donum dare au|gereque volet, liceto, eademq(ue) | lex ei dono esto, que [sic] *arae est; ceterae leges huic arae titulisq(ue) | eaedem sunto, quae sunt arae | Dianae in Aventino. Hisce legi|bus hisque regionibus, sicuti | dixi, hanc tibi aram pro imp(eratore) | Caesare Aug(usto) p(atre) p(atriae), pontifice maxi|mo, tribunicia potestate XXXV, | coniuge, liberis genteque eius | senatu populoque R(omano), colonis | incolisque col(oniae) Iul(iae) Patern(ae) Narb(onis) | Mart(ii), qui se numini eius in per|petuum colendo obligaverunt, | do dedicoque, uti sies volens | propitium*


Orell. 2489 anticae vv. 1—9 et 29. 30, lateris vv. 7—9.

Titulum anticae in planitie profundiore (*en creux*), lateris in altiore sculptum esse (*bombée*), deinde lateris versus inter *dedicavit* et *legibus* vocabula consulto erasos esse adnotat Lebègue (*Rev. archéol.* XLIII 1882 p. 76 ss.), fortasse recte.

I. B. de Rossi inscriptionem universam non eius esse aetatis existimabat quam indicat, sed instauratam aetate Antoninorum (ann. instit. archaeol. a. 1857 p. 328 ubi haec sunt verba C. L. Viscontii *'l'ara di Narbona sembrò al de Rossi rifatta a tempo degli Antonini'*); quod probaverunt Eduardus Herzog alii, Eduardus Barry, cuius exemplum profert Lebègue, reprobabat; Lebègue ipse faciei titulum aetati Antoninorum, lateris Augustae tribuit. Sed discrimen quod inter faciei et lateris scripturam intercedit, apparet inde explicari, quod in latere angusto angustiore scriptura opus erat. Unde si omnino restituta est, utramque inscriptionis partem restitutam esse necessario statuendum sit; quod faciei inscriptio in planitie profundiore legitur, inde explicari potest, quod quadratarius exemplum scalpi coeptum propter vitia delerit, ut legis Vipascensis aes vertit. Ut restitutam esse concedam maxime me movent litterae maiores anticae vv. 1—3 adhibitae cum punctis suis hederarum forma; sed cf. titulus Tolosanus supra n. 36. Reliquae litterariae cur sculptae esse non possint a. 11 non video, neque vero nego, totius monumenti speciem eam esse posse, ut qui viderint periti iure id saeculo tribuerent alteri fere medio. Cf. etiam n. 1100.

1100 Narbone, basis marmorea; servatur ibi in museo (1/2).

a. 149 v. 1 0,025 vv. 2. 3 0,020 vv. 4. 5 0,014




In antica: *Sex. Fadio* | *Secundo Mu[sae]* | *omnibus hon[oribus]* | *in colonia N[arbo]|nense [functo]* | . . . . | *novi Nar-b[onenses?]* | *fabri subaedi[ani]* | *Narbonen[ses]* | *patrono ob merita* | *eius* | *l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*

In latere: *Exemplum epistulae* | *Sex. Fádi Pap(iria) Secundi Músae* | *in verba infra scribta:* | *[Fadi]us Secundus collégio fabrum Narbónésium salutem.* | *[Etsi] plúrimis et adsiduis ergá mé meritis vestris referre grátiam* | *[ae]quam difficile est* e. q. s. | *[Deinde] manu Fadii Secundi subnotatum erat, [acta it]a e mandato; scribsi kalendis Octobribus Orfito et [Prisco] co(n)s(ulibus)* e. q. s.

Henzen 7215 lateris vv. 1—5. Consules sunt anni s. s.

1101 In Castello Mattiaco (*Kastel*), tabula ex lapide arenario; in museo Mogontiacensi (1/4).

a. 236 0,027 0,023 0,010




In h(onorem) d(omus) d(ivinae) deae Virtuti Bello|ne montem Vaticanum | *vetustate conlabsum* | *restituerunt hastiferi ci|vitatis Mattiacor(um) X kal(endas) Sept(embres) imp(eratore) [C. Iul(io) Maximino Aug(usto)]* | *et Africano co(n)s(ulibus) hi quorum no|mina i(nfra) s(crip)ta sunt* | *C. Meddignatius Severus cur(ator) bis* | *L. Laevinius Qiuetus* sequuntur nomina sedecim duabus paginis scripta

Brambach 1336 vv. 1. 2 et 6—9. V. 9 Q litterae I superposita est ante V. Consules sunt anni s. s.

1102 In castello prope *Heddesdorf* et *Niederbieber*, arula perparva lapidea; in museo ducis *de Wied* (⅔).

a. 246 — 0,008-0,006 — 0,008




In antica: *In h(onorem) d(omus) d(ivinae) baioli | et vexillari col|legio Victorien|sium signifer|orum Genium d|e suo fecerunt | VIII kal(endas) Octobr(es) | Presente et Albino | co(n)s(ulibus) | h(omines) XIIII d(e) s(uo r(estituerunt)*

In lateribus sequuntur nomina quattuordecim, quorum haec prima sunt: *Satullus | Sattara*

Brambach 691 vv. 1—5 et 8. 9 et 692 vv. 1. 2.
Consules sunt anni s. s.

1103 Lupoduni (*Osterburken*), arula perparva; in museo Caroliruhensi (⅓).

inter a. 244 et 249 — 0,013



Genio | opt(ionum) | coh(ortis) III | Aquit(anorum) | Philippi|anae

Annal. Bonnens. vol. XLVI a. 1869 p. 112 integra.

V

ACTA MONVMENTIS AFRICANIS ADSCRIPTA


Provinciae Africanae ut titulis reliquis abundant, ita huius quoque actorum lapidi inscriptorum generis exempla servaverunt plura, quam reliquae. Nobilissima sunt *Hadriani adlocutio* Lambaesitana a. 128 (n. 1104), *senatus consultum* Beguense a. 138 (n. 1105), *epistulae de aquae ductu* Salditano a. circiter 152 (n. 1106), *epistula conductorum saltus* Burunitani a. 180/83 (n. 1107), *lex portus* Zaraitana a. 202 (n. 1108), *album* denique *decurionum* Thamugadensium c. a. 367 (n. 1111). Ea exhibere licuit omnia: exempla sunt scripturae sive pictae sive actuariae proprie dicendae inde a saeculo fere altero ineunte ad quartum exiens, non male scripta pleraque, si exceperis unum alterumve (ut n. 1107 1108), antiquiora (ut n. 1104) optime. Omisi alia eiusdem generis, veluti *decretum nundinale* Mastarense a. 212 (CIL VIII 6356), cum scriptum sit litteris non proprie actuariis, sed paene monumentalibus (altae sunt 0,030 ad 0,020); fragmentum *canonis vinarii* saeculo quarto non satis perspicue scriptum Carthagine (CIL VIII 1127); *capita ex testamentis* monumentis adscripta Siccense imperante Marco sculptum nitide litteris parvis (0,018 ad 0,014) sed satis elegantibus (CIL VIII 1641); Auziense saeculi puto tertii admodum male habitum (CIL VIII 9052; litterae eius adeo corrosae sunt, ut apte delineari nequeant). Quod nuper prodiit prope Tabarcam in provincia Byzacena decretum a. 185 (*Bulletin épigr. de la Gaule* III 1883 p. 175 ss.), nondum vidi. Addidi ex numero magno laterculorum militarium saeculi alterius exeuntis, ut in saltu Aurasio reperti a. 171/76 (CIL VIII 2464), tertiique, ut Bibensis (CIL VIII 912), Lambaesitanorum (CIL VIII 2554—2569 2586 2618) uniusque municipalis Siguitani (CIL VIII 10860), duo Lambaesitana (n. 1109 1110): comparentur ea cum monumentis similibus urbanis (supra n. 238 289). Tituli deinde aliquot militares Africani, ut in reliquis quoque partibus orientis, ad scripturam actuariam aliquo modo accedunt (supra n. 450); denique basis parva regis Ptolemaei (supra n. 233) litteras habet parvas actuariis similes.

Cum his Iubae et Ptolemaei regum monumentis componendae sunt tabellae columbariorum urbanorum similes, quae Caesareae in Mauretania prodierunt. Pertinent enim ad regum illorum familiam scriptaeque sunt litteris minutis (altis 0,0015 ad 0,0020) Graecae paene elegantiae, ut illa inscripta *Aeschinus Iubae regis Antonianus ic sit(us) est s. t. t. l.* (CIL VIII 9344); reliquae non omnes aeque bonae sunt (CIL VIII 9343—9551). Tabellae Carthaginienses saeculi primi similes minus eleganter scriptae sunt; adde recentiorem in M'hammedia repertam *Maiae* alicuius *Aprodisiae* (CIL VIII 878) aliasque. Etiam dedicationes nonnullae non magnae litteris eisdem actuariis scriptae sunt, ut Agbiensis pro salute Pii et liberorum eius (CIL VIII 1548), Mustitana Iunonis (CIL VIII 1575); hae accurate scriptae sunt, minus bene Sitifensis deorum omnipotentum (CIL VIII 8457). Aetatis recentioris tituli sepulcrales quo modo scriptura actuaria ibi quoque sensim vetustam aequabilitatem et elegantiam amiserit demonstrant; conferantur v. c. Caesareensis (CIL VIII 9393) et ex Oppido novo proveniens (CIL VIII 9642), quibus multa alia eiusdem fere generis exempla addi possunt.

1104 In Castris Lambaesitanis provinciae Numidiae, in basi columnae; ibi in praetorio ($\frac{1}{3}$).

a. 128

v. 4 0,032 vv. 5. 6 0,030




Eq(uites) coh(ortis) VI Commagenorum. | *Difficile est, cohortales equites, etiam per se placere, difficilius post ala|rem exercitationem non displicere: alia spatia campi, alius iacu|lantium numerus, frequens dextrator, Cantabricus densus,* | *equorum forma armorum cultus pro stipendi modo* e. q. s.

CIL VIII 2532 *A* lateris sinistri vv. 4—6, ubi de aetate tituli expositum est.

Colon est ex adlocutione Hadriani ad milites in castris Lambaesitanis tendentes. B littera interdum ita formata est b.

1105 In vico Casae regionis Beguensis provinciae Africae Byzacenae; tabula ex lapide calcareo una cum altera gemella loco antiquo in terram immissa (¼).

a. 138



0,040


S(enatus) c(onsultum) de nundinis saltus Beguensis in t(erritorio) | *Casensi descriptum et recognitum ex libro sen|tentiarum in senatu dic[ta]rum k(apite) V . . . . . . T. Iuni Nigri C. Pomponi Camerini co(n)s(ulum), in quo scripta erant A[frica]ni iura et id quod i(nfra) s(criptum) e(st)* sequitur senatus consultum. | *Quod P. Cassius Se|cundus P. Delphius Peregrinus Aleius Alennius Maxi|mus Curtius Valerianus Proculus M. Nonius Mucianus* | *co(n)s(ules) verba fecerunt de desiderio amicorum Lucili Afri|cani c(larissimi) v(iri), qui petunt, ut ei permittatur in provincia Africa regione* | *Beguensi territorio Musulamiorum ad Casas nundinas* | *IIII non(as) Nov(embres) et XII k(alendas) Dec(embres)* cet. *instituere habere, quid fieri* | *placeret de ea re ita censuerunt* e. q. s.
Act(um) idibus Oct(obribus) P. Cassio Secundo M. Nonio Muciano e. q. s.

CIL VIII 270 exempli alterius vv. 13. 14. Consules sunt anni s. s.

Wilmannsius titulos non a. 138 sed multo postea incisos esse iudicabat; litteras enim esse eius formae, qualis in Africa post Diocletiani tempora vel certe post medium saeculum tertium in usu fuisset (Ephem. epigr. II p. 276). Sed fallitur; easdem enim vel similes supra observavimus in titulis Africanis a. 150 (n. 457) a. 157 (n. 458) a. 200 (n. 674). Sane similes etiam sunt in titulo Philippi (supra n. 684); sed aetatis post Diocletianum nulla earum exempla novi.

1106 Lambaesi, basis sexangularis ex duobus lapidibus aequalibus composita, quorum alter periit, alter ibi servatur in carcere publico (⅙).

c. a. 152



0,050

0,023


0,015

Sub protomis mulierum tribus, quae fastigia unius cuiusque lateris ornant:
Patientia Virtus Spes
In latere primo et altero: [*Varius Clemens Valerio*] *Etrusco: 'et Salditane* [sic] *ci|vitas splendidissima et ego cum Salditanis rogamus te, domine,* e. q. s.'
In latere tertio: *Ut lucidius labor meus circa duc(tum)* | *hoc Saldense pareret, aliquas e|pistulas subieci:* | *Porci Vetustini ad Crispinum:* | *'benignissime, domine, fecisti* e. q. s.'

CIL VIII 2728 lateris I vv. 1. 2, lateris III v. 67.

1107 In saltu Burunitano (*Suk-el-Khmis*) provinciae Africae proconsularis; tabula lapidea scripta paginis quattuor iuxta positis; in museo Parisino (½).

inter a. 180 et 183




0,015

Epistula conductorum saltus Burunitani ad imperatorem, cuius pagina prior periit . . . . [*Idque co*]*mpulit nos miserrimos homi|*[*nes ius*]*sum divinae providentiae* | [*tuae invo*]*care. Et ideo rogamus, sacratissime imp(erator), subvenias. Ut kapite le|gis Hadriane, quod supra scriptum est, ad|emptum sit ius etiam proc(uratoribus)* e. q. s. Sequitur rescriptum imperatoris et exemplum epistulae *proc(uratoris) e(gregii) v(iri).* In fine est: *Feliciter consummata et dedicata* | *idibus Mais Aureliano et Corne|liano co(n)s(ulibus) cura agente* | *C. Iulio . . . ope Salaputi mag(istro)*

CIL VIII 10570 col. III vv. 3—5. Consules suffecti ignoti sunt; aetas definitur Commodi nominibus.

1108 Zarai in provincia Numidia, tabula ex lapide calcareo; servatur Lambaesi in praetorio (1/3).

a. 202



0,023
0,021


Imp(eratoribus) Caes(aribus) L. Septimi|o Severo III et M. Aurelio | Antonino Aug(ustis) piis co(n)s(ulibus) | *lex portus post discessum* | *coh(ortis) instituta:* | *lex capitularis;* | *mancipia singula* X̶ *(denario) I s(emis)* e. q. s.

CIL VIII 4508 vv. 4. 5. Consules sunt anni s. s.

Litterae reliquae male sunt scriptae pleraeque, ita ut ex parte saeculi quarti potius esse videri possint.

1109 In Castris Lambaesitanis, basis marmorea; ibi in praetorio (1/2).

a. 220



0,007

In antica: [*Pro salute d(omini) n(ostri) imp(eratoris) Caes(aris)* | *M. Aureli Antonini* | *Pii Fel(icis) Aug(usti) p(ont(ificis) max(imi)*], *p(atris) p(atriae), trib(unicia) pot(estate), co(n)s(uli)* . . . , | *procons(uli), divi Magni Antonini fil(io)* cet. . . . . *et Iuliae* | *Maesae Aug(ustae)* cet. | *duplari leg(ionis) III Aug(ustae) P(iae) V(indicis) Anto|ninianae devoti numini* | *maiestatique eorum* | *regressi de expeditio|ne felicissima orien|tali*


In lateribus duobus: matricula principalium et dupliariorum, inter quos
Aufidius Felix dup(larius)

CIL VIII 2564 lateris col. II v. 69.

Cf. titulus sepulcralis Lambaesitanus coniugi positus ab eodem duplario CIL VIII 2816.

1110 Lambaesi, ara ex lapide calcareo; servata ibi in praetorio (1/8).

inter a. 270 et 275



0,045
0,035


In antica: *I(ovi) o(ptimo) F(. . . .?) m(aximo)* | *p(ro) s(alute) d(omini) n(ostri) Aureliani Aug(usti)* | *alb(um) vet(eranorum)* sequuntur nomina veteranorum viginti quattuor
In lateribus sequuntur reliqua veteranorum nomina viginti septem

CIL VIII 2626 vv. 2. 3.

v littera cum l et i nominis Aureliani iuncta quid significet incertum, nec minus certae interpretationis f littera (*Fulguri* Renier, *fecerunt* Wilmanns olim) corona cincta, quae supra Aureliani nomen est.

1111 Thamugadi in provincia Numidia, basis marmorea; ibi in foro ($\frac{1}{3}$).

c. a. 367



0,025
0,020
0,018

In antica: *T. F[lav]io* | *T. fil(io)* [*P*]*apir(ia)* | *Mo*[*ci*]*mo* | *fla*[*m*]*ini* | *per*[*pe*]*tuo* | *Fla*[*via*] *T. fi|lia* [*Pr*]*ocil|l*[*a l(oco d(ato)*] *d(ecreto) d(ecurionum)*

In latere sinistro: *Albus ordinis col(oniae)* | *Thamg(adensis); v(iri) c(larissimi)* | *Vulcacius Rufinus p(a)tr(onus)* | sequuntur nomina novem | .... *v(iri) p(erfectissimi)* duo, *sacerdotales* duo, *curator* unus, *duoviri* duo, *fl(amines) p(erpetui)* triginta sex, quorum nomina continuantur

In latere dextro sequuntur deinde *pontifices* quattuor, *augures* tres, *ediles* [sic] duo, *quaestores* [duo], *duoviralici* duodecim

CIL VIII 2403 lateris vv. 1—3. Litterae aetatis eius reliquis meliores confirmant, quod de artis quadratariae renovatione aetate Constantiniana conspicua supra exposuimus.

VI

CARMINA MONVMENTIS ADSCRIPTA

Poesis epigraphicae palaeographiam non propterea decrevimus selectis quibusdam exemplis illustrare, quod ingens carminum monumentis tam votivis quam honorariis sepulcralibusque adscriptorum multitudo in universum alia litteratura usa esse putanda sit quam reliqua acta in monumentis inscripta litteris exiguis ipsaque etiam monumenta magna certe, ut vidimus, ex parte. Immo quidquid in illis observavimus varietatis in scribendo sculpendoque conspicuae ex temporum locorum argumentorum diversitate oriundae, idem fere in carmina cadit. Unde etiam in eis quae supra exhibuimus scripturae monumentalis exemplis non prorsus desunt carmina scribendi discrepantiam similiter, atque reliqua, illustrantia (n. 309 384 746 785). Sed cum carmina nec possint apte nec soleant continue scribi, ipsa versuum dispositio effecit, ut non propter scripturae modulum minorem solum aliquanto illa voluminum scripturae similiora evaderent. Disposita sunt necessario paene ubique prorsus eadem ratione, qua in pugillaribus voluminibusve disponebantur; adsunt quaedam distinctionis interpunctionisque notae a reliqua scriptura epigraphica fere alienae (vide n. 1124 1131). Quae omnia mirum non est in eis monumentis observari, quae magna cum cura sumptuque non parvo sculpta esse apparet; paullo magis dignum visum est observatione, quod etiam turba monumentorum exiguorum plebeculae tenuioris solet legitimam versuum dispositionem reliquaque omnia retinere, quae ad iustam poesis scripturam pertinent. Nec multum in his differre video aetates diversas: ad infima usque tempora poesis scribendae eadem fere, ut expectaveris, obtinuit consuetudo. Unde cum in universum quidem monumentorum singulorum, quae huc pertinent, aetates definiri queant secundum argumenta formasque litterarum, saepe tamen minus quam velimus certum de temporibus iudicium ferre licet. Ordinem igitur quem sequor temporum non esse nimium premendum teneto.

Atque antiquiora quaedam, quae huc faciant, exempla scripturae tituli praebent urbani *C. Caninii Labeonis* (CIL VI 14338 = CIL I 1012) et *Eucharidis Liciniae* (CIL VI 10096 = CIL I 1009) a Ritschelio exhibiti (PLME tab. LXXX*D* et LXXXI): utrumque enim aetate Augusta non puto multo antiquiorem esse. Versiculi in utroque dispositi sunt iusto modo, scriptura inter monumentalem actuariamque fere media. His adde carmen elegicum in *Egnatuleiam Urbanam* a. 742 scriptum, quod non vidi (CIL VI 17130). Ex magno praeterea numero carminum sepulcralium versibus iambicis, herois, elegiacis aliisque compositorum, quae in columbariis urbanis et passim per Italiam et in provinciis reperta sunt, quorumque aliquot Eugenius Bormann composuit in programmate gymnasii Berolinensis Leucophaei a. 1871 (p. 1—16), pleraque scripta sunt litteris actuariis parvis, quales tabellae columbariorum omnino habere solent, pauca maioribus monumentorum scripturae similibus. Ego duo ex urbanorum turba exempla protuli titulos *Iuliae* alicuius *Aphes* (n. 1112) et *Octaviae Arbusculae* (n. 1113), centonem hunc rudem continentem, illum distichon uno pede auctum vulgare. His addidi supparis aetatis exempla Brundisinum (n. 1114), Mantuanum (n. 1115), Vobernae in Galliae cisalpinae vico repertum (n. 1116). Inter exempla supra iam proposita huc pertinet *Spendontis* epigramma Arelatense (n. 384) alterumque, ut videtur, *Severi* a *Romula* matri positum ibidem (CIL XII 879); rudiore litteratura scripta sunt epigrammata Hispana Carthaginiensia aliquot (veluti *C. Licinii Thoracis* CIL II 3475 aliaque) et Saguntinum *M. Acilii Fontani* (CIL II 3871).

Tiberianae aetatis exemplum elegans titulus praebet urbanus *Atimeti*, qui libertus fuit *Pamphili Ti. Caesaris Aug(usti) l(iberti)*, et *Claudiae Homonoeae* eius cum carminibus Graeco et Latinis duobus commode dispositis (CIL VI 12652). Eidem aetati tribuo elegos in *Dorchadis* monumento inscriptos, quorum exhibui exemplum (n. 1117). Aetatis Claudiae est *Tiberini* (n. 1118); quae sequuntur, carmen *vitae consolationem* explicans (n. 1119), *Ummidiorum* (n. 1120), *Volusii Anthi* (n. 1121), *Statilii Apri* (n. 1122), a Claudia Neronianaque usque ad Nervae fere aetatem videntur pervenire.

Aetatis Flaviae scripturam actuariam elegantem praebet praescriptio epigrammatum Graecorum Latina in monumento *Q. Sulpicii Maximi* pueri poetae defuncti Romae a. 94 (Kaibel epigr. Graeca n. 618). Vix ulla praeterea in promptu sunt quae certo eidem aetati tribuantur carmina, praeter inedita quaedam museorum urbanorum, neque frequentiora e reliquis imperii Romani regionibus novi; Puteolanum *Cocceiae Thallusae* (CIL X 2311) et Emonense *Urbanae Iuli Salvi* ancillae (CIL III 6475) probabiliter hic collocabuntur.

Aliquanto plura carmina lapidi inscripta extant saeculo secundo inde fere ab aetate Traiana ad Commodianam tribuenda, quae tamen nisi accedunt observationes ab arte metrorum sermonisque factae, quibus adhuc caremus, cuinam saeculi eius partibus adscribamus difficile est dictu. Saeculi eius puto esse versiculum *capri sigillo* olim, ut apparet, inscriptum in villa quadam suburbana, servatum nunc in villa Ludovisia et inter novicios reiectum a quibusdam non recte, qui est *occursare capro, cornu ferit iste: caveto*. Vetustiora, i. e. Traianae fere aetatis, mihi visa sunt — sed me erravisse facile concedam, si contraria probare licebit — carmina *Cassii Agrippini*, sculptum illud anaglyphi modo litteris elevatis (n. 1123), *Hedistes* (n. 1124), *Vibiae Phryne* (n. 1125); alia omisi, veluti *M. Laelii Africani* centonem acrostichum (CIL VI 7946). Aetatis Hadrianae est, utpote annum p. C. 120 memorans, carmen *Marciani* (n. 1126), eidemque tribuo epigramma notum *equae Gaetulae* (n. 1127), quocum comparetur praeter *Borysthenis Alani Caesarei veredi* epigramma Aptense, quod periit (CIL XII 1122), epitaphium canis Ricinense elegans, quod est *raedarum custos nunquam latravit inepte, nunc silet et cineres vindicat umbra suos* (CIL IX 5985). Etiam *C. Stallii Haurani* epigramma Puteolanum nunc Florentiae servatum (CIL X 2971) secundum litterarum formas videtur fere aequale esse. Pii Marcive aetati videntur convenire tabellae

C. Acilii Erotis (n. 1128), *Ottediae Zmyrnae* scripta litteris fugientibus (n. 1129), *L. Annii Octavii Valeriani* (n. 1130), *Alexandri* alicuius (n. 1131), *Laberii et Bassae* carmina varia (n. 1132); eorundem Commodive aetati *Euhodiae* (n. 1133), *hendecasyllabi* hominis ignoti (n. 1134), carmen *Iuliae Methe* (n. 1135). Certo Commodi regno tribuenda est ara Herculis dedicata a *Fabio Cilone* (n. 1136). E reliqua Italia huc pertinent carmen notum *Pomponii Bassuli* poetae Plautini Aeclanense saeculi secundi ineuntis (CIL IX 1164), exeuntis *Metrobii Aug(usti) lib(erti)* ex insula Pandateria (n. 1137) quaeque supra iam memoravi epigrammata Ricinense et Puteolanum. Carmen *Silvani* a. 156 sculptum, quod repertum est in finibus Peltuinatium (CIL IX 3375) non magis vidi quam *hendecasyllabos* Firmanos eiusdem fere, ut videntur, aetatis (CIL IX 5401). *Iusti tibicinis* carmen Venafranum, cuius ectypum vidi, scriptum est litteris gracilibus saeculi puto alterius exeuntis (CIL X 4915). Adde Florentinum *Tettieni Vitalis* (CIL V 7047) scriptum litteris item gracilibus, Aquileiense *C. Manlii Valeriani* centurionis (CIL V 923), Brixianum *Miniciae Fortunatae* (CIL V 4656), Salonitana *L. Trebii Exorati* (CIL III 6383) et *Fuficiae Agre* (CIL III 2341), quanquam hoc scriptum est litteris malis et ad cursivam scripturam declinantibus neglectaque versuum distributione. Picturae contra similior est scriptura tituli Pannonici *Veianiae Hospitae* Carnunti reperti (CIL III 4487), quem aetatis fere Traianae esse probabiliter statuitur. E Gallia transalpina prodierunt carmina *T. Pomponi Victoris* elegans Aximae repertum, quod scriptum est 'litteris bonis saeculi secundi exeuntis' teste Hirschfeldio (CIL XII 103), *Sex. Iulii Felicissimi* Aquis Sextiis repertum, scriptum item 'litteris bonis saeculi fere secundi exeuntis' (CIL XII 533), Arelatensia *Aeliae Aelianae* (CIL XII 743), *Sex. Pompeii Apellis* (CIL XII 861); e Germaniis Mogontiacensia militum *C. Iulii Nigri* (Bramb. 946), *T. Caecilii Ausonii* (Bramb. 1154), ignoto a *L. Valerio Proculo* positum (Bramb. 1364), item *C. Seccii Lesbii* (Bramb. 1243) atque *Hipponici* et *Telesphoridis* libertinorum (Bramb. 1052—1054), scripta illa litteris actuariis saeculi secundi extremi bonis, in quibus omnibus versuum distributio iusta servata non est; ex Hispania *Melitines* Cordubense (CIL II 2295) et *Cassii Crescentis* Baesuccitanum (CIL II 3256). Ex Africa complura carmina eius aetatis habemus, veluti, ut ea tantum memorem, quorum ectypa vidi, *mausolei* magni *Flaviorum* Cillitani (CIL VIII 211—213), Ammaedarensia *Meviae Felicitatis* (CIL VIII 403), in quo lineae incisae distinguuntur, et *Varii Frontoniani* (CIL VIII 434), Mactaritanum hominis ignoti (CIL VIII 676), Lambaesitanum *Sotirae* alicuius scriptum litteris elegantissimis versibusque optime dispositis (CIL VIII 4071), *Seii Fundani* Calamense (CIL VIII 5370), *Florae Ingenui filiae* Caesareae in Mauretania extans, quod inscriptum est satis bene cippo parvo cum anaglypho puellae (CIL VIII 9473), denique ibidem repertum *Sergii Sulpicii Festi* iuvenis annorum XVI, quod litteris admodum nitidis scriptum est versibusque commode dispositis. Haec tamen omnia proponere supersedi. Exhibui aetatis huius testes e provinciis desumptos duos solos carmina basis Legionensis *Q. Tullii Maximi* (n. 1138), Bonnensis *Fulvii Maximi* (n. 1139), illud aetatis Hadrianae, Marci hoc.


Rarescere incipiunt carmina saeculo tertio. Proposui urbanorum duorum exempla basium *Herculis* (n. 1140) et *Bacchi* (n. 1141), saeculi huius exeuntis ambo. Epigrammata eiusdem generis paullo antiquiora, *Cattii Sabini* consulis a. 216 (CIL VI 313) et *Perpetui* consulis fortasse a. 237 (CIL VI 316), scripta sunt litteris pictis multo quam illa elegantioribus. Supparis aetatis videtur esse epigramma illud memorabile urbanum *Contuccii* (CIL VI 555) itemque notum illud *C. Domitii Primi* Ostiense (CIL XIV 914), quod scriptum est litteris satis elegantibus saeculi fortasse tertii ineuntis. Litteris 'longiusculis et male factis' satis neglegenter scriptum est epigramma Tiburtinum nunc Neapolitanum *Samis equi* (IN 7146), contra 'litteris magnis et accuratis' quamvis 'aetatis non bonae' Puteolanum incipiens *fluxa aut syrmata Bacchici coturni* e. q. s. (CIL X 1948), quod visum est saeculi fere tertii medii esse. E provinciis Illyricis huc pertinent carmen aenigmaticum Brigetionense nunc in museo Pestinensi servatum '*heu simul hic nata et genetrix functaeq(ue) sitaeq(ue)* e. q. s.', scriptum litteris gracilibus cum *L* caudata (L) aevi fere Gordianorum (CIL III 4346); deinde acrostichon Singidunense *Aelii Tertii* satis neglegenter scriptum litteris malis (CIL III 6306). Ex Gallia Germaniisque pauca novi eius aetatis carmina. Epitaphium elegans *catellae Myiae*, quod repertum est Augustae Ausciorum in Aquitania, litteras habet latas et crassas saeculi puto tertii ineuntis (Hermes I 1866 p. 68); paullo melioribus scriptum est carmen *Clodium* aliquem [*Proto?*]*genem* celebrans Campanum ex Teano Sidicino, *quem interfecere latrones* (Annal. Bonnens. LIII/LIV 1873 p. 151). Aliquanto plura huius quoque saeculi Africa provincia servavit, ut Sufetulanum *Marcelli medici*, quod scriptum est litteris nitidis, neque tamen versus ionicos recte dividit (CIL VIII 241), et acrostichon iambicum *Pompeiae Gallae*, cuius litterae sunt elegantissimae versusque apte distributi (CIL VIII 251). Eiusdem deinde aetatis sunt carmina *mausolei Iuliorum* Mactaritani (CIL VIII 646—648), epigramma *Iulii Probini* militis Chusirense (CIL III 702), *Felicis Florentini* Thevestinum (CIL VIII 2035), carmen ionicum elegans Lambaesi repertum *Alfeni Fortunati*, quod Severi et filiorum potius quam Marci et Veri aetati attribuerim (CIL VIII 2632), Cirtensia acrostichon *L. Praecilii Fortunati* argentarii scriptum litteris actuariis satis bonis (CIL VIII 7156) et litteris malis scriptum *P. Sittii Optati* (CIL VIII 7759), denique Rusicadense musei nunc Parisini *Antonii* negotiatoris, cuius litterae neglegenter incisae ex parte evanuerunt (CIL VIII 7999). Ex tanta multitudine unius tantum carminis Africani exemplum exhibendum duxi Thuggensis *L. Iulii Felicis Cupitiani Melliti*, quod singulari elegantia scriptum est (n. 1142), quanquam in fine erravit quadratarius; in reliquis quoque scriptura actuaria magis minusve accurate sculpta praevalet.

Accedimus ad carmina saeculi quarti et reliquorum labentis antiquitatis saeculorum. Cuius aetatis monumenta christiana ut in universum minus respicere solemus in hac sylloge, ita carminum quoque christianorum pauca tantum exempla proponere visum est. Praecedere voluimus *scripturae Damasianae*, quae admodum singularis est nec facile abesse poterit a documentis his palaeographicis, exemplum (n. 1143), quacum conferri poterit carminis Damasiani repetitio facta saeculo quinto sextove (de Rossi *Roma sotterranea* II p. 195 ss. tab. IV 2): unde illius elegantia etiam magis elucebit. Scripturae illius Damasianae eiusve similium admodum rarus praeterea videtur fuisse usus; in titulis quibusdam christianis urbis a Rossio editis a. 383 (p. 145 n. 329) et a. 389 (p. 168 n. 382) vestigia eius deprehendo. Sequitur *Rufii Festi* carmen ad deam Nortiam (n. 1144): qui ei subscriptus est titulus memoriae, quanquam fortasse antiquus, tamen inter suspectos relegandus esse visus est. Paganae antiquitatis reliquiae poeticae rarae sunt; carmen *Tamesii Augentii Olympii* anni circiter 376 (cuius nomina *κιονηδόν* scripta sunt ut Philocali scribae Damasiani) Mithriacum (CIL VI 754) non vidi.

De carminibus saeculi quarti per reliquam Italiam et per provincias sparsis nondum licet plene iudicare; quod Curibus extat epitaphium christianum a. 359 (CIL IX 5012), epigramma a *Claudio* aliquo *consule* ʻprogenie Appiadumʼ positum Brundisii (CIL X 1688), *Constantii* titulum a. 354 Albingauni repertum (CIL V 7781) non vidi. Scripta illa videntur esse omnia litteratura a monumentali eius aetatis paene non diversa. Idem observatur in carminibus *Flavii Dalmatii* Savariensi nunc Pestinensi (CIL III 4185); in *Principii* Scardonae in Dalmatia reperto (CIL III 6414), quod saeculo quarto videtur tribuendum; in Sedunensi *Pontii praetoris* a. 377 (CIL XII 138); in Viennensi *Aetherii* (CIL XII 1932). Exhibui propter singulares litterarum formas exemplum tituli Aquincensis, qui quinti fortasse saeculi sextive est (n. 1146). Quod Constantinopoli extat scripturae aevi Theodosiani exemplum splendidum, carmen a. 390 obelisco inscriptum (CIL III 737; nam alterum a. 388 CIL III 735 periit), eius imaginem fidam non vidi. Admodum nitide scripta sunt epitaphia quaedam poetica saeculi item, ut videntur, quarti exeuntis, quae Caesareae in Mauretania effossa sunt: litterae sunt minutae (0,030 ad 0,011), artificiose ligatae, caudis et cornibus ornatae. Apparet poetam, qui nomen suum adscribendum curavit ʻ*ex ing(enio) Asterii*ʼ, etiam scripturae elegantiae prospexisse (CIL VIII 9585; similiter scriptus est qui sequitur titulus n. 9586).

Saeculorum quinti sextive quae servata sunt carmina lapidibus inscripta, eorum scriptura, ut supra iam observavimus de reliquis eiusdem aetatis monumentis, fere ubique a monumentali vix diversa est, si exceperis ad uncialem accedentia, de quibus dicetur infra. Neque multa eius aetatis carmina inscripta videntur superesse. Quod Norae in Sardinia inter annos 425 et 450 incisum est epigramma servatum nunc in museo Caralitano (CIL X 7542), Vicetinum acrostichum *Macrinae* (CIL V 3216), eorum scriptura nihil habet singulare. Dalmatinum inter a. 446 et 474 in rupe sculptum (CIL III 1894), Constantinopolitana eiusdem fere aetatis epigrammata monumentis magnis inscripta, *Tatiani* a. 451, *Pusaei* a. 465/67 (CIL III 738 739), Sidone extans in columna ad moenia iuxta maris oram erecta pertinente (CIL III 6037), litteris utuntur uncialibus, quae vocantur; ut exposui in prolegomenis. Frequentiora multo quam in reliquis regionibus in Galliis monumenta saeculi potissimum sexti servata sunt, quorum imagines accuratas, quamvis exiguas, Le Blantii opus continet. Memoro haec: Massiliense *Eugeniae* alicuius (CIL XII 481), *Dextriani* Aquis Sextiis extans (CIL XII 592), Arelatensia complura (CIL XII 629 631 930ss.), Avenniense *Caesariae* (CIL XII 1045), Vasiense *Pantagati* (CIL XII 1499), prope Valentiam repertum *Placidiani* (CIL XII 1798). His similia sunt exempla saeculorum sexti septimique Hispana a me composita in inscriptionibus Hispaniae christianis, veluti Eborensia (IHC 10 12), Hispalense (IHC 65), Asidonense (IHC 86), Cordubense (IHC 123), Legionense (IHC 142), Toletanum (IHC 158), loci ignoti, qui *la Cabeza del Griego* dicitur (IHC 164), quique supra editus est titulus portae Carthaginiensis (n. 785). Hi tituli paene omnes sculpti sunt cum cura, versus habent dispositos iusto ordine, omnino non carent elegantia quadam; sed scriptura ab eiusdem aetatis monumentali minime diversa est. Unde a repraesentandis exemplis eorum potuimus abstinere.

1112 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{3}$).



0,016


Iulia C. l(iberta) Aphe | *virguncula annorum XI deducta ia[m ad]* | *C. Iulium Apollonidam pia et sanct[a fida viro]* | *suo et parentibus vixit annos XV*. . .

Éreptam ⟨viro et⟩ mátri máter me terra re[cepit],
cum ad mortem mátris de gremio rapior e. q. s.

In CIL VI nondum edita; vv. 5. 6. Aetatis videtur esse Augustae.

1113 Romae, tabella marmorea; in museo Kircheriano ($\frac{2}{3}$).

0,009




Octavia L. et Ɔ (mulieris) l(iberta) Arbuscula v(ixit) | *a(nnos) XXIII et mensens* [sic] *X;* | *Tuccia Ɔ (mulieris) l(iberta) Urbana mater eius*

Terminus est vitae nostrae tertius et vicensimus | *annus*
cum me florentem mei combussere parentes
sequuntur hexametri septem et disticha tria duabus paginis scripta

CIL VI 7872 vv. 4. 5. Aetatis videtur Augustae Tiberianaeve.

1114 Brundusii, tabula marmorea 'litteris saeculi primi exeuntis vel incipientis secundi' (*Henzen*); extat ibi.




0,022
0,020

Si non molestum est, hospes, consiste et lege.
Navibus vélivolis magnum mare saepe cucurri
sequuntur hexametri octo
Hospes, vive, vale, in sumptum superet tibi semper,
qua nón sprévisti hunc lapidem dignumq(ue) dicasti

CIL IX 60 vv. 1 et 12. Aetatis secundum litterarum formas paullo vetustioris, quam Henzeno visum est.

1115 Mantuae, lapis calcareus magnus; ibi in museo ($\frac{1}{5}$).




0,042
0,020

P. Raius f(ilius) fac(iendum) cur(avit).
Lege nunc viator nomen in titulo meum.
Memoriam habete esse hunc mortalem domum.
Valete! ad superos vivitis vitam optumam
. . . . *dum volui bene*
. . . .

CIL V 4078 vv. 1. 2. Quot versus desint ignoratur. Saeculi videtur primi esse.

1116 Vobernae (*Boarno*) Galliae transpadanae, cippus magnus ex lapide calcareo 'litteris alte incisis'; in museo Brixiano ($\frac{1}{6}$).



P. Atinius L. f(ilius) Fab(ia) | hic situs est |
Si lutus, si pulvis | tardat te forte, | viator,
arida sive | sitis nunc tibi iter minuit,
perlege, cum in patria tulerit te dextera fati,
ut requietus queas dicere saepe tuis:
finibus Italiae monumentum vidi Voberna,
in quo est Atini conditum [quod superest]

CIL V 4905 vv. 3—5. Saeculi omnino primi.

1117 Romae, tabella marmorea; in museo Kircheriano (1/1).




0,006
0,004

Siquis forte legit titulum | nomenve requirit
Dorchadis inveniet ossa sepulta loco
sequuntur disticha
Coniux Thymelicus coniugi fecit suae

CIL VI 17056 vv. 1. 2. Saeculi circiter primi medii.

1118 Romae, tabula marmorea; in museo Kircheriano (c. 1/3).


0,016



D(is) M(anibus); | Ti. Claudius Esquilina Aug(usti) [lib(ertus)] Tiberinus | hic situs est; fecit Tampia Hygia mater filio pientissimo
Tu, quicumque mei veheris prope limina busti,
supprime festinum, quaeso, viator, iter
sequuntur disticha novem

CIL VI 10097 v. 3. Histrionis epitaphium saeculo primo medio fere, ut videtur, incisum.

1119 Romae, tabella marmorea; in museo Capitolino (1/2).




0,013
0,010

M. Marius M. l(ibertus) Sa . . . M. Mario M. l(iberto) Th . . . suo et Mariae M. l(ibertae) Faus . . . . et . . . . Rufo.
Vitae consolati[o].
Quid sumus aut loquimur, vita est quid deniq[*ue nostra?*]

In CIL VI nondum edita; vv. 4. 5. Saeculi primi exeuntis.

1120 Romae, tabella marmorea; in museo Neapolitano (1/2).



0,010

Ummidiae Manes tumulus tegit | iste simulque
Primigeni vernae, | quos tulit una dies.
Nam Capitolinae | compressi examine turbae |
Supremum fáti competiere | diem.
Ummidia Ge et P. Ummidio Primigenio | vix(it) an(nos) XIII. P. Ummidius Anoptes lib(ertus) fecit

CIL VI 7139 vv. 1. 2. Versus ultimi duo postea additi 'litteris rudioribus scripti'. Saeculi visa est primi exeuntis fere.

1121 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (½).

0,010

PARVOLVS·INGREMIO·COMVNIS·FORTE·
DVM·LVDIT·FATI· CONRVIT·INV

Dis Manibus | Q. Volusi Sp. f(ilii) Lem(onia) Anthi.
Parvolus in gremio comunis forte parentis
dum ludit, fati conruit invidia;
nam trucibus iunctis bubus tunc forte noveli
ignarum vector propulit orbe rota
sequuntur disticha duo
et nomina parentum

Marini Arv. p. 123 (Meyer anthol. n. 1272) vv. 3. 4. Videtur saeculi esse primi exeuntis.

1122 Romae, ara marmorea cum anaglypho iuvenis aliarumque rerum; in museo Capitolino (¼).

INNOCVVS·APER·ECCE·IACES·NON·VI 0,020
ATROX·PERFODIT·VISCERA·FERRO·MORS·T
RVINAM·QVAE·TIBI·CRESCENTI·RAP 0,018

Ad pedes figurae iuvenis: *Innocuus Aper ecce iaces, non virginis ira*
nec Meleager | atrox perfodit viscera ferro:
mors tacita obrepsit subito fecitq(ue) | ruinam,
quae tibi crescenti rapuit iuvenile(m) figuram

In ima arae parte: *T. Statilio Vol(tinia) Apro mensori | aedificior(um); vixit ann(os) XXII m(enses) VIII d(ies) XV. | T. Statilius Vol(tinia) Proculus | accensus velatus et Argentaria | Eutychia parentes filio optumo et | Orciviae Anthidi uxori eius sibiq(ue) et suis | libertis libertabus posterisque eorum*

CIL VI 1975 vv. 1—3 pars sinistra. Saeculi videtur primi exeuntis esse.


1123 Romae, tabula magna marmorea; litterae anaglyphi modo elevatae sunt ex planitie marmoris; in museo Vaticano. Ex imagine photographa (c. $\frac{1}{12}$).

ILLEEGO·QVI·QVONDAM·PRAE 0,065
PAVCISQVE·DIEBVS
PRAETEXTATVS·AGRI·IVDEX·FINIS
QVE·REGENDI

Ille ego, qui quondam prae[tor] | paucisque diebus
praetextatus agri iudex finis|que regendi
iustitiam colui matremque, aequaliter ambas,
hic sum quem cernis nunc Cassius Agrippinus

CIL VI 1372 vv. 1—4. Saeculi videtur esse secundi ineuntis.

1124 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).




0,024

Hedistes animo simul et cognomine matris
nata sacrum tumulis hoc Fabiana dicat.
[...]ris hic titulus divi, per longa colatur
[tempor]a pro generis quaeso vitrique manu

CIL VI 19174 v. 1. Saeculi videtur secundi ineuntis.

1125 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{2}$).




0,012

Vibia Phryne vixit ter senos annos.
Cara meis vixsi, subito fatále rapina
flórentem vitá — sustulit átra dies
sequuntur disticha quattuor

O. Iahn *spec. epigr.* p. 107 vv. 2. 3. Observa / comma positum in medio pentametro. Saeculi videtur secundi esse.

1126 Romae, tabella marmorea cum anaglypho pueri; in museo Vaticano ($\frac{2}{3}$).


a. 127 0,009



Hóc ego sum tumulo Marcianus redditus aevo.
Nóndum Persephonés spérábam visere régna.
Consulibus tunc natus eram iteróque Severo
et Fulvo pariter. Quo coepi dulcis habéri,
sextus ut excessit coepi languescere in annum.
Apstulit o saeva lux nona parentibus orta
planctibus, heu, miserae [matris] patrisque simitu.
sequuntur hexametri undecim

CIL VI 7578 vv. 1—4. Severus et Fulvus sunt consules a. 120; mortuus igitur est Marcianus anno s. s.

1127 Romae, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{3}$).




0,022
0,018

D(is) M(anibus).
Gaetula harena prosata,
Gaetulo equino consita,
cursando flabris compara,
aetate abacta virgini
Speudusa Lethen incolis

CIL VI 10082 vv. 2 et 6. Aetatis fere Hadrianae.

1128 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).




0,022
0,019

D(is) M(anibus) | C. Acili Erotis et | Aciliae Romanae. |
Quamvis inscriptum ferali carmine saxs[um]
saepe legas, nostro nil puto flebilius
sequuntur disticha minimum quinque

CIL VI 10493 vv. 4. 5. Litterae videntur esse saeculi secundi fere medii.

1129 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{2}$).




0,010

D(is) M(anibus) Ottediae Zmyrnae coniug(is) b(ene) m(erentis), q(uae) v(ixit) ann(os) XVI | m(enses) VIIII, C. Satrius Abascantus fecit sibi et | suis posterisque eorum. |
Hic iaceo infelix Zmyrna puella tenebris
sequuntur versus quinque barbari

Murat. 1384, 7 (Meyer anthol. n. 1504) v. 5. Saeculi secundi fere medii videtur.

1130 Romae, sarcophagus marmoreus cum anaglyphis agriculturam repraesentantibus, quae tamen imperfectae manserunt; in museo Lateranensi (c. 1/5).


0,026



D(is) M(anibus) s(acrum) L. Annius Octavius Valerianus.
Evasi, effugi, spes et fortuna, valete;
nil mihi voviscum est; ludificate alios

CIL VI 11743 v. 3. Anaglyphi imaginem edidit O. Iahn *archaeol. Zeitung* 1861 p. 145 tab. CXLVIII 1; litterarum vero formae non satis vere expressae sunt. De tempore ex anaglyphorum arte certo iudicari nequit; litterae videntur esse saeculi secundi medii exeuntisve.

1131 Romae, cippus marmoreus; in museo Vaticano (1/2).




0,012

Nomen qui retinens, tu | - - nus Alexander, |
Pallados inventum | medicinalemq(ue) laborem, |
quot feci studio pro|ximus ipse meo. |
Testor nunc superos: non | hoc meruisse videbar, |
in volnus genoris quot | subito occidimus. |
i nunc et dubias fatorum | neclege clades. |
Coniunx quod potuit titu|lum mihi reddidit uni |
Valeria Ursilla

CIL VI 9604 vv. 9—12. V. 2 ineunte MAG litterae a manu recenti restitutae; esse potuit versu neglecto *Pomptinus* vel *Norbanus*. V. 5 *genoris* pro *γόνατος*. Videtur esse saeculi secundi fere medii.

1132 Romae, cippus magnus marmoreus; in museo Vaticano (1/3).




0,018

Bassa vatis quae Laberi coniuga hoc alto sinu
frugeae matris quiescit, moribus priscis nurus
\- - - - - - - - - - -
Parato hospitium! cara iungant corpora
\- - - - - - - - - - -
In spica et casiaes bene(o)dora stactu et amomo
sequuntur hexametri sex
Hic corpus vatis Laberi, nam spiritus ivit
illuc, unde ortus, quaerite fontem animae
sequitur distichon

CIL VI 13528 vv. 13. 14. Monumentum Laberii vatis cum sacris Magnae Matris coniuncti et Bassae uxoris. Lineolis interpositis carminum genera distinguuntur. Litterae videntur esse saeculi secundi medii exeuntisve.

1133 Romae, tabula marmorea; in museo Kircheriano (c. $\frac{2}{3}$).



0,020
0,011

Havete animae bonae.
Finitum Euhodiae fatum | qui conspicis, hospes,
desine mirari, corpus inane iacet.
Euhodus ut valeat pater optumus opto

CIL VI 17342 vv. 2. 3. Saeculi mihi visae sunt litterae esse secundi exeuntis.

1134 Romae, tabella marmorea; in museo Kircheriano ($\frac{1}{2}$).


0,013



Carmen hoc est: .... | *multos cum caperet superba fo*[*rma*], | *blando iuncta viro pudica mansit.* | *Qui nunc pro meritis bene adque caste* | *corpus, quod potuit negare flammae,* | *unguento et foleo rosisque plenum* | *ut numen colit anxius merentis.* | *Parcas oro viro, puella, parcas,* | *ut possit tibi plurimos per annos* | *cum sertis dare iusta, quae dicavit,* | *et semper vigilet lucerna nardo*

In CIL VI nondum edita; v. 1. Saeculi videtur secundi fere exeuntis. Foleum redit in titulo Puteolano CIL X 1784.

1135 Romae, tabella marmorea; in museo Kircheriano (c. $\frac{2}{3}$).




0,009

Iulia Methe.
His foribus carae | recubant mihi coniugis ossa |
exspectanque [sic] *suis ut mea | contribuam.*
Tossius ista tibi promisit | saepe petenti;
praestabit | Manis si modo tangit | amor

Murat. 1356, 7 (Meyer anthol. n. 1313) vv. 2. 3. Saeculi secundi fere exeuntis.

1136 Romae, ara marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{6}$).

ante a. 193




0,030

Te, precor, Alcide, sacris, | invicte, peractis |
rite tuis laetus dona | ferens meritis. |
haec tibi nostra potest | tenuis perferre Camena, |
nam grates dignas tu | potes efficere. |
Sume libens simulacra, | tuis quae munera Cilo |
aris urbanus | dedicat ipse sacris

CIL VI 312 vv. 7. 8. Ara Herculis invicti dedicata a L. Fabio Cilone, ut videtur, consule I a. 194, II a. 204, tum praetore urbano.

1137 Ex insula Pandateria, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{2}$).




0,023
0,014

Reliquiae cineris tumulo man|data quiescun
Aug(usti) lib(erti) sacro hoc tibi, Metrobie.
Huic non dura colu Clotho decrevit in annis,
ter decies quinos degere quem voluit
sequuntur disticha sex
decessit X k(alendas) Decem(bres) L. Arr(un)tio T. Flavio Basso co(n)s(ulibus)

CIL X 6785 vv. 1. 2 et 17. Consules ignoti sunt; titulus videtur saeculo secundo exeunti tribuendus.


1138 Legione in Hispania Tarraconensi, in basi Q. Tullii Maximi supra n. 435 (*a—c*) et in tabula lapidea simul reperta (*d*); ibi in museo ($\frac{1}{8}$).

a




0,042

b




0,032

c



0,030

d



0,038

a In postica: *Aequora conclusit campi | divisque dicavit |*
et templum statuit tibi | Delia virgo triformis, |
Tullius e Libya, rector | legionis Hiberae: |
ut quiret volucris capreas, | ut figere cervos, |
saetigeros ut apros, ut | equorum silvicolentum |
progeniem, ut cursu certare, | ut disice ferri, |
et pedes arma gerens et | equo iaculator Hibero.

b In latere dextro: *Dentes aprorum | quos cecidit | Maximus, |*
dicat Dianae | pulchrum vir|tutis decus.

c In latere sinistro: *Cervom altifron|tum cornua | dicat Dianae | Tullius, |*
quos vicit in pa|rami aequore | vectus feroci | sonipede.

d In tabula: *Donat hac pelli, D[iana], | Tullius te Maxim[us], |*
rector Aeneadum, [gemella] | legio quis est se[ptima], |
ipse quam detrax[it urso], | laude opima p[raeditus]

CIL II 2660 *a* vv. 1. 2, *b* vv. 1—3, *c* vv. 1. 2, *d* vv. 1. 2. Basim Hadriano imperante dicatam esse veri est simillimum.

1139 Bonnae, basis magna ex lapide arenario; ibi in museo regio ($\frac{1}{6}$).

inter a. 161 et 169




0,030
0,027

Divum sodalis consul e[t] | verno die
et post Sicanos | postque Picentis v[iro]s
ac mox Hiberos, Ce[lta]s, | Venetos, De[l]matas,
Libur|na regna, post feros Iapu|das
Germaniarum con|sularis maximus,
parens | adultae prolis gemina[e | l]iberum,
aram dicavit | [s]ospiti Concordiae, |
[G]ranno, Camenis, Mar|tis et Pacis Lari,
quin | et deorum stirpe genito Caesari. |
-. Fulvius G. f(ilius) Maximus leg(atus) | [A]ug(usti) pr(o) p(raetore)

Brambach 484 vv. 1. 2. Fulvius Maximus iuridicus Piceni fuisse indicatur versu carminis altero, iuridici autem per Italiam a Marco demum videntur instituti esse circiter annis s. s.

1140 Romae, basis Herculis Victoris; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{7}$).




0,038

Argive victor | Hercules, |
donum hoc | tibi urbanus | praetor |
Veldumnianus | Iunius

CIL VI 319 vv. 5. 6. Saeculi tertii exeuntis.

1141 Romae, tabula marmorea, reperta in Aventino; in museo Vaticano (1/4).

a. 298?




0,038

Fecerat Eufranor Bacchum, | *quem Gallus honorat* |
fastorum consul carmine | *ture sacris*

CIL VI 48 vv. 1. 2. Indicari creditur Virius Gallus consul ordinarius a. 298 probabiliter.

1142 Thuggae, marmora duo alba ex mausoleo operis elegantis; iacent ibi (1/3).




0,022
0,018

L. Iulius Felix Cupitianus Mellitus hoc maesolae|um mihi et Viriae Rogatae uxori utrisque nobis | *vivis posteritatique nostrae et in memoriam* | *Cupiti patris et Venustae matris optimorum parentium institui et dedi(cavi).*

Detrahe serta tuis et amorum oblita tuorum
tristis inops curta veste, Thalia, veni.
sequuntur disticha quinque
Ut te Glafriane? excolerem titulosque relinquam,
vivos ut hoc facerem fata dedere mihi.
Iulius hoc peto nunc a te, dominator Averni:
cum moriar maneant ossa quieta mihi

CIL VIII 1523 vv. 13. 14. Versu carminis ultimo lapicida erravit, scripsit enim MANIBVS VT IACEANT pro MANEANT, litteras delendas punctis subiectis notans. Saeculi tertii circiter ineuntis.

1143 Romae, in coemeterio S. Xysti. Ex imagine Rossii (mensuras ignoro).



Hic congesta iacet, quaeris si, turba piorum:
corpora sanctorum retinent veneranda sepulcra,
sublimes animas rapuit sibi regia caeli.
Hic comites Xysti portant qui ex hoste tropaea e. q. s.

I. B. de Rossi *Roma sotterranea* (Romae 1867 4.) II p. 23 s. tab. II 1.

1144 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).

c. a. 387




0,026

R(ufius) Festus v(ir) c(larissimus) de s[e] ad deam Norti[am]
Festus, Musoni suboles prolesque Avieni
sequuntur vv. hexametri octo
Sancto patri fil[i]us Placidus
Ibis in optatas sedes: nam Iuppiter aethram
pandit, Feste, tibi, candidus ut venias
sequitur distichon

CIL VI 537 vv. 1 et 10. Est epigramma Festi scriptoris breviarii, quod inscriptum est imperatori Valenti († 378), dedicatum c. annum s. s.

1145 Aquinci, basis ex lapide calcareo, 'litteris non bonis, sed Latinis, non barbaris'; in museo Pestinensi ($\frac{1}{10}$).

0,100



Francus ego cives Romanus miles in armis | *egregia virtute tuli bello mea dextera semper*

CIL III 3576 v. 1. Saeculi videtur esse quinti sextive.

VII

MONVMENTA LITTERIS VNCIALIBVS SCRIPTA

Inde a quarto fere saeculo scripturam eam, quam uncialem appellare consuevimus nomine novicio et falso, sed tamen communi usu recepto, tam in actis interdum et carminibus dedicatoriis scribendis adhibitam esse, quam translatam in titulos, quamvis rarissimis tantum exemplis, exposui in prolegomenis. Itaque exempla illa scripturae uncialis saeculo iam tertio hic illic abusu potius quam certa consuetudine in monumentis quibusdam Africanis potissimum conspicuae quatenus fieri potuit hoc loco composui. Praecedit titulus artificis alicuius statuae musei Florentini inscriptus, qui palaeographis antiquioribus iam innotuerat, et ipse propter statuae artificium vix saeculo tertio recentior (n. 1146). Sequuntur Thamugadenses prior *Vocontii*, qui actuariam sive litterariam scripturam elegantissime imitatur (n. 1147), alterque *Iugurthae* paullo minus pulchre scriptus (n. 1148). In Lambaesitano *Rutilii Donati* ceteroquin scripto litteris monumentalibus saeculi tertii in fine haec tantum vocabula *decimus pilus* postea adiecta sunt litteris uncialibus (n. 1149). Integer olim ita scriptus videtur fuisse titulus basis imperatori alicui, cuius tamen nomen interiit, saeculi tertii positae in colonia Sufes (n. 1150). Sepulcrales deinde duo Mactarenses scriptura quidem utuntur eadem unciali atque reliqui, sed multo magis neglegenter incisa (n. 1151 1152), idemque etiam valet de parvo quodam titulo sepulcrali e provincia Byzacena, cuius ectypum repraesentare supersedi (CIL VIII 282). Accessit his nuper, ut videtur, titulus Mactarensis messoris, cuius nondum vidi ectypum: dicitur ille scriptura uti ex unciali et cursiva mixta (v. *Revue archéol.* sér. III 1, 1883, p. 229: *l'écriture offre un type à la fois de l'onciale employée aux débuts du moyen âge et de la cursive des monuments de Pompéi* cet.). Ceterum singulas litterarum formas, quales in unciali scriptura esse solent, etiam in titulis aliquot urbanis sepulcralibus (ut CIL VI 12086 15185) adhibitas esse adnotatum est in prolegomenis. Denique etiam scriptura vulgaris titulorum militarium aliquot Graecanicae originis, quos item supra memoravi in prolegomenis, formas aliquot habet uncialibus similes, ut Δ pro D, ϵ et U rotundas, L pro L et S pro S ex usu calamo scribendi oriundas.

1146 In basi statuae muliebris (Musam Melpomenen credunt) musei Florentini ($\frac{1}{2}$).




c. 0,015

opus Atticianis Afrodisien[s]is

Buonarotti *osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro* cet. (Florentiae 1716 fol.) p. XVI.

Ita legitur omnino scripta litteris malis sed perspicuis; *s* in fine nominis *Atticiani* abundat, in *Afrodisienis* deest, culpa puto scriptoris. D litterae forma aliunde nota quamvis fractura lapidis obscurata tamen cognoscitur d fuisse.

1147 Thamugadi, basis ex lapide calcareo; ibi in foro ($\frac{1}{6}$).




0,085

0,035

Vocontio. | *P. Fl(avio) Pudenti Pompo|niano c(larissimo) v(iro), erga* | *civeis patriamque* | *prolixe cultori, ex|ercitiis militaribus* | *effecto* [sic], *multifari|am loquentes lit|teras anplianti, At|ticam facundiam ad|aequanti Romano* | *nitori,* | *ordo incola fontis* | *patrono oris uberis* | *et fluentis nostr*[*o*] | *alteri fonti*

CIL VIII 2391 vv. 1—4 et 6 particula.

1148 Thamugadi, basis ex lapide calcareo; in foro ($\frac{1}{6}$).




0,035

M. Virrio M. fil(io) | *Pap(iria) Flavio Iugur|thae, eq(uiti) R(omano) fl(amini) p(er)p(etuo), decu|rioni splendidissi|mae coloniae* | *Carthaginiensium,* | *curatori rei p(ublicae) tan|tum diserto quan|tum bono, splendidissimus ordo col(oniae) Tham*[*u*]*gadensium* ....

CIL VIII 2409 vv. 1—3.

1149 Lambaesi, basis ex lapide calcareo; ibi in praetorio ($\frac{1}{5}$).




0,048

0,034

D(is) M(anibus) s(acrum). D. Rutilius | *Donatus* | *decurio* | *coloniae* | *Hadrumeti|norum vixit* | *annis LXXV* | *mens(ibus) sex.* | *L. Rutilius* | *Paulinus* | *7 (centurio) leg(ionis) III Aug(ustae)* | *patri cari|ssimo* | *decimus* | *pilus*

CIL VIII 2968 vv. 15. 16. Reliqua scripta sunt litteris monumentalibus. Similiter in carmine sepulcrali saeculi, ut videtur, alterius tertiive prope Virunum in Norico reperto praeter reliqua sola d·m litterae scriptae sunt formis uncialibus (CIL III 4910).

1150 In colonia Sufes provinciae Byzacenae, basis ex lapide calcareo; extat ibi ($\frac{1}{5}$).





0,050

Versus priores quattuor consulto deleti *in*]*victi s*|*emp(er) Au*|*g(usti), pont(ificis)* | *maxim(i),* | *tr(i)b(unicia) pot(estate) II,* | *co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriae)* | *d(onum) d(atum)* [*p(ecunia) p(ublica)*]

CIL VIII 257 vv. 6—9.

1151. 1152 Mactar provinciae Byzacenae; tituli sex in mausoleo Iuliorum sub columbariis singulis ($\frac{1}{8}$).

1151  0,040

1152  0,050

M. Iul(i) Max[i]|mi condito|ris

Aucro|nia Roga(ta) | pia an(norum) L

CIL VIII 653 integra, 654 vv. 1. 2. Tituli quattuor reliqui (n. 649—652) litteris similibus scripti sunt.

APPENDIX

CAPVT PRIMVM

SCRIPTVRAE GENERA VARIA

I

SCRIPTVRAE VVLGARIS
MONVMENTA VRBANA ET ITALICA

Exposuimus in prolegomenis, iuxta scripturam monumentorum epigraphicorum monumentalem in monumentis inscribendis sensim invaluisse scribendi genus quoddam neglegenter factum, quod comparari potest cum cursiva scriptura iuxta actorum voluminumque litteraturam accuratiorem adhibita ut in pugillaribus, ita in opere tectorio tegulis vasculis usurpata; unde breviter vulgare diximus. Complectitur autem vulgare illud titulorum scribendorum genus varios, ut vidimus, libertatis et neglegentiae in scribendo gradus. Interdum enim aut singulae tantum litterae aut partes quaedam inscriptionum formas vulgares exhibent, interdum tituli integri, ii potissimum, qui extra officinam quadratariorum, cum lapides suis iam locis collocati essent, insculpti sunt, lapicidinarum miliarii sacri militares sepulcrales. Atque antiquiore quidem aetate, Caesariana dico et Augusti ad Neronianam, raro in urbe Italiave eius generis exempla observantur; sepulcrales aliquot tituli urbani antiquiores ad vulgaris scripturae neglegentiam aliqua ratione accedunt, sed tamen facile a sequioris aevi exemplis eius distinguuntur. E titulis supra exhibitis urbanis aetatis fere Caesarianae unus fortasse (n. 7) eius generis videri potest; extant eiusdem indolis tituli non pauci, sed raro scripturae simplicitas rusticitasve ad veram neglegentiam descendit. Etiam saeculi primi tituli sepulcrales urbani plerique a barbarie illa absunt; rara sunt exempla saeculi primi medii exeuntisve, veluti monumentum militis classiarii ad emissarium Fucini repertum aetatis Claudiae (CIL IX 3892), atque illud *Tiberii Claudii* alicuius *Primi*, qui titulum fecit *cullibertai suai* (CIL VI 15223), ʎ et ʌ litterarum formis atque sermonis quoque rusticitate insigne. Saeculo demum altero atque inde fere ab Hadriani aetate monumenta aliquot urbana insculpta litteris minimis quaeque, cum a militibus praetorianis posita sint *Genio centuriae*, vix proprie urbana dici possunt, neglegentiae eius exempla praebent (vide supra n. 269 a. 118, n. 272 a. 130). A saeculo altero medio rusticae vulgarisve scripturae exempla, minimo illa scripta modulo, paulatim increbrescunt (cf. supra n. 285 286 287 a. 149 omnia). Ad aetatem Commodianam pertinet exemplum nisi fallor primum scripturae eius in titulo sepulcrali parvo senatoris adhibitae (n. 301); eiusdem vel Severianae est additamentum scriptura vulgari exaratum in titulo sepulcrali mulieris (n. 497). Tertium saeculum plurima scripturae vulgaris exempla protulit etiam in titulis urbanis; Q litterae formas rusticas tituli habent aetatis Gordianae duo (n. 504 505). Diocletianae vero aetatis, qua formae vere monumentales rarescere incipiunt, ut supra vidimus (cf. tamen n. 519), exempla satis frequentia exhibuimus scripta neglegenter in urbe (n. 512 513 514 520); peculiare unum est formas rigidas vetustiores imitatum (n. 522). Quam varia autem per saecula illa vulgaris scripturae genera in titulis usurpata sint, exempla demonstrabunt, quae hic appendicis loco composuimus. Temporum illa notis certis carent quidem, sed antiquiora nulla eorum esse saeculo primo extremo, pleraque tribuenda saeculo tertio manifestum est. Arulas exiguas, deinde sepulcrales potissimum titulos plebeculae tenuioris atque militum ut sermone rustico ita etiam litteratura vulgari usos esse observavi in prolegomenis; unde ex illis titulorum generibus exempla quae sequuntur petita sunt pleraque.

Atque praecedunt tituli sacri aliquot litteris parvis scripti, ut *Iovis* R et B litterarum formis cursivis quae dicuntur conspicuus (n. 1153), *Silvani* dei a plebe rustica culti tres, quorum duo b et ɢ formas habent (n. 1155 1158), praeterea vero ad actuariam magis scripturam accedunt, alter A litteram ita formatam exhibet (n. 1157). Reliqui quanquam monumentali potius scriptura utuntur, tamen ipso sermone et scalpturae neglegentia (quam imagines meae prorsus vere repraesentare nequeunt) rusticitatem sapiunt: ut *Flaius* et *pementu fecet* formae in titulo pavimento inserto (n. 1154), Z male scripta in ara *Spei* (n. 1156), H et T cum centuriae signo in *Aesculapii* (n. 1159) docent. Inter sacros aevi labentis memorandus hoc loco titulus *Liberi* et *Silvani* inscriptus in tabella minima litteris pessimis *Asteri* (i. e. praefecti urbi a. 363) *consilio* (CIL VI 462), quem vidi.


Sequuntur tituli massis marmoreis in emporio urbano detectis insculpti aut ibi aut in lapicidinis ipsis (n. 1160), quos coniunctos exhibui; quanquam intra paucorum annorum (a. 132 ad 137) spatium incidunt, tamen scripti sunt admodum diverse.

Non minus varie scripti sunt tituli quos addidi sepulcrales, quorum qui praecedunt tres litteras habent monumentales cum cursivis mixtas et pravas (n. 1161—1163); primus graecissat, in reliquis duobus observa L et F litterarum formas. Qui sequuntur septem (n. 1164—1170) ad pictam actuariamve scripturam magis vergunt, ut sacri supra adhibiti (cum n. 1165 conferatur n. 1153; cum n. 1167 n. 1155). Nonnullos propter litterarum aliquot formas singulares exhibui (propter Q n. 1166, propter J n. 1168). Proposui deinde ex parte *pupi Torquatiani* titulum (n. 1169) inter palaeographos celebratum (ut dixi in prolegomenis), quocum componendus est in Ilva insula repertus nunc Florentinus sepulcralis *Victoriae* alicuius (n. 1173). E titulis sive urbanis sive suburbanis non paucis, qui eadem scripturae neglegentia conspicui sunt, memoro [*Aur*]*eliae Calburniae* [sic] *Serapiadis* (IN 6940), *Aureliae Publiciae Moderatae* (CIL VI 13372), *Iuliae Victoriae* alicuius in museo Vaticano, *A. Titinii Primi* in Kircheriano, *Valeriae Mercurialis* in villa Albania servatos necdum editos in CIL VI. Conferre praeterea iuvabit titulos sepulcrales 'litteris rudibus, pessimis, quasi scariphatis scriptos' varios (veluti CIL VI 17009 17041 17203 17424 17890): litteras illi saepe habent inter cursivas et unciales (ϵ h) quasi medias. Interdum etiam malas litterarum formas incisas esse cum cura docet titulus in museo Vaticano servatus ita *D(is) M(anibus)* | *Sei Natalis* inscriptus nihil amplius; litterarum formae sunt pessimae, sed profunde et accurate incisae. Praeter titulos sepulcrales hominum tenuiorum simplices inprimis militum tituli multi inde fere ab altero saeculo exeunte frequenter inventi sunt in coemeteriis urbanis pessime sculpti; unum memoro *Aur(elii) Zinamae* praetoriani (CIL V 2638) unumque exhibui infra saeculi tertii quartive (n. 1170). Ab his paene non differunt aevi christiani tituli innumeri ex Rossii opere noti, quorum duo comparandi gratia apposui (n. 1171 1172): docent illi instar plurimorum eiusdem generis ne tum quidem prorsus exolevisse formas litterarum monumentales, sed prave et rustice eas adhibitas esse minimoque modulo.

E reliqua Italia pauca tantum scripturae vulgaris exempla proponere visum est: ab urbanis enim quae eius generis vidi vix differunt. Exhibui titulum Florentinum *Victoriae* alicuius cum pupo Torquatiano, ut dixi, componendum (n. 1173); Puteolanos deinde duos *Terentiani*, et ipsum cum pupo Torquatiano comparandum (n. 1174), et *M'. Poblicii Dionysii*, qui saeculi primi videtur esse (n. 1175); Misenenses item duos *militum classiariorum*, quos supra observavimus plerumque scriptos esse litteratura neglegenti (n. 1176 1177); Brixianum denique ceteroquin scriptum litteris non malis, sed propter L formam memorabilem (n. 1178). Pertinet huc praeterea titulus notus Aeserninus *L. Calidii Erotici* additis anaglyphis inconditis diverbioque illo inter copam et viatorem (*copo computemus* e. q. s.) conspicuus (CIL IX 2689): scriptus enim est litteris paene cursivis vulgaribusve. Addere poteram aram agri Mediolaniensis scriptam 'ab altera parte litteris rudibus et pravis, ab altera quadratis iustis' (CIL V 5661), titulos Taurinenses *Attiae Lucinae*, in quo M et H litterae in *mensium* et *horarum* vocabulis ita lineis adiectis distinguuntur M et H (CIL V 7066), et *Sextiae Tiofile* [sic] (CIL V 7110); Foronovensem *M. Aurelii* alicuius *Chruserotis* (CIL IX 4804 cf. 4805); Polensem *Veneris Caelestis* (CIL V 8138), alios. In servilis condicionis hominibus litteraturae barbariem cum sermonis rusticitate coniunctam inter alia exempla offerunt Mesagninum (CIL IX 220) et Marruvium (CIL IX 3731). Saepius iam observavimus miliaria potissimum non raro scripturam exhibere non ex officina profectam, sed rusticam: antiquissimum fortasse scripturae non admodum rusticae, sed tamen subrusticae, exemplum Italicum miliarium Pisanum *Pii* est (supra n. 330). Miliaria suburbana inde a saeculo tertio eandem plane scripturae barbariem exhibent quam provincialia; conferantur quae supra exhibuimus Castronovana potissimum *Severi Alexandri* (n. 542), *Gallieni* (n. 543), *Aureliani* (n. 544), *Numeriani* (n. 545), *Flavii Severi* (n. 749), *Maxentii* (n. 697), item Bononiense *Constantii* (n. 748). Ultimam denique scripturae epigraphicae depravationem videntur fere exhibere tituli militares Concordienses saeculi quinti sextique (supra n. 764—766).

De scriptura actorum sive vulgari sive cursiva dictum est supra suis locis (p. 285 328 343).

1153 Romae, arula marmorea; in museo Vaticano (¼).



0,021

0,015


Lucius | *Valeri|us Teles|phorus* | *Iobi posit*

CIL VI 290 integra.

Una videtur posita fuisse arula similibus litteris inscripta musei Parisini CIL VI 289: *Lucius Vale|rius Te|lespho|rus Her|culi d(e)o* | *aram posit.*

Saeculi fortasse primi exeuntis ineuntisve secundi. Praenomen perscriptum Graecum hominem decet; *posit* rustice scriptum huic aetati convenit.

1154 Romae(?), lapis pavimenti alicuius Albanus, in quo columna vel pila videtur collocata fuisse; in museo Lateranensi (⅛).



0,042

Ab altero latere: *T. Flaius Alcimus* | *de suo pementu fecet*


Ab altero: *C. Iulius Rodo fecet de suo pementu*

CIL VI 17987 pars dimidia integra.

Scilicet opus pavimenti duo viri ita inter se partiti sunt, ut tituli indicant.

Saeculi potest esse primi exeuntis; quanquam P littera clausa videtur esse. Sed litteratura omnino rudis est.

1155 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino ($\frac{1}{6}$).



0,029

Silvano sacrum | *Tychicus* | *Glabrionis n(ostri) ser(vus)* | *vilicus hortorum* | *v(otum) s(olvit)*

CIL VI 623 vv. 3. 4. Glabrio hic qui fuerit certo non poterit definiri; cogitavi de consule a. 152. Sed fuerunt Glabriones etiam a. 124. 186. 256. Litteratura videtur saeculo secundo non indigna esse.

1156 Romae, ara marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).




0,019

Spei sacr(um) | *T. Flavius* | *Trophimus et* | *Abascantus* | *vilicus Decydaes* [sic] | *et Flavia Lucisca* | *et Zopo d(onum) d(ant)*

CIL VI 758 v. 7. Videtur saeculi secundi esse.

1157 Romae, ex Lorio villa, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).




0,029

Silbano | *sacrum* | *Alexander* | *Fausstines Aug(ustae)* | *actor d(onum) d(at)*

CIL VI 585 vv. 1 et 4. Saeculo altero exeunte Faustinae ille fortasse minoris actor titulum videtur posuisse.

1158 Romae, tabula marmorea in excubitorio cohortis VII vigilum; ibi extat ($\frac{1}{3}$).




0,014

Imperio Silvani | *niqua mulier velit* | *in piscina virili* | *descendere, si minus* | *ipsa dé se queretur,* | *hoc enim signum* | *sánctum est*

CIL VI 579 vv. 5—7. Saeculi fere tertii esse propter litterarum formam creditur recte.

1159 Romae, ara marmorea; in villa Albania ($\frac{1}{6}$).



0,030


[S]alv[i]s Augustis | *sancto Aesculapio* | *ex iusso* | *numinis dei* | *posuit* | *Mustius T. f(ilius) Fab(ia)* | *Olympus Roma* | *miles coh(ortis) XI* | *urb(anae)* ɔ *(centuria) Vituli*

CIL VI 14 vv. 8. 9. V. 1 in lapide clare legitur SALVLS; etiam quod praenomen militis deest videtur errori quadratarii tribuendum esse.

1160 Romae, in massis marmoris Carystii repertis in emporio Tiberino; in museo Lateranensi ($\frac{1}{6}$)

a


a. 132 0,030



Sub cura Minici | *Sancti proc(uratoris) Aug(usti)* | *pr(obante) Crescente lib(erto)* | *n(umerus) XLII*
In latere: *Augurino co(n)s(ule)* | *l(oco) CXXCVI r(a)t(ionis)*

b

a. 134 0,035



Sub cura Minici Sa[ncti] | *pr(obante) Crescente lib(erto) n(umerus) I....*
In latere: *Augurin(o) co(n)s(ule)* | *l(oco) LXXX r(a)t(ionis)*

c

a. 134 0,030



[Se]rviano III co(n)s(ule) | *ex rat(ione)* | *Valentis n(umerus) CXXXII*

d


a. 135 0,030



Pontiano co(n)s(ule) | *ex r(atione)* | *urb(ica) Fl(avii) Natalis* | *n(umerus) II*

e


a. 137 0,035



L. Aelio | *Caesare n(ostro) II et Bal|bino co(n)s(ulibus) rationis* | *urbicae sub cur(a) Irenaei* | *Aug(usti) lib(erti) proc(uratoris) caesura Tulli* | *Saturnini 7 (centurionis) leg(ionis) XXII prim(igeniae)*

f


a. 137 0,035



[L.] Aelio Caesare n(ostro) II | *et Balbino co(n)s(ulibus) r[a]tionis* | *urbicae sub cur(a) Iren|aei Aug(usti) lib(erti) proc(uratoris) caesura* | *Tulli Saturnini 7 (centurionis) leg(ionis)* | *XXII prim(igeniae)*

L. Bruzza *annali dell' instituto archeol.* XLII a. 1870 p. 173, 4 5 11 12 et p. 191, 258 259.

1161 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (c. 1/4).



0,025

Marcus | Laelius f(ilius) | Laeliae Ni|keni coiu|ci b(ene) m(erenti) f(ecit)

In CIL VI nondum edita; integra.

1162 Romae, tabula marmorea; in museo Capitolino (1/6).




0,034

Diis [Manibus] | fecit Flavia | Prisca P. Fabio | Ermogeneti | coiugi bene me|renti vixit ann|is LX horis III

CIL VI 18409 v. 2.

1163 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. 1/6).




0,033

0,035

D(is) M(anibus) | C. Nunnio Pri|mitivo patro|no bene me-ren|ti fecit Victor | libertus | Terentia ......

Maffei Mus. Veron. p. 258, 5; Murat. 1551, 1 vv. 1—6.
In aversa tabulae parte alter titulus sepulcralis legitur.

1164 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano (1/4).




0,020

Dis Mánibus | Q. Vilió Chresimo | b(ene) m(erenti), vixit an(nos) LXXVI; fecerunt Castus f(ilius) Clarus lib(ertus)

In CIL VI nondum edita; vv. 1. 2.

1165 Romae, tabella marmorea; in museo Vaticano (1/3).



0,018

D(is) M(anibus) | Ampliatae | fecit C. Cass|ius Thelesph|o-rus [sic] *vernae | vix(it) an(num) I m(enses) V | d(iem) I*

CIL VI 11591 vv. 2—5.

1166 Romae, tabella marmorea; in museo Capitolino (1/4).




0,020

D(is) M(anibus) | Calliste quae | vixit annis | XXII mensi[bus ...;] | fecit Eutych[us] | coniugi ka[ris]|simae bene [mer(enti)]

CIL VI 14108 v. 2.

1167 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{5}$).




0,022

Loco donato man|cipato a Publicia | Sabastonice et | ab Arrio Trophi|mo herede | eius, in f(ronte) p(edes) XVI s(emis), | in ag(ro) p(edes) VIIII

In CIL VI nondum edita; vv. 1—5.

1168 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{7}$).




0,031

0,026

D(is) M(anibus) | Fabiae Clades | Q(uinti) Plani | Priscillus et Sardus | matri optimae | b(ene) m(erenti) f(ecerunt)

CIL VI 17587 vv. 2. 3.

1169 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).



0,021


D(is) M(anibus) s(acrum) | pupus Torquatianus | filius bonus, qui semper | parentibus obsequens | vixit annis VIII m(ensibus) VIII d(iebus) XIII; | item alius pupus Laetianus, qui | idem fil(ius) bonus et obsequens | idem parentibus vixit annis | n(umero) V m(ensibus) VI d(iebus) VI; posuerunt Ga|ianus et Eucharis parentes | filis dulcissimis sed non hoc | merentes a vobis, qui sibi sense|runt, III idus Sept(embres); ex quibus unus vixit in | XI kal(endas) Oct(obres) et alius in III kal(endas) easdem

Orelli 2719 vv. 1—3. Saeculi videtur tertii esse.

Marini Arv. p. 263 tab. v. 1 s litteram omisit, sed formas reddidit satis accurate is, qui ei titulum delineavit.

1170 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).

0,025




D(is) M(anibus) s(acrum). | *Val(erius) Genialis milex* | *legionis segunde* | *Divitensium Italice* | *singnifer* [sic] *vixit annos L,* | *militavit annos XXVI;* | *posit Verina bene merenti*

CIL VI 3637 vv. 2—4. Titulus videtur esse saeculi tertii extremi quartive; in aversa legitur vetustior item sepulcralis.

1171 Romae, parva tabella marmorea; extat Anagniae ($\frac{2}{3}$).

a. 388 0,013




D(omino) n(ostro) Magno Maximo Aug(usto) II cons(ule) | *III idus Maias fatum fecit Leo et* | *depositus pridie idus Maias; bene* | *merenti in pace*

I. B. de Rossi inscr. urb. christ. I p. 165 n. 374. Annus indicatur s. s.

1172 Romae, parva tabella marmorea; extat Anagniae ($\frac{2}{3}$).


a. 396 0,010



Arcadio et Honorio IIII | *deposita Staturina X kal(endas)* | *Apriles;* | *Sabbatus maritus fecit*

I. B. de Rossi inscr. urb. christ. I p. 189 n. 434. Annus indicatur s. s.

1173 *Porto Ferrajo* in insula Ilva, tabella marmorea; servatur in museo Florentino (⅔).




0,025

Victoriae; | *vixit ann(os)* | *octogin(ta) di(es)* | *qua(ttuor) men(ses)* | *du(os), cogna(ti)* | *et filia fece(runt)*

Murat. 1289, 16 integra.

1174 Puteolis, tabella marmorea 'litteris rudibus'; in museo Neapolitano (⅔).




0,012

D(is) M(anibus), | *Terentiano filio* | *dulcissimo, qui vix(it)* | *ann(os) VII m(enses) III C. Anto*|*nius Lucianus b(ene) m(erenti) f(ecit)*

CIL X 3002 integra. Apices (in *Teréntiáno fílio dúlcissimo Lúciánus*) cum punctis (v. 1) et lineolis supra litteras singulares (v. 5 B M F) promiscue positi sunt.

1175 Puteolis, columna parva utrimque scripta; in museo Neapolitano (¼).



0,030

0,020


0,018

In altero latere: *D(is) M(anibus), M'. Poblicio* | *Dionysio fecerunt* | *II fratres Poblicius* | *Clemes et Apsurtus* | *alumni* | *b(ene) m(erenti) t(atae) s(uo)*

In altero latere: *D(is) M(anibus)* | *M(ani) Poblici Dionysi* | *M(ani) Poblici Nicerotis pediseq(ui);* | *bene emerenti* [sic] *fecer(unt)* | *duo fratres Poblicius Clemens et* | *Apsyrtus alumni* | *tatae*

CIL X 1949 tituli alterius lateris vv. 1—3.

1176 Miseni, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).




0,030

0,025

D(is) M(anibus), | C. Iulio Her[a]|clidae tr(ierarcho) cl(assis) | pr(aetoriae) Misenens(is) | Artemidorus | et Iulius et Hera|clida heredes | de HS (sestertium) VI n(ummum) ex te|stamento eius | fecerun

CIL X 3359 vv. 7—10. V. 8 Ń traditur; apex mihi cauda potius visa est R litterae ut v. 10.

1177 Miseni, tabula marmorea; in museo Neapolitano ($\frac{1}{4}$).



0,035


0,032

0,015

Dis Manib(us) | C. Iulio Postumo | militi ex class(e) pr(aetoria) Miseniens(i) [sic] | *testamento fieri iussit de HS (sestertium) II m(ilibus) | arbit(ratu) T. Flavi Terentiani tr(ierarchi); | h(oc) m(onumentum) s(ive) s(epulcrum) e(xterum) h(eredem) n(on) s(equetur)*

CIL X 3360 vv. 1. 2 et 6.

1178 Brixiae, ara marmorea; in museo ($\frac{1}{8}$).



0,060

Tullino

CIL V 4914 integra. Dei ignoti nomen.

II

SCRIPTVRAE VVLGARIS
MONVMENTA PROVINCIALIA

Curiosa admodum scripturae vulgaris plane barbarae exempla satis vetusta supra exhibuimus e Gallia transpadana (n. 20—22), ex Alpibus maritimis (n. 30 31), e Gallia transalpina (n. 37 38), ex Hispania (n. 39 40). Saeculo deinde primo procedente rusticitatis exempla paullo plura hic illic deprehenduntur extra Italiam, veluti in cippo terminali Tergestino (n. 183), in titulo sepulcrali Lugudunensi, siquidem ille re vera dici potest rustice sculptus esse (n. 196) — similis ei est Comensis satis vetustus, quem genuinum esse ex ectypo didici ab Hectore Pais mihi monstrato (CIL V 627*) —, in titulis militum sepulcralibus Germanicis (n. 202 206), in servilibus Africanis (n. 234 451 452), quibuscum comparandi sunt militares Aegyptii (ut n. 370), Attici (ut n. 371), Africani (ut n. 450) ad actuariam scripturam vergentes. Antiquioribus adnumerandi Raetici quoque nonnulli (velut CIL III 5131). Sed inde fere a saeculo primo exeunte ineunteque altero etiam in provinciis formarum varietas tanta existit, ut siquis unius cuiusque regionis exempla diversa colligere apteque illustrare voluerit, opus integrum eis consecrandum sit. Pauci tantum scriptores ad discrimina illa attenderunt; exemplis accurate delineatis praeter Brucium, qui Britannica, et Robertum, qui Gallica composuit sollertissime, nemo ea explicuit. Attamen Africana, Hispana, Germanica, Illyrica, Orientis peculiarem illustrationem merentur. Primum fortasse L litterae caudatae (L) exemplum titulus Aquileiensis a. 165 praebet (supra n. 366). Vulgarem scripturam praeterea habent Pannonici duo supra exhibiti (n. 373 381), deinde Salonitani aliquot (ut CIL III 2560 2629) et Pannonici (CIL III 3387 3391) saeculi alterius exeuntis tertiique. His adde *aram Silvani silvestris* Aquincensem litteris scriptam perquam profundis et latis, cuius ectypum servo (CIL III 3369). Tertii saeculi ineuntis est *Caracallae* titulus Intercisanus, quem supra exhibuimus (n. 573), medii Bedaiensis (n. 580), exeuntis Singidunensis et Aquincensis (n. 594 595). Hominum Palmyrenorum duos, Britannicianum alterum, alterum Africanum supra dedimus (n. 423 464) scriptura singulari memorabiles.

Pro huius operis ratione consistendum erat in exemplis paucis selectis. Hoc capite praecedere volui ex Gallia Narbonensi titulum unum (n. 1179); duos praeterea memoro indidem provenientes sepulcrales ex *Solliès-Pont* alterum (CIL XII 319), alterum Vasiensem (CIL XII 1356), arulam denique Glanensem *Proxsumarum* (CIL XII 1024 delineatam apud Boissieu *inscr. de Lyon* p. 70 LI). Burdigalenses admodum memorabiles Carolus Robert composuit (*les Étrangers à Bordeaux* etc. Burdigalae 1883, inprimis p. 27 n. 1, p. 52, p. 73 n. 3, p. 93 n. 2, p. 101). Supra Gallicos aliquot eius generis dedimus (n. 390 391 cum L littera singulari). Adde miliarium *Aureliani* supra exhibitum (n. 609), item *Floriani* id quod editum est in ephemeride *Revue épigr. du Midi de la France* (I 1878 p. 14).

Sequuntur tituli Germanici quinque, *ara Mercurii* (n. 1180), *cippus militaris* eius generis, de quo dictum est in prolegomenis (n. 1181) — conferatur cum eo is quem supra dedi titulus a. 205/8 (n. 620), item *pedaturae Primanorum* titulus (Bramb. 837) —, *lapicidarum notae* lapidibus incisae (n. 1182) similesque *tituli* duo nomina virorum simplicia exhibentes (n. 1183 1184), quibus adde Rottenburgensem musei Stuttgartensis (Bramb. 1636).

Comparandi praeterea sunt tituli Germanici supra propositi (n. 406 407 412 415), item *arae Iovis*, quam *confanesses Armisses* posuerunt in agris decumanis (Bramb. 1648), et *matrum*, quam *miles ex classe Germanica* posuit Antunnaci (Bramb. 648) et ipse, ut classiarii Italici, scriptura usus admodum mala; denique sepulcralis *militis* Mogontiacensis (Bramb. 1169).


Ut tituli illi Germanici (n. 1182—1184) scalpro neglegenter tantum incisi sunt, ita in lapicidinis Britannicis singulari opificio eo, quod descripsi suo loco (in prolegomenis) sculpti sunt tituli aliquot nomen *decurionis alarii* alter, alter *pedaturam* hominis alicuius privati indicans (n. 1185 1186); alios Britannicos male scriptos supra exhibuimus (n. 420 421).

Ex Hispania non pauca, ut dixi, scripturae vulgaris exempla mihi innotuerunt; memoro titulos ex Baetica Arvensem (CIL II 1067) et Carmonensem (CIL II 1382) qui vix intellegitur, ex Tarraconensi Tugiensem (CIL II 3330) et Asturicenses (veluti CIL II 2632) Legionensesque, *terminum* denique, ut videtur, privatum apud Mengibar repertum (CIL II 5065). Proposui Hispanum unum F litterae forma aliqua singulari insignem (n. 1187); de aliis quibusdam Abderitanis Illiberritanis Legionensibus Asturicensibus in prolegomenis dixi.

Restant tituli Africani, quorum magna est, ut expectaveris, multitudo et varietas. Sunt autem illi omnes sepulcrales hominum infimae condicionis scriptique neglegentissime. Graphio

scriptis simillimus est titulus Constantinopoli servatus originis Africanae (CIL III 744); Zaraitanus in corpore inscriptionum non admodum fideliter repraesentatus (CIL VIII 4573), Cirtenses (CIL VIII 7327 7866 7943), Rusicadenses (CIL VIII 7981 8116), Milevitani (CIL VIII8 246—8248), Caesariensis (CIL VIII 9439). Conferatur etiam urbanus *hominis Afri* barbare scriptus (CIL VI 9592). Etiam *tabellae* parvae *sepulcrales* Carthaginienses (CIL VI 9423 9441 9455 aliae) huc pertinent. Contra scripturam pravam ex monumentali male delineata ortam Africaeque fortasse peculiarem habent tituli sacri aliquot Carthaginienses (ut CIL VIII 1009 1142 ss.), item sepulcrales Serianensis (CIL VIII 4387), Lamasbensis (CIL VIII 4467 quem vix intellego), Algeriensis (CIL VIII 8990), Auziensis (CIL VIII 9060), Caesariensis (CIL VIII 9521). Titulos hosce memoravisse sufficiat; exhibere enim eos delineatos terminos huic operi positos excedit.

1179 Arelate, tabella marmorea 'litteris pessimis'; ibi in museo (¼).




0,029

D(is) [ascia] *M(anibus).* | *Emele* | *condite* | *Marcus* | *Iuliu(s)* | *Eut|eces* | *coiug(i)* *p(ientissimae?)* | *e(t)* *m(e)r(entissimae)* *p(osuit)*

CIL XII 746 integra.

1180 Ex monte *Rossberg* in Palatinatu, ara ex lapide calcareo; in museo Spirensi (⅕).



c. 0,080

0,060


0,050

0,040

Mercurio | *ex v(o)to Ma|suinnus In|duti f(ilius) Ca(?) ex* | *numero Vi|* . . . .

Brambach 1762 integra praeter versus ultimi reliquias incertas. *Ca* . . . gentis nomen est.

1181 In castello limitis Germanici in Tauno monte q. d. *Hoheburg*, lapis calcareus olim muro insertus; in museo Wiesbadensi (⅔).



0,021


0,018

Pedat(ura) Treveror|um p(edum) LXXXXVI | *sub cur(am) agente Cres|centino Respecto 7 (centurione)* | *leg(ionis) VIII Aug(ustae)*

Brambach 1548 integra.

1182 Augustae Treverorum, intus in lapidibus portae q. d. nigrae et in muro suburbii ad S. Barbaram, signa lapicidarum plus minus centum (c. $\frac{1}{4}$).


c. 0,020–0,040



Age(dillus?) vicies septies *Atot(us?)* bis *Aiul(lus? Atullus?)* octies *Cam(alus?)* ter *Com(mius?)* quater *Crobi(scus?)* ter *Mar-(cellus?)* vicies *Sec(undus? Secco?)* septies *Sil(o?)* bis

Acta acad. Berol. menstrua a. 1864 p. 94 ss. (inde Brambach p. 357).
Sine dubio nomina operarum saepe repetita, interdum inverse (ƎΩA, MOϽ) et cum ligaturis litterarum (ut MR, MG); supplementa incerta.

1183 *Rottweil (von den Hochmauern bei der Altstadt)* in agris decumanis, lapis magnus aedificii alicuius; in museo Stuttgartensi ($\frac{1}{10}$).




c. 0,250

L. Pervinc(ius) Satur(ninus)

Brambach 1644 integra.

1184 *Rottweil* in agris decumanis, in lapide magno rudi; in museo Stuttgartensi ($\frac{1}{10}$).



c. 0,200

Apr(onius) Aug(ustalis?)

Staelin catalogus musei Stuttgartensis n. 200 integra.
Staelinus inter A et PR punctum ponit atque in ectypo quoque aliquid ibi distinguo; si recte vidit, legendum *A. Pr(imius?) Aug(ustalis)*; magis autem puto punctum illud casui deberi. C in fine etiam G esse potest.

1185 Inter Amboglannam (*Birdoswald*) et Petrianas (*Castlesteads*), stationes valli Hadriani in Britannia, in rupe lapicidinae lapidis calcarei (c. $\frac{1}{8}$).




c. 0,056

I(unius?) Brutus | *dec(urio) al(ae) Pet(rianae)*

CIL VII 872 integra. Mensurae non certae, sed vero proximae.

1186 Prope *Drumburgh* (Tunnocelum), ad vallum Hadriani in Britannia, cippus ex lapide arenario; in museo Carleolensi (c. $\frac{1}{8}$).




c. 0,080

Pedatura | *Vindo*|*moruci*

CIL VII 948 integra.

1187 Italicae, tabella marmorea, ad utrumque latus tituli vestigium pedis humani insculptum est; ibi in museo ($\frac{1}{4}$).



0,020

G. Flavius | *Firmus* | *voto s(olutus) l(ibens)* | *pro Fla(vio)* | *Successo*

CIL II 1112 vv. 1. 2 et 4. 5.

III

SCRIPTVRA PICTA

Constat litteras monumentis insculpendas priusquam sculperentur aut carbone delineari aut penicillo pingi solitas esse (ut exposuimus in prolegomenis). Inde non mirum, quod ductus eius liberioris, quem penicillo deberi manifestum est, etiam in formis postea insculptis vestigia servata sint non raro tam perspicua, ut monumenta quaedam, veluti Lunense *Neronis et Poppaeae* a. 65 (supra n. 1069) et *Hadriani* basis Attica (supra n. 365), a nonnullis eorum programmatum, quae reperta sunt in parietibus aedificiorum Pompeianorum, et a reliquis titulis pictis, quos indicavimus in prolegomenis, paene non distinguantur. Sed formarum pictarum libertas illa non ubique eadem est; per gradus fere quem ad modum illa ex exemplis lapicidae propositis transierit in scalpturam cernitur in multorum monumentorum litteris ad pictas plus minusve, ut saepius supra observavimus, accedentibus. Itaque varios illos scripturae pictae in monumentis actisque gradus, ut promisimus in prolegomenis, hic breviter componere additisque exemplis aliquot selectis illustrare decrevimus.

Raro, ut expectaveris, aetate antiquiore libertatis illius vestigia deprehenduntur. Hoc inde quoque explicatur aliquo modo, quod litterae pictae in parietibus Pompeianis antiquiores vix diversae sunt a lapidariis; videantur alphabeta (I 1—3) in Zangemeisteri tabula (CIL IV tab. I). Inter antiquissima eius exempla numero Varronis Murenae titulum Lavinatem a. 731 (supra n. 100) a Ptolemaeis Cyrenensibus positum, qui monumentorum Pompeianorum libertatem e Graeca arte fortasse derivatam in memoriam revocat. Praeterea mirandum non est pavimenti tessellati titulum in columbario urbano repertum anni p. C. 1 (n. 56) pingendi artificium monstrare; comparetur cum illo basis Larum Puteolana anno eodem incisa litteris paullo quam ille elegantioribus (n. 151). Etiam tituli sepulcrales aliquot urbani hominum tenuiorum aetati Augustae tribuendi (n. 65 67), item Claudiae Neronianaeve (n. 99) atque eiusdem aetatis Ostiensis (n. 105) huc pertinent aliqua ratione. Magis perspicui sunt penicilli ductus in litteris titulorum non paucorum Pompeianorum aetatis Augustae (ut in n. 107 108 109) paulloque recentiorum quorundam (ut n. 121). His succedunt eadem proprietate superantque eos libertate et elegantia tituli Pompeiani aetatis Claudiae sacri et honorarii (ut n. 135 et 136), basis Telluris (n. 139), sepulcrales litteris gracilibus (ut I longa) conspicui (ut n. 140 ad 142). Scripturam illam gracilem caudarum Q litterae longitudine, T litterae linea transversa curvata (similibusque E F litterarum) distinctam fortasse referendam esse ad Graecae scripturae exempla titulus aetatis Augustae Atticus (n. 185) videtur indicare. Comparentur cum illis inscriptiones pictae parietariae Pompeianae, quarum alphabeta Zangemeisterus composuit (CIL IV tab. I n. II 1—5), et inprimis programmata quae dicuntur *Casellii* (CIL IV 551 tab. III 1) et *M. Epidii Sabini* (CIL IV 1059 tab. VIII 7), item *Alchimi* alicuius ad Pyrrhum *epistula* incohata in pariete (CIL IV 1934 tab. XXII 9). Programma potissimum Epidii titulis lapidariis pictis simillimum est. Memorandi sunt praeterea paene eiusdem similisve scripturae testes titulus sepulcralis Pompeianus *L. Vottonii L. f(ilii) Col(lina) Saturnini Drips(inatis)* hermae formam imitans (CIL X 1079), Puteolani gracillime scriptus *Scurraciae Venerandae*, in quo E et I litterae vix distinguuntur (CIL X 2940), paulloque recentior *M. Gerellani Silvani* (CIL X 2482); denique basis *Veneris probae sanctissimae* poetice concepta Cumana (CIL X 3692). Etiam inter titulos eos, qui solebant in amphoris doliisve pingi iuxta reliquos magis cursivis litteris exaratos sunt qui iisdem prorsus litterarum formis utantur atque tituli, de quibus agimus, lapidarii. Ita v. c. quae in vasculis Pompeianis inscripta sunt *oliva alba dulce* (CIL IV 2610 tab. XLV 1), *ab Eutycho Arelli* (CIL IV 2643 tab. XLI 3), easdem habent litteras crassas, capitibus latis. E titulis huius generis in amphorarum Hispanarum fragmentis pictis permultis et Romae e monte testaceo erutis huc pertinent nomina litteris maioribus scripta paullo infra reliqua, anni indicationem, actoris nomen cet., quorum scriptura actuaria potius est sive cursiva; unum Henricus Dressel depinxit *P. Atici* vel *Asici*(?) *Herenni* (*Annali dell' inst. arch.* L 1878 tab. *N* 1 cf. p. 160). Quemadmodum e scriptura hac picta magis etiam usu mutata prodierint numerorum signa illa singularia, quae primo adspectu ne Latina quidem esse visa sunt, in amphoris Hispanis illis, quas supra iam memoravi, picta, exposuit Dresselius l. s. s. (p. 162 ss. cf. tab. *M*). Similes Pompeianis sunt amphorarum in Italia superiore (CIL V 8111 1—3 5 6 9), Britannia (CIL VII 1333 1 2), Africa (CIL VIII 10477 1) repertarum tituli picti.

Cum Pompeianis saeculi primi fere medii deinde componendi sunt tituli aliquot Gallici eleganter sculpti, ut Nemausensis aetatis Tiberianae (n. 187), supparis aetatis Arelatensis (n. 192), Avarici Biturigum repertus a. 41 (n. 193). Ad picta exempla, sed elegantia minore, delineatae praeterea sunt bases divae Augustae Africanae (n. 232), domus Augustae Hispanae (n. 214 ad 217), Claudii scripta litteris minutis (n. 228), Neronis (n. 229), ara dei Bormanici aetatis fere Flaviae (n. 230). Inprimis huc facit *Ser. Persii* titulus Iliberritanus litteris gracillimis altisque pictus (CIL II 2083 supra p. 145), qui tamen periit. Atque haec quidem sunt exempla rara in universum scripturae epigraphicae ad picta exempla referendae, quae ad saeculum primum pertinent. Manifestum est, nisi fallor, scripturae eius formas originem duxisse e pictis exemplis; tamen scalpendi opificium aliquo modo picturam mutavit. Rariores vero sunt tituli eidem saeculo tribuendi, qui, ut Neronis ille Lunensis, latos penicilli ductus prorsus accurate repraesentant. Tabellas infra exhibui sepulcrales duas eius generis urbanas, quae videntur saeculo primo exeunte ineunteve altero non esse recentiores (n. 1188 1189);


observa in eis B litterae formam fere cursivam, L et T lineis transversis paene carentes. Extant eius generis praeterea exempla non multa, quantum scio: memoro Florentinum *Vennoniae L. l(ibertae) Victoriae* alicuius a *L. Cornelio L. l(iberto) Chrysiano h(erede)* positum (nescio ubi editum), quod H litteram ita formatam habet Ħ.

Paullo frequentior pictorum exemplorum usus erat inde a Vespasiani aetate. Testes eius scripturae sunt inter urbanos titulus Appiae Severae (n. 248), tabellae sepulcrales aliquot tenuiorum hominum (n. 254 255), bases deorum parvae (ut Silvani n. 263) ad saeculi alterius partem priorem spectantes. Ad posteriorem spectant arae Genii centuriae alicuius vigilum a. 156 (n. 290), Solis a. 158 (n. 291) et a. 184 semigraeca (n. 305), titulus sepulcralis militis a. 160 (n. 292), cippus terminalis a. 161 (n. 293), basis Genii Noricorum (n. 307), tabula denique sepulcralis villae Pamphiliae (n. 309), de cuius aetate diu dubitatum est. Atque haec quidem a Graeca plebe in urbe degente profecta est similiter atque basis Solis illa; tituli ambo sunt saeculi alterius exeuntis. E municipiis Italicis eiusdem generis exempla haec exhibui Pompeianum Vespasiani (n. 335), Gabinum (n. 312), Castronovanum (n. 325), Falerionense Hadriani (n. 338), sepulcralia Tiburtina (n. 316 317), Ostiense (n. 323), Veientana (n. 326 327), Anagninum (n. 346) quodque supra (p. 112) memoravi Tharrense ex Sardinia (CIL X 7893). Accedunt tituli sepulcrales militum classiariorum Misenenses, veluti *C. Dinnii Valentis* sive Misenensis sive urbanus (CIL X 3573), alii. E provinciis septentrionalibus non multa similia congerere potui; alicuius similitudinis sunt Germanica quaedam (n. 379 400) et Gallica (n. 384 in versiculis, n. 385 390). Ceterum in Germania sane hanc scribendi consuetudinem raram fuisse e Munierii tabulis videtur elucere. Frequentiora sunt exempla in Hispaniis, ut demonstrant tituli Vespasiani (n. 424 425 426), Domitiani (n. 427 428), Traiani (n. 430 431 432), Hadriani (n. 436), Pii (a. 441 442), L. Veri (n. 443), atque aetatis eiusdem, quamvis annorum incertorum, tituli aliquot honorarii scripturae elegantia memorabiles (n. 438 439 440). Habent illi C et T litteras supra litteras insequentes minores imminentes caudis superioribus longis, F et L reliquis altiores, A et G singulariter formatas. Hispanicis similes sunt Africani omnium huius generis titulorum servatorum frequentissimi. Sic pictam scripturam, ut breviter dicam, gracilem habent tituli a. 96 (n. 449), a. 140 (n. 456), a. 150 (n. 457), a. 157 (n. 458), a. 169 (n. 459), c. a. 180 (n. 460 461; in quo S et A litterarum formae potissimum observandae sunt), a. 186 (n. 462). Inter titulos vero eos omnes unus Hadriani Atticus a. 112, cuius iam saepius mentionem feci, litteras habet inde a versu secundo vere pictis Pompeianis prorsus similes (n. 365); reliqui omnes e pictis quidem exemplis pendent, sed libere ea tractant monumentalemque scripturam cum picta quasi commiscent. Inde titulum Cartimitanum Claudio olim a. 53 positum hic exhibui scripturae pictae saeculi alterius testem: nam *basis tituli eius cum vetustate corrupta esset in vice eius novam restituit* filia eius qui dedicaverat priorem (n. 1190); scriptura similis est tituli eius qui praecedit (n. 1189).

Saeculo tertio tam in urbe quam in provinciis litteratura ea, de qua agimus, non rara quidem fuit, sed minus accurate et ipsa scribi incipit sensimque paene ad vulgaris quam diximus scribendi neglegentiam delabitur. Gracilis est et exemplis Hispanis Africanisque paullo antiquioribus similis in titulis honorariis militaribusque urbanis non paucis (ut in n. 472 476 477 478 479 485 490 493), item in sepulcrali *publici* alicuius *populi Romani* (n. 495). Adde tabellas Abderitanas (veluti CIL VI 1988), basim Bibensem ex provincia proconsulari (CIL VIII 908), tabulam sepulcralem in agro Viennensi Galliae Narbonensis repertam (CIL XII 2358). In aliis quibusdam titulis formae sunt aliquanto sicciores et rigidiores (ut in n. 480 481 483 484 486) nec tamen vere monumentalibus similes. Huic aetati tribuo titulum Cordubensem publice positum (n. 1191); comparetur cum eo Illiberritanus *Sabiniae Tranquillinae* Gordiani (supra n. 663). A Severi deinde Alexandri aetate usque ad Diocletianam monumenta multa lapidibus insculpta videmus elegantiam scripturae pictae imitantia in cornibus litterarum longioribus et curvatis, in discrimine hastarum crassiorum tenuiorumque, in punctis foliola hederacea vel lineolas curvas (ut in n. 500) repraesentantibus, totoque denique inscriptionum habitu. Inspiciantur exempla supra proposita urbana publici argumenti (n. 498 ad 502 506 515) et privati minus accurate sculpta (n. 509 ad 511 523 524). Cum urbanis componenda sunt reliquae Italiae monumenta quaedam, veluti miliarium Severi viae Appiae (n. 547), basis coaeva Curensis (n. 549), epitaphium Veliternum *Sex. Varii Marcelli* bilingue (n. 539). In titulo aliquo Falerionensi saeculi tertii fere medii fortasse primum usurpatas videmus iuxta scripturam monumentalem maiorem minorem pictae similem, quae A et L litterarum formas singulares (ʌ et ʟ) habet (n. 551); similes, sed rudiores, basis Maximiani Polensis exhibet (n. 563). Litteris pictis elegantioribus aetateque antiquiore non indignis utitur basis Ostiensis quaedam (n. 537); quanta elegantia etiam saeculo tertio litterae interdum et sculpi et pingi solitae sint docet basis Ticinensis ex parte picta tantum (n. 564). In provinciis praeter formas litterarum monumentales, quae frequentiores sunt, saeculo tertio etiam pictae adhibentur, sed raro in universum, potissimum in Hispaniis et in Africa. Ita Graecam originem aliquo modo arguit ara Matris Magnae Tomitana aetatis Diocletianae (n. 598), eique similis est ex parte miliarium Augustodunense Gallicum (n. 611); G et L litteris artificiose ornatis conspicua est arula dei Gallici Viennensis (n. 610). Luculentum scripturae pictae exemplum praebet adlocutio titulo sepulcrali Hispano Ossigitano adscripta (n. 1192). Comparentur monumenta supra relata *Septimii Severi* Tuccitana (n. 651 652 653), titulus Cordubensis a. 216 (n. 656), *Maximini* Cordubensis (n. 658), *Tranquillinae* Illiberritanus (n. 663), Tarraconensis a. 283 (n. 665 cf. 667). Africana monumenta huc pertinent Salditana saeculi alterius extremi (n. 670) multaque alia, de quibus accuratius iam supra expositum est (p. 229). Exemplum quod hic exhibuimus unicum Carthaginiense (n. 1193) a similibus urbanis (ut n. 1189) vix differt.

Aetatis Constantinae ad Iustinianam cum non multa omnino in hoc opere proferenda decreverimus exempla, rara tantum in eis scripturae pictae exhibuimus testimonia. Sed ad ultimam usque aetatem e pictis exemplis titulos insculptos esse et pictarum litterarum formas repraesentare docent inter alia documenta non rara bases Puteolanae duae a. 394, quas supra protulimus (n. 761): penicilli enim ductus aperte imitantur. Inter reliquos eius aetatis titulos non desunt qui actuariae scripturae perquam similes evaserint, ut supra (p. 237 248) exposuimus (cf. inprimis urbani et Italici n. 741 746 758, Africani n. 790 791 792); sed in universum discrimina illa vetusta generum scribendi, scripturae monumentalis actuariae pictae vulgaris, tum iam evanuerunt atque communis quaedam scribendi consuetudo monumentis epigraphicis in dies magis rarescentibus sufficiebat.

1188 Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).




0,023

Dis | *Manibus* | *Iuliae Nice* | *Ti. Claudius* | *Polyclitus* | *mammae* | *suae bene* | *merenti* | *carissime* | *fecit. Vale*

In CIL VI nondum edita; vv. 2—7.

1189 Romae, tabella marmorea; in museo Capitolino (c. $\frac{1}{4}$).



0,027


0,019

. . . | *Titius Herma* | *sibi et* | *Aufidiae Iunillae* | *coniugi suae et* | *L. Titio Thaumasto lib(erto) suo* | *posterisque eorum*

In CIL VI nondum edita; vv. 6. 7.

1190 Cartimae prope Malacam Baeticae; ibi extat ($\frac{1}{8}$).

[a. 53]



0,065


0,060

0,055

Ti. Claudio Caesari Augusto, | *pontifici maxumo, trib(unicia)* | *potest(ate) XIII, imp(eratori) XXVII, cons(uli)* | *V, p(atri) p(atriae), cen(sori) Vestinus Rustici f(ilius) X* | *vir(um) et Rusticus f(ilius) d(e) s(ua) p(ecunia) d(onum) d(ant) cuiius* | *basis cum vetustate corrupta* | *esset in vice eius Vibia Rus|ticana nurus novam restituit*

CIL II 1953 vv. 1—3. Titulum restitutum esse saeculo fere altero medio dixi in praefatione huius paragraphi.

1191 Cordubae, basis rotunda magna; ibi in museo Ceballos ($\frac{1}{8}$).




0,070

0,045

D(ecreto) d(ecurionum) c(olonorum) c(oloniae) P(atriciae) reposita | *anno* | *M. Lucreti Mariani et Q. Vibi Laeti IIvir(orum) c(olonorum) c(oloniae) P(atriciae)*

CIL II 2216 integra. Saeculi fere tertii ineuntis mediive.

1192 Ossigi in Hispania Baetica, basis parva marmorea; servatur Granatae in museo universitatis. Ex imagine photographa ($\frac{1}{3}$).



0,030


0,020

In antica: *D(is) M(anibus) s(acrum)* | *Septimia Septimi* | *Sabiniani* | *mil(itis) cohor(tis)* | *VIII pr(aetoriae) et Aemiliae Ius|tae filia Adventa* | *benemerens a suis* . . . .

In latere: *propter quam rogamus* | *parentes pientissumi collegas* | *succedentes deincepsq(ue) succes|sores sic, nequis vestrum tal|em dolorem experiscatur, ut* | *huiius Manib(us) lucerna quotidi|ana ex ratione publik(a) vestra* | *poni* [*placeat* . . . . .

CIL II 2102 lateris vv. 1. 2 et 6. 7. Saeculo tertio videtur attribuenda esse.

1193 Carthagine, tabula marmorea; ibi immissa muro horti sacrarii S. Ludovici (¼).



0,035

0,032

M. Silius Maximus uxori su|ae carissimae hic tumulum fecit; | *d(is) M(anibus) s(acrum);* | *Vibia Saturnina vixit* | *annis XXXIII menses duos* | *dies XVI*

CIL VIII 1066 vv. 1—3 et 6.

CAPVT ALTERVM

SCRIPTVRA INSTRVMENTI VARII

I

SCRIPTVRA INCISA


De scriptura aeri incisa supra dictum est (p. 278). Simili artificio, maiore vero plerumque cura etiam in ebore et osse litteras insculptas esse exempla docent selecta, quae infra exhibui secundum exempla Ritschelii depicta tesserarum gladiatoribus dari solitarum (n. 1194—1199). Annorum illae sunt ab urbis 733 ad p. C. 74; quae in urbe non videntur factae esse, neglegentioris sunt opificii (n. 1195 1199). Ceterum scriptura haec tesserarum in profunditate incisionis et in cornibus litterarum accurate expressis a reliqua scriptura incisa differt. Quae praeterea extant in osse inscripta, veluti aurigarum equorumque nomina in cultris incisa (vide R. Lanciani *Bullett. municipale* a. 1876 p. 189 tab. XXI fig. 2), a tesserarum scriptura differunt utpote magis neglegenter facta. Reliquarum tesserarum ad spectacula pertinentium exempla proponere visum non est, quia litteras habent perpaucas easque incisas nullo scribendi genere peculiari; ut docent exempla ab Henzeno proposita (*Annali dell' inst. archeol.* XX a. 1848 p. 237 ss. *Monum.* tab. LI—LIII, et XXII a. 1850 p. 357 ss. tab. *M*).

Artem in ebore et osse scalpendi diu floruisse vel potius nunquam plane interiisse notum est; ut tesserae gladiatoriae antiquissima eius exempla praebent, ita recentissima sunt diptycha consularia. Ex satis magno eorum qui superest numero quemque accurate composuit Guilelmus Meyer Spirensis (in actis academiae Monacensis maioribus vol. XV a. 1879 p. 1 ss.) duo selegi exempla in museo nostro Berolinensi prostantia, Leodiense olim nunc Berolinense a. 517 (n. 1200) et originis incertae item Berolinense a. 540 (n. 1201); quorum hoc scriptum est satis accurate, illud neglegentius. Ita in reliquis quoque eiusdem generis monumentis, quatenus ipsa videre licuit aut ex imaginibus Gorii non admodum fidis fidisque Meyeri perspicitur, scriptura variat secundum opificum sollertiam et curam, in universum autem a librorum scriptorum eiusdem aetatis non videtur multum differre; ut consentaneum est. Etiam *Gallieni Concessi v(iri) c(larissimi)* nomen scriptum in pugillaribus eburneis repertis Romae in Esquiliis (v. *Bullett. municipale* a. 1874 p. 101 tab. VII et VIII) scriptum est pari elegantia.

Ad artificium in ebore vel osse scalpendi prope accedunt tituli exigui, qui incidi solebant in tabellis tessellisve ex lapide scissili aliisve lapidibus mollioribus factis, ut vascula vitrea nondum cocta eos in se reciperent, sigilla medicorum ocularioru quae dicimus. Eorum scriptura in universum aequabilis est, quanquam minime ea aetatis eiusdem omnia sunt; annorum notis carent paene omnia. E syllogis Grotefendii, Kleinii, Heronis de Villefosse atque Thedenatii ego duo tantum exempla selegi, Gothanum, quod certo recentius non est quam a. 204 (n. 1202), et Remense (n. 1203), quae scripturam monumentorum illorum satis visa sunt illustrare; discrimina eorum subtiliora hic non persequimur.

1194 Tessera; olim Romae apud Saulinium, ubi nunc sit ignoro. Ex imagine Ritschelii (1/1).

a. 733




Hypolitus | *Septimi* | *sp(ectavit) k(alendis) Ian(uariis)* | *M. Lollio co(n)s(ule)*

CIL I 741 = Ritschl tesserae n. *33 tab. III (XXII) *F* integra. De antiquitate noli dubitare.

1195 Tessera; in museo Mutinensi (1/1).

a. 735




Lepidus Mumme|ian(i) s(ervus) sp(ectavit) | m(ense) Iun(io) | C. Sentio co(n)s(ule)

CIL I 743 = Ritschl tesserae tab. III (XXII) *G* integra. V. 1 punctum, quod R. post E habet, casui debetur. V. 2 medio reliquiae litterarum I C O aut deletarum aut postea adiectarum conspiciuntur, quas omisi. Est tessera provincialis, unde mensis tantum indicatur.

1196 Tessera; fuit Romae in museo Kestneri (1/1).

a. 752




Floronius | Romanus | sp(ectavit) k(alendis) Dec(embribus) | L. Can(inio) Q. Fabr(icio) co(n)s(ulibus)

CIL I 749 = Ritschl tesserae tab. III (XXII) *H* integra.

1197 Tessera; fuit Romae in museo Kestneri (1/1).

a. 5




Suavis | Thybridis | sp(ectavit) k(alendis) Iul(iis) | C. Vib(io) C. Atei(o) co(n)s(ulibus)

CIL I 750 = Ritschl tesserae tab. III (XXII) *J* integra.

1198 Tessera; Florentiae in museo Mediceo (1/1).

a. 13




Athamans | Maecenatis | sp(ectavit) k(alendis) Ian(uariis) | C. Sil(io) L. Mun(atio) co(n)s(ulibus)

CIL I 760 = Ritschl tesserae tab. III (XXII) *M* integra.

1199 Tessera; fuit Parisiis apud Natalem *des Vergers* (1/1).

a. 74




Maximus | Valeri | sp(ectavit) id(ibus) Ian(uariis) | T. Caes(are) Aug(usti) f(ilio) III Aelian(o) II (consulibus)

Ritschl tesserae tab. III (XXII) *E*.

1200 Originis incertae, diptychon eburneum, olim Leodiense; in museo Berolinensi (¼).

n. 517




Fl(avius) Anastasius Paul(us) Pro[b]us | *Savinianus Pomp(eius) Anas(tasius)* | *v(ir) inl(ustris) com(es) domest(icorum) equit(um) et cons(ul) ordin(arius)*

Gori I p. 280 tab. XI pars altera vv. 1. 2; Guil. Meyer *zwei antike Elfenbeintafeln* cet. p. 57 (cf. p. 67) n. 15.
Consul fuit Constantinopoli anno s. s.

1201 Originis incertae, diptychon eburneum; in museo Berolinensi (¼).

n. 540




Fl(avius) Mar(ius) Petr(onius) Theodor(us) Valent(inus) | *Rust(icus) Boraid(es) Germ(anus) Iust(inus)* | *v(ir) inl(ustris) c(omes) dom(esticorum) et cons(ul) ord(inarius)*

Guil. Meyer *zwei antike Elfenbeintafeln* cet. p. 60 (cf. p. 9. 31. 74) n. 31. Iustinus consul fuit Constantinopoli anno s. s.
V. 2 non CERITI sed GERm legendum esse primus vidit Meyerus. V. 3 errore scalptoris VSNL scriptum est pro V INL.
m formam pro M in edicti Diocletiani exemplo Stratonicensi, in nummis Mauricii et Focae, item in eius aetatis codicibus legi apud Meyerum adnotavit Mommsenus.

1202 Originis incertae, sigillum medici ocularii; in museo Gothano (¼).


n. 204



Impressa: *Q. Carmini Quintiani st|act(um) ad omn(em) claritat(em)*
T. Cl(audii) Apollinaris di|alepidos ad clari(tatem)
Graphio inscripta: *IIII kal(endas) Mart(ias)* | *imp(eratore) Antonino Aug(usto)* | *II, et Geta Caes(are) c(onsulibus)*

C. L. Grotefend *die Stempel der römischen Augenärzte* (Hannover 1867) p. 35 ss. et C. Zangemeister Hermes II 1867 p. 313 ss. vv. 1. 2.

1203 Durocortori Remorum (*Reims*), sigillum medici ocularii ex lapide scissili; servat ibi *Duquénelle* (†).



D. Galli(i) Sest(i) [s]frag|is ad aspritudi(nes)

D. Galli(i) Sest(i) sfra|gis ad imp(etum) lippit(udinis)

D. Galli(i) Sesti pe|nicil(lum) le(ne) ad lipp(itudinem)

D. Galli(i) Seṣti | diynu(m) ad asp(ritudines)

A. Héron de Villefosse et H. Thédenat *cachets d'oculistes romains* I (1882) p. 68 tab. VI integrum.

II

SCRIPTVRA IMPRESSA

Magna est multitudo varietasque monumentorum eorum, quibus tituli imprimi solebant. Signacula ipsa, quibus tituli imprimendi incisi sunt, supersunt non pauca in museis antiquitatum Italicis et reliquarum regionum. Scriptura eorum easdem fere varietates exhibet, quales monumentorum a saeculo fere primo ad quartum; tempora eorum certius definiri nequeunt paucissimis exceptis. Signacula illa aut anulis indita aut solearum ansatarum aliarumve rerum formas imitantia litteras habent, ut par est, prominentes atque a dextra versus sinistram procedentes pleraque; ut impressa recte legantur. Siquando collecta extabunt monumenta eius generis omnia tam urbana quam reliquae Italiae eaque comparabuntur cum provinciarum reliquarum in corporis voluminibus iam editis, sperandum est fore ut de aetatibus generibusque eorum aliquanto certius iudicari possit quam nunc licet. Ut nunc res se habent, exempla eorum aliquot casu correpta proponere nullius visum est utilitatis esse.

Eadem de causa ingentem multitudinem vasculorum cuiusvis generis lucernarumque ex argilla terrave cocta factarum, quibus nomina figulorum imprimi solebant, prorsus omittendam duxi. Quae in hoc opere composuimus scripturae exempla fortasse aliquando id quoque utilitatis habebunt, ut scripturae titulorum illorum paene innumerabilium minimoque plerumque modulo scriptorum aetates paullo accuratius definire liceat, si praeterea e locis, unde prodierunt, ex opificii varietatibus aliisque ex indiciis quae huc faciant perite observata componantur et diiudicentur. Sed fundamentum disquisitionum eius generis omnium, syllogen dico monumentorum urbanorum eius ordinis ab Henrico Dressel paratam, adhuc desideramus.

Etiam in supellectile ex metallis facta tituli imprimebantur, eorum potissimum nomina, qui res illas fecerant, continentes. Signacula parva huic usui destinata nondum, quantum scio, inventa sunt; res variae, vascula, arma, ornamenta, cultri, ferra equina, similia, quibus tituli eius generis, nomina et ipsa plerumque aerariorum, impressi sunt, non rarae sunt. Aliquot earum nuper composuit, delineavit, explicuit Robertus Mowat (*marques de bronziers sur objets antiques trouvés ou apportés en France, Bulletin épigraphique* III 1883/1884 p. 262 ss.). Vide etiam quae supra diximus, ubi aera minora composuimus (p. 314). Ad palaeographiam epigraphicam illustrandam tituli illi non visi sunt magni momenti esse; itaque omisimus.

Inter reliqua monumenta, quibus tituli aut imprimebantur, aut, quod ad simile artificium redit, formis, unde fundendo prodire solebant, indebantur (quod etiam ad vasculorum titulos aliquot pertinere notum est), primarium locum obtinent massae sive lateres metallorum, quales in fodinis solent reperiri. Atque auri argenti aeris massae impressae cum non prorsus desint, tamen ex illis quae hic proponerentur nullae ad manus erant titulis insignes; contra lateres plumbei in Hispania Sardinia Britannia reperti propterea exhibendi videbantur, quia certis plerique annis adscribi poterant vel certe aetati certae. Quorum qui praecedunt Hispani tres (n. 1204—1206) aut Augustae aetatis sunt aut paullo etiam antiquioris (n. 1204); Sardus (n. 1207) Augusti nomen exhibet; Britanni quinque (n. 1208—1212) a provinciae initiis ad Hadriani aetatem pertinent; recentiores qui reperti sunt ibidem repraesentari non potuerunt. In scriptura horum monumentorum plumbi mollities effecit, ut litterarum formae interdum minus accurate factae esse viderentur magis quam re vera sunt. Deinde observanda est in titulo Sardo (n. 1207) S inverse posita similiter atque in signaculis non paucis factum est errore in eius generis scriptura facili; praeterea nexuum in nonnullis frequentia et ipsa in nummorum signaculorumque titulis sollemnis (n. 1205 1209 1211) memorabilis est.

A massarum titulis non multum differunt in universum fistularum tuborumve plumbeorum et ipsi satis frequentes; neque vero ulla eius generis monumenta, quorum quidem imagines fidas nancisci potuerim, digna visa sunt, quae hic exhiberentur. Etiam in glandibus plumbeis bullisque inscripta, brevia pleraque et interdum incerta, quorum haec a Zangemeistero proposita imaginibus illustrata sunt (CIL IX p. 631 ss.), omittenda duximus. Tuborum plumbeorum exempla optimae sine dubio aetatis servant museum Romanum Gregorianum, Neapolitanum, alia; temporum autem certis indiciis carere illi solent.

Cum his monumentis componenda sunt vascula vitrea, quibus et ipsis tituli operarum nomina continentes solebant imprimi. Composuerunt exempla eius generis non multa adhuc nota imaginibusque elegantibus illustraverunt A. Deville (*histoire de l'art de la verrerie*, Parisiis 1873 4., inprimis p. 99 ss.) et Guilelmus Froehner (*la verrerie antique, déscription de la collection Charvet*, Parisiis 1879 fol.). Alius generis sunt tituli in patellis vitreis picti vel auro illiti aetatis plerique christianae, quos post alios Raphael Garrucci collegit (*vetri ornati di figure in oro* cet., Romae 1858 fol.).


Restant tegulis impressa. Notum est permulta eius generis monumenta tam in urbe quam in reliqua Italia omnibusque in provinciis reperta esse. Provinciarum monumenta volumina corporis inscriptionum adhuc edita comprehendunt Hispaniae Illyrici Afri-

cae; Galliarum et Germaniarum nondum plene collecta sunt. Italiae inferioris et superioris tegulas habemus in voluminibus corporis nono et decimo; reliquae Italiae atque urbis adhuc desiderantur. Distinguenda sunt earum genera duo, scilicet privatae originis et militare. Atque tegularum, quae ex figlinis privatorum prodierunt post antiquissimas Veleiates (CIL I 777—800) in municipiis inde a nostrae aerae initiis non paucae consulum nomina anni signandi causa adscripta habent (v. CIL I p. 202); in urbe tegulae eius generis, quae quidem antiquiores essent quam saeculi fere alterius initia, nondum videntur prodiisse. Tegularum autem consularium urbanarum cum notum sit Marinium primum syllogen plenam instituisse, a Rossio edi coeptam, pleniorem nunc ab Henrico Dressel expectari supra dixi. Ea priusquam prodierit, de singulari tegularum impressarum scribendi genere, quod cum nummorum scriptura magnam habet similitudinem, recte et plene iudicari non poterit. Ne vero prorsus abessent a sylloge mea exempla quaedam eius scripturae accuratius delineata et maiore cum fide repraesentata, quam adhuc factum est a plerisque (exempla pauca, sed fida, proposuit Carolus Descemet *inscriptions doliaires latines* cet., Parisiis 1880 8.), quattuor hic proposui, Hispanum unum aetatis fortasse Augustae (n. 1213), urbana duo musei nostri Berolinensis (n. 1214 1215), saeculi secundi utrumque, cui aetati etiam reliqua eius generis monumenta urbana longe maxima ex parte attribuenda esse constat; unum denique item urbanum sequioris aevi (n. 1216).

Alterum tegularum genus militare, id est a legionibus cohortibus alis reliquisque numeris in coloniis castellis praesidiis factarum et nominibus numerorum illorum signatarum, quanquam litterarum formas exhibet secundum tempora magnopere diversas, tamen ad palaeographiam illustrandam ita tantum exhiberi poterit, ut uniuscuiusque loci numerique exempla multa componantur et inter se comparentur. Quod cum nullo modo fieri potuisset, totum hoc titulorum impressorum genus ab hac sylloge prorsus secludendum esse visum est.

Idem valet de multo maiore etiam numero titulorum impressorum vasculis cretaceis cuiusvis generis, lucernis amphoris catinis caccabisve patellisque minoribus. De origine et aetate illorum nondum iudicare sinunt exempla casu servata in provinciis, quae corporis inscriptionum volumina in usum futurum composita exhibent ordine nominum alphabetico disposita; quo ordine ne genera quidem vasculorum satis distinguuntur. Itaque haec quoque monumenta ad palaeographiam illustrandam nondum adhiberi possunt; quantum lucis ad historiam eorum illustrandam e sylloge futura urbana redundaturum esse sperare liceret, docuit Dresselii de monte testaceo commentatio (*Ricerche sul monte testaccio, ann. dell' inst. archeol.* L a. 1878 p. 118 ss. cum tabb. *L M N*).

1204 In Carthagine nova, in massis plumbi circiter triginta ibi repertis. Ex ectypo chartaceo (½).




0,013

M(arcus) P(ublius) Roscieis M(arci) f(ilii) Maic(ia)

CIL II 3439; I 1481 (cum Ritschelii tab. III 6*ab* et XCVII *C*) integra.

Aetatis quidem liberae rei publicae potest esse (propter *Roscieis* et *Maicia* formas); sed tenendum est in provinciis formas vetustas diutius in usu fuisse quam Romae et in Italia; unde in hanc syllogen recepi.

1205 Castulone in Hispania Tarraconensi, in massa plumbi; extat Malacae. Ex ectypo chartaceo (½).



0,017

T. Iuventi M. Lu[*creti?*]

CIL II 3280 integra. In fine etiam metalli alicuius nomen latere potest; cf. n. 1212.

1206 In Carthagine nova reperta a. 1883, massa plumbi; exemplum unum servatur in museo Berolinensi (¼).



0,032

M. Rai Rufi. Fer(ocis?)

Nondum alibi edita; integra.

1207 *Flumini* in Sardinia, massa plumbi p. chiliogr. 34 = p. R. CIV; exemplum unum servatur in museo Berolinensi (¼).



0,040

Caesaris Aug(usti) | CVII

CIL X 8073 (add. p. 1002) integra. Ponderis indicatio in latere impressa est.

1208 *Mendip hills* in Britannia, massa plumbi p. librarum Anglicarum 163; in museo Britannico (¼).

a. 49




0,028

Britannici Aug(usti) fi[l(ii)] | V(eranio) et P(ompeio consulibus)

CIL VII 1202 v. 1. Consulum anni s. s. nomina impressa sunt in latere.

1209 *Stockbridge, Hampshire,* massa p. librarum Anglicarum 156; in museo Britannico (¼).

a. 59




0,028

Neronis Aug(usti) ex k(alendis) Ian(uariis) IIII co(n)s(ule) Brit(annicum?) | ex k(alendis) Iul(iis) p(ontifice) m(aximo) co(n)s(ule); | ex argent(o) capascas? [sic] | *XXX*

CIL VII 1203 v. 1. Vv. 3 et 4 interpretatio incerta est.

1210 *Lichfield, Staffordshire,* massa plumbi p. librarum Anglicarum 152; in museo Britannico (¼).

a. 76



0,026

Imp(eratore) Vesp(asiano) VII, T(ito) imp(eratore) V co(n)s(ulibus) | de Cea[ngis]

CIL VII 1205 v. 1.

1211 *Ripley, Yorkshire W.R.,* massa plumbi p. librarum Anglicarum 156; in museo Britannico (¼).

a. 81



0,028

Imp(eratore) Caes(are) Domitiano Aug(usto) co(n)s(ule) VII | Brig(anticum?)

CIL VII 1207 v. 1.

1212 *Matlock, Derbyshire,* massa plumbi p. librarum Anglicarum 156; in museo Britannico (¼).

inter a. 117 et 138




0,028

Imp(eratoris) Caes(aris) Hadriani Aug(usti) met(allum) Lut(udense)

CIL VII 1208 integra. R litterae forma capite crasso etiam in latere altero Hadriani (CIL VII 1209) conspicitur.

1213 Carteiae in Hispania Baetica, in tegula; servabatur Gibraltare. Ex ectypo chartaceo (½).




0,013-0,015

M. Petrucidius M. f(ilius) | leg(atus) pro pr(aetore) M. Lici(ni)

CIL II 4967, 1 integra. Nec M. Licinius proconsul Baeticae nec M. Petrucidius legatus eius aliunde noti. Scripturae indoles nisi fallor ad Augusti aetatem ducit.

1214 Tegula originis urbanae; in museo Berolinensi ($\frac{1}{1}$).

a. 123



Op(us) d(oliare) Dionys(i) Domit(iae) P. f(iliae) Lucil(lae) | *Paet(o) et Apr(oniano) co(n)s(ulibus)*

Murat. 322, 1. 3 (cf. CIL VIII 10475, 3). Consules sunt anni s. s.

1215 Tegula originis urbanae; in museo Berolinensi ($\frac{1}{1}$).



Op(us) dol(iare) ex figlin(is) Caes(aris) n(ostri) | *C. Calp(etani) Mnest(eris)*

Nescio ubi edita sit. Saeculi secundi fere medii.

1216 Romae, tegula reperta in Esquiliis. Ex imagine Rossii (½).



Seculo Constantiano | *provisio Limena*

I. B. de Rossi *bullettino della commissione municipale* a. 1872 p. 123.

INSCRIPTIONES NOVICIAE

Ut corporis inscriptionum volumina reliqua claudere solent inscriptiones falsae vel suspectae, ita huic quoque exemplorum palaeographicorum syllogae addere visum est exempla selecta quaedam titulorum aetate recentiore in lapides incisorum. Nam quanquam longe maximus titulorum falsorum numerus in charta tantum multo magis commoda et patienti fictus est, tamen etiam extant aut exempla novicia titulorum vetustorum in lapidibus sculpta cura sive civium patriae amantium sive lapicidarum negotiatorumve, qui antiquitatum collectoribus nova pro vetustis vendebant, aut denique tituli a falsariis ipsis, qui inventa sua certo monumentorum ipsorum testimonio probare volebant, prorsus ficti.

Exemplorum noviciorum, quae musea urbana servant non infrequentia (veluti Vaticanum CIL VI 505 1472 9921, Capitolinum CIL VI 3190, Kircherianum sive universitatis CIL VI 3634, Neapolitanum CIL VI 13280), tria exhibui (n. 1*—3*, quorum hoc in museum Neapolitanum delatum est). Atque cum duo eorum artem lapicidae novicii imperfectam clare exhibeant (n. 1* 3*), tertium (n. 2*) tam artificiose sculptum est tamque scite imitatur litterarum formas aetatis optimae, ut eam ipsam ob causam, quia titulus ad celebrandum saeculi quarti scriptorem clarum fictus est, invitus damnaverim. Exempla reliqua urbana, quae vidi, de arte novicia dubitare omnino non sinunt. Non pauca titulorum urbanorum sepulcralium exempla novicia per Papenbroekium in museum Leidense delata sunt, ibique Ianssenum aliosque fefellerunt. Partim non male sculpta sunt, ut docet exemplum infra propositum (n. 4*); quae praeterea vidi (ut CIL VI 2968 10418 alia) neglegentius facta sunt. Pyrrhum Ligorium non in chartas tantum, sed interdum etiam in lapides foetus doctrinae suae pravae intulisse constat (v. CIL VI 819* ss.); e satis multis eius artificii exemplis similibus, quae servata sunt (veluti CIL VI 941* 963* 966*), unum sufficere visum est ad genus hoc scripturae noviciae illustrandum (n. 5*). Sunt enim exempla illa Ligoriana tabellarum, quales in columbariis reperiuntur, paene omnia satis neglegenter sculpta et ab antiquis nullo negotio distinguuntur; quorum verba non offendunt litterarumque formae sunt meliores (ut CIL VI 824*), ea a suspicione originis Ligorianae liberanda esse nunc iam intellectum est. Non curo titulos aliquot aperte novicios in museis urbanis servatos, quos ipsa litterarum forma statim evinceret medio, quod dicimus, aevo sculptos esse, etiamsi verba ab antiquitate non recederent; sed unum exhibui tam eleganter incisum, ut nisi verba originem noviciam demonstrarent, facile pro antiquo haberi posset (n. 6*). Utrum urbanus sit an ad municipium aliquod suburbanum pertineat *Aesculapii Epidaurii* titulus in museo Vaticano servatus (n. 7*) ignoro; litterarum formae bonae sunt, litterae initiales reliquis altiores in titulis quibusdam urbanis Ostiensibus Gallicis saeculi secundi tertiique redeunt (ut in CIL VI 134, in Ostiensi supra n. 534 v. 7, in Lugudunensi aetatis fere Commodianae n. 393, al.); sed compendia versus alterius et formulae titulo votivo minus aptae originem noviciam videntur probare. Inter Tiburtinae originis titulos museorum urbanorum praeterea novicii nonnulli sunt (ut Orell. 2253 3581 3964 al.), quos omisi.

E reliqua Italia pauca tantum novi exempla. Volceianum (CIL X 411), ad Scolacium pertinens tituli alicuius Antonini Pii (CIL X 103), Neapolitana (ut CIL X 4656 4692) indicasse sufficiet; protuli Laudense Tiberii (n. 8*), quocum conferatur genuinum supra exhibitum (n. 167).

Etiam in provinciis, quanquam aliquanto quam in Italia rarius, tituli aut in lapidibus ficti aut e vetustis repetiti sunt. Quam vario id artificio factum sit, docent quae infra exhibui exempla musei Pestinensis (n. 9*) et musei Arelatensis (n. 10*). Ut, si modo fieri posset, ab inceptis similibus deterreret, exemplum deinde protuli tituli unius e Treverensibus illis dudum explosis, qui aliquando etiam doctis hominibus, veluti Ianssenio Leidensi et Wilmowskyo Treverensi imposuerunt, quanquam qui finxit minime ignotus est peritis (n. 11*); praeterea addidi musei Mannhemiensis titulum item Treverensem aliquanto ante fictum (n. 12*). Etiam in museis Mogontiacensi et Caroliruhensi non desunt quaedam eius generis (Bramb. 1253 1669). Qui in Hispania in lapide insculpti sunt tituli falsi — pauci illi, si comparaveris cum fictis in charta sola —, artificii sunt tam rudis plerique, ut neminem decipere possint. Sed satis bene vetustas formas imitatur exemplum tituli alicuius saeculi tertii Urgavone servatum, quod in fine huius ordinis posui (n. 13*). Nolui plura congerere; nam quamvis quae proposui exempla varietatem noviciae artis minime exhauriant, tamen sufficere videntur ad discrimina illustranda, quibus tituli vetusti omnes, quotquot habent scribendi diversitates, a noviciis distinguuntur.

Ceterum quanta opus sit cautione in litterarum formis diiudicandis, praeter alios tituli nonnulli docent in Gallia reperti, quos supra proposui (n. 186 393), quorum nisi fidem testarentur testes oculati et periti, equidem facile diffiderem et exempla novicia esse crederem.

1* Romae, archetypum periit; exempla tria novicia extant, hoc in museo Vaticano ($\frac{1}{4}$).




0,028

Imperio | *domini Silvani* | *C. Cossutius C. lib(ertus) Epaphroditus* | *aram Silvano marmoravit* e. q. s. *P. Calvisio Sabino L. Caesennio Paeto co(n)s(ulibus)*

CIL VI 597 vv. 1. 2. Consules ignoti sunt.

2* Romae, tabula marmorea; in museo Vaticano (c. $\frac{1}{4}$).

c. a. 387



0,030


0,025

R(ufii) Festi Avieni v(iri) c(larissimi), | *bis pro consulis* | *et celebris poetae* | *i[n]signi[s] memoria*

CIL VI ad n. 537 integra.

Titulus si vere novicius est, quadratarius saeculi XV vel XVI formas antiquas optime imitatus est. Novicium iudicavit Rossius *ann. dell' inst. arch.* XXI 1849 p. 345 adn. 1. Subscriptus est imagini Avieni poetae, patris Festi scriptoris, ut videtur.

3* Romae dicitur reperta esse; in museo Neapolitano ($\frac{1}{6}$).



0,050

[D(is) M(anibus)] | *Iulius Felix Campanianus* | *v(ir) c(larissimus) ad augendam thermarum* | *Traianarum gratiam collocavi*

IN 6801 v. 2. V. 1 ex titulo antiquiore remansit. Tituli antiqui exemplum novicium esse docent litterarum formae.

4* Romae olim; exemplum novicium est in museo Leidensi ($\frac{1}{2}$).

CAECILIA P·L· FELIX — 0,016

D(is) M(anibus) | Caecilia P. l(iberta) Felix | fecit P. Cuspio Eroti | patrono behemerenti [sic] | *a. d. m. h. m.*

CIL VI 13815 v. 2. Praeter alia puncta rotunda dubitari non sinunt, quin exemplum novicium sit.

5* Romae, tabella marmorea; nunc Mutinae in museo ($\frac{1}{2}$).

SEX·IVNIVS·SEX·POMP·A CVBICVL· — 0,012

Sex. Iunius Sex. Pomp(eii) a cubicul(o) | *Iunia Euche* e. q. s.

CIL VI 942* v. 1. Damnaverunt Bormannus et Henzenus; ex officina Pyrrhi Ligorii prodiit.

6* Romae; in villa Ludovisia ($\frac{1}{3}$).

EVCHARISTIAE — 0,016
IVL·CAR·SAX — 0,034

Eucharistiae | *Iul(ius) Car(......) sax(um)* | *ex urbi|ca ruina re|lictum ob e|legantiam erexit*

Nescio ubi edita. Nisi argumentum evinceret noviciam esse, propter litterarum formas saeculi esse posset alterius exeuntis.

7* Originis mihi ignotae, tabula marmorea; in museo Vaticano ($\frac{1}{6}$).

AESCVLAPIO EPIDAVRIO — 0,021
D · PP ·
ET SALVTI
SALVOS IRE SALVOS VENIRE — 0,026

Aesculapio Epidaurio | *d(omino?) p(ro)p(itio)?* | *et Saluti*
Salvos ire, salvos venire

CIL VI 3452*. V. 4 in lateribus dextro et sinistro scripta sunt.

8* Laude, exemplum novicium tituli supra n. 167 ($\frac{1}{10}$).

TI·CAESAR·AVG·F 0,095

Ti. Caesar Aug(usti) f(ilius) | *Augustus,* | *Drusus Caesar Aug(usti) f(ilius)* | *portam faciendam c(urarunt)*

CIL V 6358*b* v. 1.

9* *Szöny*, tabella lapidea; in museo Pestinensi ($\frac{1}{2}$).

LF LORA FAB CONIVNXOPTIMA 0,022

L(icinia?) Flora Fab(ii) coniunx optima | *pietate et castitate incomparabiis* [sic], | *cunctis sed melius diis placuit* e. q. s.

CIL III 224* v. 1. Argumentum et litteratura falsam esse docent.

10* Arelate, cippus marmoreus; in museo ($\frac{1}{5}$).

D M 0,055
CALPHVR 0,042
NIAE
CAI MARII
CONS·FILIAE

D(is) M(anibus) | *Calphur*|*niae* | *Cai Marii* | *cons(ulis) filiae* | *piissimae* | *Cimbror(um)* | *victrici*

CIL XII 112* vv. 1—5. Dicitur incisa esse saeculo XVII medio.

11* In thermis ad *Nennig* vicum prope Treveros, tabula lapidea olim pro capite antae adhibita; in museo Treverensi ($\frac{1}{5}$).

GERM·DO 0,070
LNEVMF

Caes(ar) M. U(lpius) T[raianus N]erva | *Germ(anicus) do[mum] et ba*|*lneum er[exit et Secundino]* | *Securo* | *praef(ecto) c(oloniae) Au[g(ustae) Treverorum] dono [dedit]*

Edidi post alios in actis acad. Berol. a. 1867 p. 62 et damnavi.

12* Treveris, basis lapidea; in museo Mannhemiensi ($\frac{1}{5}$).

D M 0,070
LTVTO 0,060
ALAE·

D(is) M(anibus) | *L. Tutor* | *alae* | *eq(uitum) Tre(verorum)* | *f(ecit?) f. p. p. p.*

Brambach 800 (cf. add. p. XXX) sine suspicione. Damnaverunt cum Haugio (*die römischen Denksteine* cet. *in Mannheim*, Constantiae 1877, p. 55) multi; nam ficta est ex Taciti hist. IV, 55 ss.

13* Urgavone in Hispania Baetica, basis marmorea supra fracta; exemplum vetustum periit, novicium servatur ibi ($\frac{1}{8}$).

COS·III·MVN 0,068
ALB·D·N·MQVE

[*Imp(eratori) Caes(ari)* ....] | *co(n)s(uli) III mun(icipium)* | *Alb(ense) d(evotum) n(umini) m(aiestati)que* | [*eius* ....]

CIL II 2112 exemplum novicium integrum.

INDICES

I

TEMPORA

Quae *c(irciter)* aetati Caesaris, Augusti cet. adscripta sunt monumenta plus minusve dubitanter, in indice brevitatis causa intra annos imperii imperatorum illorum includuntur omissa in universum dubitationis indicatione, quam signum interrogationis singulis numeris appositum indicat

Anni ab urbe condita	Numeri
693? 706? 708? 709?	862
709	44
710	1 951
710—742	45
c. ante 710	2—43 1204
713	47
c. 718	48
paullo post 718	49
718—724	948*a*—*c* 949*ab*
721	175
723	952
c. 723	46
ante 725	969
post 725?	210
727	50
728	208
c. 728	143
729	186
ante 731	100 106
733	950? 1194
734	51
734—738?	209?
735	225 1195
740	107 108 109
742	231 863
post 743	166
744	52
745	53
746	864
746—752	1033
746—757	971
746—769	970
747	963
c. 747	113
748—753	214
749—750	54
750	55
750/1	211
ante 752	116
752	121 1034 1196
c. 752	112 114 115 120?
752/3	117
post 752	213
752—763	972
c. saeculi primi	926 930 931 932 936 937 941 1071 1091 1115 1175 1182 1188

Anni p. Chr. n.	Numeri
1	56 122 151
2	123 215 865
3	124 125 953*a* 1063
ante 4	216 217
4	126 1064
4—14	205 236 981
5	866 1035 1197
post 6	57
7	1065?
c. 8	58
post 9?	197
11	212 1099?
11/12	953*a*
ante 12	59
13	1198
ante 14	973
c. inter u. c. 710 et p. C. 14	60—69 91? 110 111 185 191 221 226 227 797 888 889 890 897 898 907? 965 966 967 1036? 1062 1112? 1205 1206? 1207 1213?
inter 1 et 14	163 164
inter 1 et 37	132 169 195 204
14	176 218?
c. 14	975
post 14	150 177 1090
14—17	118
c. 14—19	101
14—22	152
14—23	167
14—37	81—85 149? 178 187 200 202 206 236 1066 1113?
15	220
c. 15	133
15—34	974
15—37	70 170
post 16	197?
18	71
post 18	232
19	188 798?
20	953*b*
20—30	72
post 22	73
23	127 798?
24	953*c*

Anni p. Chr. n.	Numeri
26	128 219 222 1067
c. 26	144
27	74 867 868 869 983
29	953*d* 954
c. 29	165
c. 30	233
31	1068
32	129
34	130 131
c. 34	976
36—37	75
ante 37	189
37	76 77 145 179 984
37—41	78 103 180 190 224
38	79 985
39	223 955*a* 986
41	80
c. 41	193
c. 41—54	91? 93 94 98 99 105 146 147 183 192 799 891? 896? 915 916 925? 968?
c. 41—68	203
c. 43—48	987
45	1069
46	181 800
47	1037?
47—54	135
49	172 228 1208
c. 49	104 148
49—54	119
c. 1—50	168
ante 50	977
50	956*a*
c. 50	92 153 154 155 156 157 160 161 171 173 201 207 979 980 1116 1117 1118
50—54	102
51	86 955*b* 978
51/52	87
51—54	134
52	88 813
54	182
c. 54—68	95 96 97 139—142 194 196 198 199 230? 234 235 892?

Anni p. Chr. n.	Numeri
55	229 870
56	136
ante 57	184
57	89 988
58	989
59	990 1209
60	814 991
c. 60	1038
c. 62	992
63	957
64	815
c. 64	137 138
65	871
66	993 1070
68	801 816 817 956*b*
post 68	90
69	256? 802 994
69—78	247
c. 69—79	252 253 333 334 335 360? 395 396? 416 424 893? 900? 938?
c. 69—96	254 382
c. 69—117	383
70	238 818
c. 70	237
71	239 819 820
72	240 332
73	359
74	821 1199
75	241 319
76	331 822 1210
78	995
post 78	248
79	242 425
79—81	243 246? 249 394
80	823 958 996
c. 80	426
81	244 245 996 997 998 1211
post 81	347
81—96	315 451 805 806 913 948*d* 1004 1005
82	372 872
82—84	807 808 809
84—95	428
85	824
86	250 825 999
87	1000

II

LOCI

Indicantur loci ubi inventa sint et ubi serventur monumenta supra exhibita, ut quae in museis extant facile reperiri possint. Pompeiana Herculanensia Puteolana Misenensia Neapoli, Ostiensia Romae, Aquincensia Pestini esse non adnotatur

ITALIA

AEGYPTVS ASIA EVROPAE PROVINCIAE GRAECAE ILLYRICVM

GALLIA

GERMANIA

BRITANNIA

HISPANIA

AFRICA

III

NVMERI INSCRIPTIONVM IN CORPORIS INSCRIPTIONVM LATINARVM VOLVMINIBVS ADHVC EDITIS I—X ET EDENDIS XI XII XIV ALIORVMQVE OPERVM ADHIBITORVM AD HVIVS SYLLOGAE NVMEROS RELATI

Ephemeridis epigraphicae reliquorumque operum indicatio ad finem voluminum corporis editorum et nondum editorum adiecta est

CIL	Numeri
I 28	1024
577	1072
618	p. 3
626	1
p. 281 xviii	1036
p. 287 xxviii	967
I p. 288 xxix	968
p. 299	969
p. 299	980
p. 303	971
p. 310	981
p. 311	972
I p. 320	973
p. 322	974
p. 322	975
p. 327 fasti Antiates	955
p. 327	978
p. 358	979
I p. 430, 432, 434, 442	948*a—d*
p. 458, 460	949*ab*
p. 466	951
p. 478	950

CIL	Numeri
II 759	429
1049	426
1066	440
1087	41
1116	666
1117	667
1120	447
1167	441
1168	442
1178	438
1179	439
1302	228
1343	866
1372	664
1406	226
1439	671
1528	216
1529	217
1586	43*a*
1588	43*c*
1593	43*b*
1640	430
1660	218
1668	655
1669	656
1671	657
1945	428
1946	443
1963	807
1964	808
2015	448
2054	432
2055	436
2062	219
2070	663
2093	222
2097	431
2106	212
2109	215
2201	665
2202	670
2221	660
2255	225
2373	907
2402	230
2416	446
2421	213
2633	874
2660	435
2660	1138
2661	659
2663	658
3302	39
3394	668
3349	424
3379	224
3386	445
3399	444
3413	661
3414	209
3417	221
3420	785
3451	42
3555	210
3556	208
3827	211
3828	214
3829	220
3836	434
3924	40
4102	669
4105	782
4106	783
4108	784
4509	433
4697	425
4716	223
4731	662
4719	229
4721	427
4963 I	869

CIL	Numeri
II 5042	797
5083	437
Ephem.	
I 141	865
II 322	877
p. 105	805
p. 149	809
III 32	227
p. 37	805
p. 165	806
Inscr. Hisp. christ. 57, 176	785
CIL	
III 547	p. 3
550	365
551	185
764	598
1660	594
1770	177
1801	360
1947	182
1968	771
1968	1098
1978	361
1984	773
2018	178
2029	368
2975	179
3255	590
3307	381
3316	945
3331	588
3370	774
3383	574
3384	575
3412	583
3424	591
3431	373
3445	576
3457	587
3486	375
3508	566
3521	593
3576	1145
3580	568
3638	585
3639	586
3675	581
3685	377
3721	584
4150	1094
4168	582
4177	372
4180	772
4297	569
4915*a*	28
5450	378
5565	770
5567	376
5572	580
5575	579
5580	577
5581	578
5583	379
5802	570
5810	596
5906	374
5935	572
5943	571
5944	1096
5987	567
6025	456
6066	1091
6109	371
6150	1095
6574	599
6575	600
p. 778	1090
p. 801	1097
p. 844 I	813
p. 845 II	814

CIL	Numeri
III p. 846 III	815
p. 847 IV	817
p. 849 VI	818
p. 850 VII	819
p. 852 IX	821
p. 853 X	822
p. 854 XI	823
p. 855 XII	824
p. 857 XIV	825
p. 861 XVIII	826
p. 862 XIX	827
p. 863 XX	829
p. 864 XXI	830
p. 865 XXII	831
p. 866 XXIII	832
p. 866 XXIV	833
p. 868 XXV	834
p. 869 XXVI	835
p. 870 XXVII	836
p. 872 XXX	837
p. 874 XXXI	838
p. 876 XXXIII	839
p. 877 XXXIV	840
p. 878 XXXV	841
p. 880 XXXVIII	842
p. 881 XXXIX	848
p. 882 XL	849
p. 884 XLII	843
p. 885 XLIII	844
p. 886 XLIV	845
p. 890 XLVIII	851
p. 891 XLIX	852
p. 893 LI	855
p. 894 LII	856
p. 897 LIV	858
p. 898 LVI	859
p. 900 LVII	861
Ephem.	
II 337	370
339	236
397	592
414	380
597	573
678	595
818	589
884	597
1026	697
p. 454 LIX	816
p. 457 LX	820
p. 460 LXI	850
p. 465 LXII	854
III p. 156	1093
IV 33	690
112	1092
p. 185 LXVI	857
p. 500 LXIX	828
p. 502 LXX	847
p. 508 LXXII	853
p. 513 LXXIII	860
CIL	
V 24	180
25	181
26	359
28	556
29	562
30	563
33	369
56	557
61	1088
525	175
529	762
532	1079
533	184
535	362
549	26
698	183
798	366
852	176
854	363
866	367
872	24

CIL	Numeri
V 875	364
966	25
2798	888
2835	353
3037	154
3103	155
3111	350
3112	558
3290	156
3662	15
3679	157
3738	158
3758	159
3900	160
4017	565
4036	555
4040	161
4052	14
4055	851
4056	858
4057	767
4078	1115
4191	16
4347	554
4384	163
4482	354
4571	164
4647	162
4710	17
4883	19
4905	1116
4914	1178
4919	867
4920	868
5050	800
5307	18
5806	553
5832	165
5900	355
6091	356
6358	167
6359	166
6361	168
6364	169
6414	908
6415	909
6417	170
6421	564
6604	171
6780	559
6785	1085
6786	173
6866	929
6903	22
6964	914
6969	172
6970	349
6977	348
6995	347
7000	768
7035	357
7107	358
7262	29
7506	913
7637	1078
7647	174
7837	31
7856	30
8071	769
8122 I	918
8129	1075
8184	27
8288	23
8659	352
8660	351
8726	765
8738	766
8768	764
8796	896
Ephem. IV 540	763
Bullett. 1882, 186	803

CIL	Numeri
VI 5531	56
7139	1120
7459	1046
7578	1126
7787	65
7872	1113
8470	96
8639	956
8655*a*	912
8707	256
9190	90
9438	99
9604	1131
10082	1127
10097	1118
10213	1038
10229	1039
10231	1045
10234	1044
10235	287
10243	1040
10244	1041
10293	954
10294	1035
10493	1128
10848	1060
11591	1165
11725	7
11743	1130
12261	4
12368	308
12377	496
12442	279
13505	284
13528	1132
14108	1166
14672	309
17056	1117
17342	1133
17587	1168
17653	1059
17987	1154
18409	1102
19174	1124
Bruzza annali	
42, 173 191	1160
Bulletin monumental	
48, 502	926
Bullettino municipale	
1876, 1	976
1880, 231	726
232	727
Buonarotti osserv. XVI	1140
Cardinali iscr. ant. ined.	
161	253
Fabretti	
57, 315	316
107, 253	523
174, 337	315
676, 26	922
Gruter 716, 4	280
Henzen *relazione* p. 99	953
O. Iahn spec. ep. 107	1125
IN 6790	921
7112	253
Maffei M. V.	
258, 5	1163
Marini Arv.	
123	1121
266, 1	522
iscr. Alb. XXIV	313
Mazochi epigr. f. 136	255
Meyer anthol.	
1272	1121
1313	1135
1504	1129
Muratori	
1356, 7	1135
1384, 7	1129
1551, 1	1163
1740, 8	497

CIL	Numeri
Orell.	
1066	700
2719	1169
4240	251
Paciaudi mon. Pelop.	
I 204	524
Rossi inscr. urb. christ.	
I 371	1171
I 434	1172
Roma sott.	
II 23	1143
In vol.VI nondum editae	3 5 6 66 67 69 85 255 280 328 481 497 522 523 524 1112 1119 1121 1125 1129 1134 1135 1161 1163 1164 1167
CIL	
VII 91	416
93*a*	905
107	653
138	943
139	944
180	904
268	781
352	422
415	651
436	906
446	650
495	942
498	417
504	420
585	648
632	421
646	652
660	418
965	649
1041	419
1153	780
1188	779
1190	654
1193	831
1194	832
1195	837
1291	911
Ephem.	
IV 718*a*	423
V p. 97	846
Hermes 15, 588	947
Inscr. Brit. christ.	
68, 185	781
CIL	
VIII 27	789
68	863
69	871
76	462
257	1150
270	1105
308	695
622	458
653	1151
654	1152
754	672
766	687
777	673
779	788
782	790
796	787
814	684
885	678
895	683
968	692
969	791
977	44
988	455
989	792

CIL	Numeri
VIII 1026	449
1180	231
1183	698
1267	460
1310	459
1523	1142
1862	696
1951	699
2245	796
2391	1147
2409	1148
2403	1111
2527	675
2532	1104
2534	453
2554	676
2564	1109
2572	694
2582	461
2626	1110
2634	686
2660	693
2661	679
2662	680
2665	691
2728	1106
2742	681
2747	457
2968	1149
3917	464
4508	1108
5280	463
5285	452
5353	794
5384	234
5415	451
6987	232
8455	677
8473	688
8477	786
8483	795
8826	685
8837	870
8929	454
8937	674
9047	689
9257	233
9377	450
9835	793
10311	235
10365	682
10525	862
10570	1107
CIL	
IX 60	1114
259	887
261	861
338	811
1117	757
1573	548
2219	344
2320	969
2464	879
3429	878
3748	946
4191	952
4893	890
4972	549
5438	338
5438	338
5439	551
5565	910
5997	759
Ephem. III p. 85	969
CIL	
X 114	1080
476	885
478	884
769	813

CIL	Numeri
X 770	817
797	135
798	118
801	139
803	109
808	965
809	966
814	110
816	113
823	116
824	124
825	1069
826	136
827	132
832	106
833	114
840	133
841	120
842	117
846	138
850	111
867	820
884	123
885	107
886	108
890	121
891	122
892	125
893	126
895	127
896	128
899	129
901	130
902	131
932	134
933	119
954	112
977	115
999	141
1018	335
1046	11
1054	140
1063	137
1066	142
1402	818
1403	1071
1406	331
1413	146
1414	145
1415	147
1417	148
1419	333
1420	332
1422	334
1425	143
1468	144
1565	895
1582	151
1596	340
1597	342
1619	150
1639	337
1643	341
1650	546
1655	552
1658	149
1690	761
1691	761
1697	758
1781	1072
1783	1084
1784	1086
1873	345
1881	343
1949	1175
3002	1174
3336	550
3346	336
3360	1177
3359	1176
3682	981

TITVLI HI CCXIII INTEGRI EXHIBITI SVNT

1	2	10	12	14
19	20	21	22	23
24	27	28	32	33
34	35	36	37	38
39	40	42	43	44
45	48	50	51	52
61	62	63	75	78
86	90	91	94	100
102	103	106	112	113
114	120	133	138	140
141	142	143	146	149

161	186	188	190	191
192	193	199	209	216
217	218	225	230	231
234	245	258	281	294
295	305	315	316	329
331	337	363	378	379
384	385	386	387	388
399	400	416	418	421
429	430	434	450	451
452	469	481	497	500
534	555	560	602	607

609	610	690	700	702
712	765	776	781	785
794	869	888	889	890
891	892	893	894	895
896	897	898	899	900
901	902	903	904	905
906	907	911	912	913
914	915	916	917	918
919	920	921	922	923
924	925	926	927	928
929	930	931	932	933

934	935	936	937	939
940	941	942	943	944
945	947	1036	1058	1061
1084	1103	1146	1153	1161
1178	1179	1180	1181	1182
1183	1184	1185	1186	1191
1194	1195	1196	1197	1198
1199	1200	1201	1203	1204
1205	1206	1207	1212	1213
1214	1215	1216		

Formis Academicis (G. Vogt)

DATE DUE

DUE	RETURNED
APR - 7 1979	MAY 8 1979
JUL 14 1986	DEC 5 - 198

KING PRESS NO. 306

869181